APPARATUS SEU COMPENDIUM

IURIS ECCLESIASTICI

APPARATUS SEU COMPENDIUM
IURIS ECCLESIASTICI

IN USUM

EPISCOPORUM ET SACERDOTUM

PRAESERTIM

APOSTOLICO MUNERE FULGENTIUM

AUCTORE

ZEPHYRINO ZITELLI

EDITIONEM HANC NOVAM AUXIT EMENDAVIT
NOVO ORDINE DIGESSIT AC NOVIS TRACTATIBUS DITAVIT

FRANCISCUS SOLIERI

IURIS UTRIUSQUE DOCTOR
AC IN PONTIFICIO INSTITUTO FIDEI PROPAGANDAE
IURIS ECCLESIASTICI PROFESSOR

PARS I.

DE PERSONIS.

FRIDERICUS PUSTET
PONTIFICALIS BIBLIOPOLA
ROMAE
RATISBONAE - NEO-EBORACI - CINCINNATI
MCMVII.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. *Magister.*

—

IMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli Patriarch. Constant. *Vicesgerens.*

Dilectissimi Discipuli

Cum nobis Apparatus clarissimi Zitelli novam curare editionem commissum fuerit, curavimus ut, quo magis fieri posset, ad meliorem perfectionem opus nos adduceremus. Quamobrem materiarum ordinem penitus immutavimus, plura atque plura addidimus imo novis tractatibus, quibus opus carebat, veluti de legibus, de vicariis apostolicis, de laicis, de matrimonialibus dispensationibus etc. opus locupletati sumus; quae superflua duximus expunximus, omniaque prorsus ea intentione gessimus, ut praesertim vobis, dilectissimis discipulis, iuris canonici textum satis absolutum comparaverimus. Libris clarissimi Zitelli de personis, et de rebus editis, alios favente Deo addemus de iudiciis civilibus ac criminalibus, ut ita cum tractatu de iure publico ecclesiastico, quem paucis abhinc annis edidimus, opus completum de iure ecclesiastico habeatis.

Faxit Deus ut nostrum quodcumque opus inutile haud cedat. Valete.

Fr. Solieri Professor.

PROOEMIUM ANTECEDENTIUM EDITIONUM.

Quae me causa impulerit ad *Apparatum Iuris Ecclesiastici*, in usum Missionariorum componendum, iis quae in priori illius libri editione praefatus sum, prolixius exposui. Ratio fuit (ut eadem heic summatim perstringam) Missionariis offerre opus canonicum quod praeter praescripta iuris communis, quae in missionum locis observari debent, complecteretur etiam mandata peculiaria, quae a Sacra Congregatione Fid. Prop. in usum sacrarum expeditionum edita sunt. Haec enim, aliis alia temporibus lata nulloque ordine digesta, cum in foliis circularibus vel in decretis rescriptisque ad certas personas datis contineantur, id crebro usuvenire comperiebam, ut eos qui per remotissimas regiones apostolico munere funguntur, plane laterent, vel non sine temporis dispendio ac frustra ab eisdem quaererentur, vel tandem utcumque inventis plus minusve abhorrens a vero, sensus subiiceretur. Non equidem tum fore putabam, ut edendi iterum operis occasio vel necessitas aliqua oboriretur. At vero contra quam expectabam res accidit; quippe intra biennium omnia illius voluminis exemplaria distracta sunt. Hinc novae editioni curandae animum adiunxi, quae nunc emendatior multo concinniorque in lucem pro-

fertur. Naevos enim qui typothetarum incuria priori editioni irrepserant diligenti censura sustuli, alia non satis dilucide proposita distinctius exposui; adieci hinc illinc nova Sacrarum Congregationum responsa, ac duobus integris etiam capitibus auctiorem eam reddidi, quorum alterum est de Romano Pontifice, de Concilio oecumenico, deque S. R. E. Cardinalibus et Legatis: alterum agit de congregationibus religiosis votorum simplicium, deque potestate Ordinariorum in eiusmodi instituta. Tandem supplementum addidi quo recentiores quae a Sacris Congregationibus editae sunt decisiones continentur, quas in operis decursu inserere nolui, ne praestitutus ordo turbaretur. Extremum est ac maxime expetendum, ut hoc opus Deo bene iuvante in animarum salutem cedat, quem finem in eo concinnando mihi potissmimum proposui.

Z. Zitelli.

PARS I.

DE PERSONIS.

1. Suprema personarum divisio in Ecclesia est ut alii sint clerici, alii sint laici: illi Ecclesiae gubernio praesunt, hi illorum potestati subiiciuntur [1]; χλῆρος enim graece significat sortem quasi clerici in sortem Domini electi sint, et λαός significat populum [2]. Inter clericos autem et laicos medium tenent locum monachi, religiosi aut regulares; etenim clerici appellantur regulares, qua tales, tantummodo quia de clericorum privilegiis participant. Hisce positis cum in tractatu de personis praecipue de iis agendum sit qui iurisdictionis subiectum sunt, cumque clerici tantummodo iurisdictionis ecclesiasticae sint capaces, de clericis praecipue et dein breviter de regularibus ac de laicis nobis dicendum est.

[1] Clerici nomen in iure lato, stricto ac strictissimo sensu sumitur. Lato sensu clerici nomine persona intelligitur servitio et cultui divino legitima auctoritate mancipata. Can. *Clericus* 1 et 7, C. XII, q. 1. Thomass. ant. et nov. discip. t. 2, lib. 1. Stricto sensu clerici dicuntur qui saltem per primam tonsuram ad divina officia obeunda deputantur. Ferraris Bibl. v. *Clericus* art. 1. Strictissimo sensu in odiosis clerici intelliguntur saeculares Episcopi inferiores et omni dignitate ac praelatura carentes. Latissimo sensu tandem clerici etiam utriusque sexus Regulares appellantur.

[2] Can. 7. caus. 12, qu. 1. Cf. can. 5. caus. 12, qu. 1. Cf. Isidorum Ispalensem lib. VII Originum, cap. 12 et 14.

LIBER I.

De Clericis.

2. Cum clerici sint qui iuris divini dispositione iurisdictionis ecclesiasticae subiectum esse possunt, antequam de singulis clericorum gradibus, quibus Ecclesiae Christi organizatio resultat, agamus, praestat ut prolegomenorum causa tria praemittamus, videlicet: 1) *de notione et divisione potestatis iurisdictionis;* 2) *de modis quibus ecclesiastica iurisdictio acquiritur;* 3) et tandem *de modis quibus ecclesiastica iurisdictio cessat.*

PROLEGOMENA

De potestatis iurisdictionis notione et divisione deque modis quibus iurisdictionis potestas acquiritur vel amittitur.

TITULUS I.

De potestatis iurisdictionis notione et divisione.

3. In tractatu de iure publico ecclesiastico [1] fusius expositum est quid sit potestas iurisdictionis, quomodo differat vel coniungatur cum potestate ordinis, quaenam potestatis iurisdictionis praecipuae sint divisiones.

Ad praedictum tractatum proinde, lectores, remittimus. Heic tantummodo praemissa potestatis iurisdictionis definitione, de potestate iurisdictionis *ordinaria* ac *delegata* breviter agimus leges revocando quae harum exercitium spectant.

[1] Solieri, De iure publico ecclesiastico.

4. Potestas iurisdictionis est: « *Potestas publica, quae profluens ex natura ipsa sacerdotii ex facto Christi competit sacerdotibus evangelicis ad fidelium regimen et gubernationem* »[1].

5. Potestas iurisdictionis est vel *ordinaria*, vel *delegata*. Ordinaria iurisdictio illa est quae adhaeret officio ex iuris dispositione vel ex canonum disciplina, vel privilegio, vel praescriptione ac *nomine proprio* exercetur. Quare duo potestatis ordinariae elementa sunt, videlicet: 1) ut *officio aut dignitati ex legis dispositione adhaereat*, et 2) ut *nomine proprio* exerceatur. Qui ordinaria pollet iurisdictione 1) illam delegare potest, ita enim bonum subditorum commune exigit. 2) Citatus a iudice ordinario etiamsi de iudicis iure dubitet, venire tenetur, at si velit exceptionem opponere valet[2]. 3) Iudex ordinarius latam a se sententiam exequi valet. 4) Ordinaria iurisdictio *morte concedentis haud cessat*; non enim concedentis morte amittitur officium cui ordinaria iurisdictio adnexa est, quaeque proprio nomine exercetur. 5) Iuris praesumptio favore ordinariae potestatis militat. 6) Nonnisi gravissimis accedentibus causis iudex ordinarius tanquam suspectus recusari potest.

6. Potestas delegata illa est quae *non nomine proprio*, sed *nomine alterius*, a quo accipitur, exercetur. Potestas delegata est vel *a iure* vel *ab homine*. Illa dicitur quae ex iuris dispositione officio vel dignitati adnectitur, sicuti potestas quae Episcopis in Regulares exemptos competit uti Apostolicae Sedis delegatis[3]. Delegata potestas vel est *ad universalitatem causarum*, vel *ad particularem causam*. Illa dicitur qua vel omnes universim causae, vel saltem certum genus causarum v. gr. decimarum, matrimonialium etc. committuntur, etiamsi tempore vel loco commissio limitata fuerit; haec e contra est qua una vel altera causa diiudicanda

[1] Cfr. Berardi in ius ecclesiasticum; Pirhing, De off. iud. ord. n. 1; Reiffenstuel tit. 29 lib. I Decret. n. 3; Layman, Th. mor. lib. 1, tr. 4, c. 3, n. 1; D'Ann. I, 71; – Cfr. Solieri, De iure publico ecclesiastico lib. I, tit. I, cap. I, art. 2, § 1; Ojetti, Synopsis, hoc verbo.

[2] L. *Si quis ex aliena* 5 ff. De Iudiciis in digesto.

[3] Cfr. C. *Ad abolendum* § fin. de Haeret.

committitur. Iam 1) delegatus nequit potestatem subdelegare [1] nisi *a*) fuerit delegatus a Papa vel *b*) ad universalitatem causarum. Ceterum neque hisce in casibus subdelegari licet, quando *personae industria* electa fuerit, veluti si dicatur ut personaliter cognoscas, per teipsum etc. [2]. 2) Potestas delegata numquam praesumitur, adeo ut qui sibi illam tribuit, hoc sibi ius competere ostensis litteris demonstrare teneatur [3]; rigorose delegationis limites ac formam servare tenetur [4] sub poena invaliditatis, nisi de re mere accidentali agatur. 3) Iudex delegatus ad universitatem causarum, aut a Romano Pontifice latam sententiam exequi valet, caeteri delegati sententiam exequi nequeunt nisi speciale habeant mandatum [5]. 4) Potestas delegata morte mandantis cessat re adhuc integra. 5) Potestas delegata quia potestati ordinariae derogat, strictae interpretationis est.

7. Potestas iurisdictionis alia est *fori interni* quae privatam fidelium utilitatem respicit; alia *fori externi* quae respicit publicam fidelium utilitatem [6].

8. Alia est *contentiosa* quae inter eos exercetur qui in iudicio contendunt; alia est *voluntaria* quae sine strepitu forensi in volentes exercetur. Qua in re notat clarissimus Ojetti quod « iurisdictio voluntaria non comprehendit omnes actus qui non cadunt sub contentioso, sed speciales quosdam tantum, qui neque ad potestatem legislativam neque ad iudiciariam, sed ad executivam seu imperii pertinent: scilicet voluntaria iurisdictio est species potestatis executivae et versatur circa negotia non contentiosa, tribuens vel certa solvens privatis nonnulla iura quae contradictioni obnoxia non sunt; ex quibus patet voluntariam iurisdictionem in contentiosam transire interveniente iusto contradictore. In tractatu de iure publico

[1] C. *Cum in multis* de Rescript. in 6 cum concordantibus.

[2] C. ult. de Off. iud. deleg.

[3] L. 1 C. de Mand. Princ. – C. 24 de Rescript.

[4] C. 22 de Rescript. – C. 32-37 de Off. iud. deleg.

[5] Tit. de Off. et potest. iud. deleg.

[6] OJETTI, Synopsis, hoc verbo.

ecclesiastico expositum est an et quando iurisdictio voluntaria vel contentiosa in alieno territorio exerceri possit [1].

Caeteras potestatis iurisdictionis divisiones omittimus: de his vide in tractatu de iure publico ecclesiastico.

TITULUS II.

De modis quibus Clerici acquirunt iurisdictionem ecclesiasticam.

Modi quibus Praelati ecclesiastici iurisdictionem acquirunt dupliciter distinguuntur: alii enim modi dicuntur *ordinarii,* alii vero *extraordinarii.* Sit igitur

CAPUT I.

DE MODIS *ORDINARIIS* QUIBUS CLERICI ECCLESIASTICAM IURISDICTIONEM ACQUIRUNT.

9. Iuxta dicta in tractatu de iure publico ecclesiastico etiamsi iurisdictio ecclesiastica per *mandatum* accipiatur, attamen qui in Ecclesia Primatum habet iurisdictionis non per cuiusvis mandatum, sed immediate divino iure, designata tamen humano iure persona, potestatem iurisdictionis sortiri debet.

Quapropter in praesentiarum est dicendum *a*) quomodo iure humano ecclesiastico S. Pontificis persona designetur, *b*) quomodo aliis Episcopis ac Praelatis inferioribus iurisdictio demandetur.

ARTICULUS I.

Quomodo iure canonico Romani Pontificis persona designetur.

Videbimus *a*) quinam ius habeant electionis, *b*) quinam et quomodo eligi debeat in R. Pontificem.

Ad primum quod attinet duplex quaestio est secernenda, nempe *quaestio facti,* ac *quaestio iuris.* In 1ª. quaerimus ad quos de facto

[1] Solieri, De iure publico ecclesiastico, lib. 1, tit. 1, cap. 2.

pertineat iuris dispositione R. Pontificem eligere; in 2.ª quo iure hi ad electionem procedant.

10. Post B. Petrum ab ipso Christo Domino electum non semper fuit in Ecclesia eadem disciplina. — Sufficiat argumentum historice leviter tangere.

Antiquitus usque ad 5 saeculum (467 quo Simplicius Pont. electus est), praesente ac testimonium dicente populo, tum clerici suffragio, tum Episcoporum iudicio R. Pontifices electi sunt. Vacante autem Romana Sede, Romanus clerus in gravioribus totius Ecclesiae negotiis consulebatur.

11. Post saeculum 5 et Imperatores, maxima contra Ecclesiam iniuria, sibi ius vel confirmationis vel etiam electionis arrogarunt. Ita v. gr. Odoacer rex Herulorum qui, Augustolo devicto ac Romano Imperio occidentali collapso, Italia potitus fuerat, Romano Pontifice Simplicio demortuo, iussit ut novus non eligeretur Pontifex citra eius consensum [1].

Ita Theodoricus Gothorum rex Odoacris victor et successor sibi electionis R. Pontificis ius arrogavit.

Imo ipse Iustinianus Gothis ab Italia pulsis, cum Roma poti-retur, ius confirmandi electionem R. Pontificis sibi arrogavit. Verum R. Pontifices ac clerus Senatusque Romanus Imperatoribus fortiter obstiterunt. Hinc Symmachus Simplicii Pontificis successor in Conciliis Romae habitis (an. 499) Odoacris legem aboluit et damnavit. Contra Theodoricum ad maiora mala vitanda statutum est inter partes quod Rex iure confirmationis contentus esset.

Post autem Iustinianum necessitatis causa ad maiora mala avertenda, concessum est absque simoniae labe et ad iniustam vexationem redimendam ut Pontifex noviter electus summam pecuniae certam Imperatoribus solveret. Quod perduravit usquedum, Gallis devictis, Roma graecis Imperatoribus subiecta est.

12. Tunc enim Constantinus Pogonatus an. 668 ad thronum Constantinopolitanum evectus, pristinam ecclesiae libertatem restituit,

[1] Baronius ad an. 483. - Cf. Vecchiotti Inst.

quod nempe Romanus Pontifex a clero et populo et exercitu civitatis Romae electus sine ulla foedissimi tributi solutione et sine ullo Imperatoris aut Exarchae consensu, statim ordinaretur.

Ceterum hoc Imperatoris decretum eamdem in imperio fortunam Imperatorum fraude non obtinuisse, historicis documentis constat.

13. Probabiliter Zacharias Pontifex 1us fuit qui sine ulla Imperatoris confirmatione Ecclesiae administrationem suscepit, (alii dicunt quod primus fuit Ioannes V qui primus electus est post decretum Pogonaticum) et a quo tempus est computandum quo Imperatores omnino ab electione R. Pontificis exclusi sunt.

Exclusis proinde Imperatoribus R. Pontifex ab universo clero, praesente Senatu et populo eligebatur; tamen Senatus et populus nonnisi de eligendi vita testimonium reddebant, ius vero electionis ad clerum pertinebat, imo et Episcopi si qui aderant cum praerogativa suffragii admittebantur.

14. Verum ex tali eligendi ratione schismata ac gravia mala Ecclesiae contigisse historia docet.

Quare iam Nicolaus II in Romano conventu Lateranensi an. 1059 Cardinalibus Episcopis eligendi R. Pontificem potestatem fecit, ita tamen ut et cleri, et populi consensus accederet.

Alexander III ad schismata vitanda in Concilio Lateranensi [1] decretum edidit, quo statuebatur quod ille esset electus qui a duabus partibus Cardinalium fuisset electus.

Quo decreto iuxta nonnullos et clerus et populus ab electione Pontificis exclusus est, iuxta alios vero consuetudo incoepit qua tandem aliquando R. Pontificis electio ad R. Ecclesiae Cardinales reservata est. Quae hodierna est Ecclesiae disciplina.

15. Non est praetereundum quod Sede Apostolica vacante Austriae ac Galliarum Imperatores, nec non Lusitaniae ac Hispaniarum Reges, aliquot ab hinc saeculis ius *exclusive* exercuerunt; nempe manifestandi sibi minimum acceptum fore si talis Cardinalis S. Pontifex eligeretur.

[1] Cap. 6 de elect.

Quod toleratum est ad dissidia et scandala vitanda inter eos et Apostolicam Sedem.

Ceterum notat Card. Pallavicini in vita Alexandri VII non una vice iusta de causa factum esse, ut ille eligeretur quem Imperatores vel Reges repudiaverant.

16. Ad iuris autem quaestionem quod attinet, iam patet quod cum nihil iure divino hac in re statutum sit, determinare quinam ad electionem ius habeat, nonnisi iuris Ecclesiastici res esse potest. Et quia iuris ecclesiastici in Ecclesia prima fons est ipse Romanus Pontifex, hinc iure merito R. Pontifices successoris electionem vel opportunis legibus moderati sunt, vel in rationales consuetudines consentierunt. Quare nulla est in orbe universo potestas sive ecclesiastica, sive civilis, quae aliquod ius vel electionis, vel confirmationis vel exclusivae sibi absque iniuria vindicare possit praeterquamquod si et eo modo quo iure canonico ei concessum sit.

17. Sed quinam et quomodo in R. Pont. eligi debet?

Quoad primum quilibet eligi potest nisi ius naturale vel divinum illum inhabilem faciat sine ulla exceptione ordinis, vel aetatis, aut nationis.

Neque genuini videntur Gratiani canones 3 et 4 dist. 79, quibus dicitur ius electionis passivae solis presbyteris ac diaconis Cardinalibus reservatum fuisse *a*) quia in can. 1 apud Gratianum ac decreto Nicolai II in Conc. Lateranensi dist. 23 saltem haec disciplina temperata est, cum dicatur eligendum esse in Ecclesia Romana Pontificem si idoneus reperiatur, alioquin et in alia Ecclesia *b*) quia de facto constat R. Pontifices electos fuisse et qui Cardinales non erant prouti Eugenius III, Gregorius X, Coelestinus V.

Imo omnes canonistae conveniunt quod et laicus per se eligi posset, quod exemplo Ioannis XIX aut XX qui suffectus est adhuc laicus Benedicto VIII R. Pontifice et eius fratre germano praemortuo.

Item nulla certa aetas statuta est: ita Ioannes XII electus est qui nondum plenam pubertatem explevit, et Benedictus IX vix viginti annorum.

Caeterum, ait Benedictus XIV, cum in coetu S. R. E. Cardinalium non desint qui S. Pontificis dignitatem, et officium recte administrare possint, congruum idcirco est ut ex iis Pontifex assumatur. Et revera talis est vigens Ecclesiae disciplina legitima introducta consuetudine.

18. Quoad secundum autem iam Gregorius X in Concilio Lateranensi II anno 1274 [1] leges statuit quibus Cardinales R. Pontificem eligere debent; alia statuerunt Iulius II, Paulus IV et praesertim Gregorius XV in const. *Decet Romanum Pontificem,* et in altera *Aeterni* et in libello cui titulus *Caeremoniale electionis S. Pontificis.*

Praeterea hac in re adest etiam constitut. Clementis XII. *Apostolatus,* nec non Urbani VIII *ad Romanum* [2].

Praemonitis de obitu Pontificis Cardinalibus absentibus per literas particulares a Secretario Sacri Collegii subscriptas [3], iisdem per decem dies expectatis [4], Cardinales praesentes convenire debent ad eligendum in loco clauso, idest in conclave.

Forma electionis esse potest per scrutinium, per compromissum [5] et per acclamationem hoc est per quasi inspirationem.

Scrutinium fit per schedulas clausas et signatas signo Cardinalis electoris, in quibus et electi et electoris nomen scriptum sit.

Schedulae, praemisso ab electore iuramento se optimum opinione sua elegisse, deponuntur singillatim in calice, eaeque a tribus Cardinalibus scrutatoribus sorte ante scrutinium extractis colliguntur. Si qui vero sint infirmi, eorum schedulae in capsula a scrutatoribus palam clausa a tribus aliis Cardinalibus sorte pariter extractis recipi debent.

Schedulis numeratis et publicatis, is electus habetur in quem duae tertiae electorum partes consenserint. Quod si eiusmodi con-

[1] De elect. in 6 cap. ubi periculum.

[2] Cfr. Riganti Comment. ad cap. 16 Cancell. t. 9, § 5. Constitutio Pii IV *In eligendis* 8 Oct. 1562.

[3] Cfr. Ferraris verbo *Papa,* art. 1, n. 25.

[4] Cfr. citatam Constitutionem Pii IV.

[5] Cfr. de hac re Fagnanum in cap. VIII *De elect.*

sensus nondum habeatur, integrum fit electoribus variare pro una vice suffragium *accedendo* ad alium quem malint, *eoque accessu* peracto, schedulae omnes a tribus aliis Cardinalibus sorte item electis recognoscuntur et deinde comburuntur [1].

Scrutinia donec electio perfecta sit bis quolibet die fiunt.

Qui has leges infregerit, aut de iis quae gesta sunt secretum violarit, ipso facto in excommunicationem incidit.

19. Electus autem Pontifex nullius indiget confirmatione uti patet; si autem omnes ordines sacros non habeat, uti ex. gr. si Episcopus non sit, *consecratur;* et vis consecrationis est ut ordinis potestatem obtineat.

Tandem ad quamdam exteriorem solemnitatem *coronatur*. Ceterum ut patet omnino Rom. Pontificibus liberum est uti accipere ita etiam Summum Pontificatum dimittere; exemplo sit Caelestinus V.

ARTICULUS II.

Quomodo Episcopis ac aliis Praelatis iurisdictio ecclesiastica demandetur.

20. Iurisdictio ecclesiastica demandatur *electione* vel *postulatione* accedente *confirmatione* et etiam *consecratione*, si de iis agatur quae ordinis potestatem praeexigunt.

§ 1. — *De electione.*

21. In electione Episcoporum aliorumque praelatorum etiam quaestio *iuris* a quaestione *facti* secernenda est. Quoad primum ius eligendi Praelatos etiam Episcopos *iure proprio et originario* nonnisi ad R. Pontificem pertinere potest. Etenim quodlibet ius in Ecclesia vel vindicatur iure divino vel iure ecclesiastico. Iamvero solus R. Pontifex electionis ius *iure divino* sibi vindicat, et si ipsi Episcopi iure divino R. Pontifici subdunt in iurisdictione exercenda,

[1] Vide inferius *de accessu*.

multo magis a R. Pontifice pendere debent in ea sibi primitus vindicando. Quod si *iure*, saltem *ratione originis*, *delegato* omnes electores procedunt, nil mirum si varia fuit Ecclesiae disciplina, et si R. Pontifices aliquando sibi electionis ius reservaverunt.

22. At si facti quaestionem consideremus, oportet ut inter Episcoporum aliorumque praelatorum electionem distinguamus. Etenim quoad Episcopos non una fuit Episcoporum eligendorum ratio in Ecclesia si historiam Ecclesiasticam consulamus.

Etenim usque ad saeculum quintum ad Episcopos eligendos et clerus et populus [1] vocatus est, ita tamen ut ad clericos verum suffragium pertineret, ad populum vero testimonium reddere si quod impedimentum vel legibus, vel moribus eligendi obstaret.

Divisis dioecesibus clero ius electionis reservatum est de cuius Episcopo eligendo negotium erat.

23. Neque videtur dicendum cum clariss. Aichner quod post Nicaenum concilium primum vi cuiusdam canonis eiusdem concilii, qui refertur [2], populus reiectus fuisset ab electione Episcoporum. Si quidem ait Berardi, 1) historia constat quod et post Nicaenum Concilium populus admissus fuit, 2) et insuper canon Nicaenus non de electione, sed de consecratione Episcoporum agit, cum praesertim contra Meletium latus sit, qui pro arbitrio et schismatice Episcopos consecrabat.

24. Saeculo 5°. revera populus ab Episcopis eligendis reiectus est, at vice populi honoratiores ac populi proceres admissi sunt et praesertim Reges iuxta quod iam canonibus Laodicenis [3] statutum fuerat. De quo ipse Iustinianus testificat in Novell. 123 cap. 1. Quod tamen in abusum recidit, praesertim ubi Reges Episcopis civilis potestatis investituram concedebant. Investiturae enim occasione Reges sese immiscere coeperunt in eadem Episcoporum electione [4].

[1] Can. 26 et 28, caus. 16, quaest. 1.

[2] Can. 1, dist. 64.

[3] Can. 6, dist. 63.

[4] Cf. Zallinger l. 1, t. 5, § 224 et sqq.

25. Quare in Oriente post concilium Nicaenum II (vi canonis 22), in Occidente post saeculum 12 laici omnino ab electione Episcoporum exclusi; non autem opera Innocentii II in Concilio Lateranensi uti nonnulli suspicantur, sed potius contraria consuetudine.

Imo cum hisce temporibus clerici in duas classes distincti fuerint, nempe in canonicos qui titulo Beneficii ordinabantur ac simplices presbyteros qui ordinationem tituli patrimonii sacri recipiebant, in primis Canonici omnes, et postea Canonici solum Ecclesiae cathedralis sibi ius electionis reservarunt [1] quod legibus latis firmatum est.

En ratio cur in decretalibus Gregorii IX ac in Sexto Bonifaciano saepe de Episcoporum electione agitur, quae ad canonicos pertinet.

26. Verum ut satius ad Episcoporum electionem procederetur, neve litibus et contentionibus electiones retardarentur aut frustrarentur, Romani Pontifices iure merito sibi Episcoporum electiones reservare coeperunt.

Et in primis Clemens V sibi Episcoporum electionem reservavit, si Episcopatus in Romana Curia vacaret [2]. Quod confirmarunt et Benedictus XII [3] et Ioannes 22 [4].

Insuper ipse Clemens V sibi reservavit electionem Episcoporum quando Ecclesia cathedralis clero et populo christiano careret [5].

Benedictus XI sibi reservavit consensum quoad 4 ecclesias patriarchales [6].

Tandem lata est regula 2 Cancellariae Apostolicae, qua omnes Episcopales Ecclesiae Sedi Apostolicae reservantur.

Verum notandum est 1) quod ius electionis sibi reservaverunt

[1] Cap. 5 de caus. possess. et prop.

[2] Extrav. 3 de praeb. inter communes.

[3] Extrav. 1 eodem.

[4] Extrav. 4 inter communes.

[5] Clement. 5 de elect.

[6] Extrav. 3 de elect. inter communes.

Romani Pontifices solum quoad Episcopos; quoad alios inferiores praelatos firmae sunt leges canonicae latae a saeculo 12 quibus ius electionis ad Capitulum pertinet.

2) Regula 2ª Cancellariae Apostolicae non ubique demandata est, cum nonnullis in locis ad capitulum Ecclesiae Cathedralis ius electionis maneat.

3) Quod aliis in locis Principibus saecularibus ius nominationis vel praesentationis conceditur iuxta concordata, accedente tamen R. Pontificis adprobatione.

4) Aliis in regionibus praesertim S. C. de Pr. Fide subiectis, locum habet ius commendationis diverso modo tamen in locis ubi Hierarchia Ecclesiastica constituta est, ac ubi erecta non est, diverso modo quoad Ecclesias occidentales ac quoad orientales.

Sane generaliter loquendo in locis quae S. Congregationi Fidei Prop. subiiciuntur et in quibus hierarchia ecclesiastica est constituta Archiepiscopus ac Provinciae Episcopi Sacrae Congregationi tria nomina proponunt quos inter Summus Pontifex si dignum inveniat, unum eligit. In nonnullis tamen locis non modo Episcopi cum Archiepiscopo, sed et Clerus etiam huius negotii fit particeps. Sane in collectanea S. Congregationis Fidei Propagandae decreta lata sunt servanda in electione Episcoporum Hiberniae, Angliae, Hollandiae, Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis, Regionum Canadensium, Austriae, et Scotiae. Utile putamus ut huiusmodi decreta hic referamus [1].

[1] Siquando nova aliqua Dioecesis vel Vicariatus aut Praefectura erigenda Sac. Congregationi proponitur, ii ad quos de iure pertinet sequentia exponere debent: 1. Breviter disctinteque quae ad Missionis catholicae initia ac progressum in regione, de qua sermo est, referuntur. 2. Confinia territorii, quibus nova Dioecesis, Vicariatus, vel Praefectura contineri debet: et, ut clarior terminorum delineatio praebeatur, chartae corograficae etiam coloribus distinctae, ac, siquidem haberi valeant typis editae, adiungantur. Qua in re quantum fieri potest cavendum, ne montium series vel fluminum cursus, vel gradus longitudinis aut latitudinis tamquam limites assignentur; at potius curandum erit, ut integri districtus, ubi homines eadem lingua eodemque civili gubernio utuntur, intra terminos praedictos claudantur. Quamvis enim compertum sit, aliam divinarum, aliam humanarum rerum rationem esse,

27. In primis quoad Hiberniam anno 1829 sub die 17 Octobris S. C. Prop. Fidei hoc edidit decretum « Cum ad gravissimum electionis Hiberniae Episcoporum negotium rite sancteque absolvendum certam aliquam methodum ubique in eo Regno servandam statuere in primis opportunum esse S. C. intellexerit, qua fieret, ut

adeoque Ecclesia in Dioecesum aut Vicariatuum limitibus constituendis vel immutandis civilium regnorum divisiones sequi non consueverit; nihilominus ad eas nonnumquam accedere non renuit, quoties opportunius et commodius sacri ministerii exercitium id requireret. 3. Exprimatur numerus civitatum, oppidorum et locorum, qui in tractu regionis, de quo agitur, extant; nec non numerus incolarum eorumque origo; insuper qua indole sint comparati, quaeque spes affulgeat progressus evangelicae praedicationis inter ipsos. 4. An in territorio adsint haeretici vel schismatici, et an eorum errores sint valde diffusi. 5. An et quo numero existant inibi scholae aliave instituta ab acatholicis vel infidelibus erecta. 6. An libere posit per ea loca praedicari et exerceri catholica fides, et an et quae impedimenta obstent progressui religionis, sive ex parte civilis gubernii, sive ex parte haereticorum vel schismaticorum aut paganorum. 7. Exprimatur numerus catholicorum et quinam eorum mores, et num fidem et observantiam sanctae Religionis practice servent. 8. An iidem catholici habeant media providendi expensis divino cultui necessariis. 9. An reperiantur consociati in aliquibus territorii tractibus, vel contra ita per totam regionem dispersi inter acatholicos aut infideles, ut difficile admodum evadat operariis evangelicis exercere ministerium ecclesiasticum inter ipsos. 10. Qua in urbe vel loco constituenda proponatur residentia Episcopi, Vicarii, vel Praefecti Apostolici; atque utrum et in quo statu adsit inibi ecclesia et domus, in qua novus praesul commorari debeat. 11. Indicetur numerus et status ecclesiarum et sacellorum, quae in territorio erecta sunt; num sint sacris supellectilibus necessariis instructa, et utrum saltem in praecipuis ecclesiis vel sacellis decenter asservari possit Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum: an illa, in quibus residere debeant missionarii, habeant coniunctum presbyterium, aut saltem in iisdem locis conveniens mansio pro sacerdote procurari possit: denique an praedictae ecclesiae aliquos redditus vel oblationes habeant, et quas; et qua ratione administrentur. 12. Qui redditus vel praestationes assignari possint Episcopatui, Vicariatui, vel Praefecturae, et quo modo per eadem provideri valeat sustentationi Praesuli et missionariorum. 13. Utrum obtineri possint subsidia a civili Gubernio ad fabricam ecclesiarum, victum sacerdotum et dotationem piorum quorumcumque operum, salva libertate et independentia Ecclesiae. 14. Quot missionarii in promptu sint ut deputentur ad pascendos fideles, qui in territorio praedicto commorantur; ad quam gentem pertineant, quot linguas calleant, et a quanto tempore morentur in missionibus. 15. An

Sedes Apostolica exploratam notitiam habere possit meritorum sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur ut ad aliquem Hiberniae Episcopatum eligantur, eadem S. C. postquam diu multumque de ea re definienda cogitavit, in generali tandem conventu die 1 Iunii 1829 referente Emo et Rmo D. Mauro S. R. E. Cardinalis Cappellari S. C. Praefecto, censuit ac decrevit methodum in toto Regno Hiberniae super ea re servandam in posterum, esse debere eam, quae hic describitur.

Sede aliqua Episcopali, sive per Antistitis obitum, translationem, aliamve ob causam in posterum vacante, Vicarius iuxta formam a sacris Canonibus praescriptam, constituatur, qui Dioecesi viduatae, durante vacatione, praesit. Metropolitanus Provinciae, ubi vacatio contigerit, simul atque de vacatione, et Vicarii electione certior factus fuerit, litteris mandatoriis Vicario edicat, ut in diem vigesimum a dato edicto in unum convocet omnes, ad quos pertinebit Summo Pontifici commendare tres dignos ecclesiastici ordinis viros, quorum unus a Summo Pontifice Dioecesi vacanti praeficia-

adsint sacerdotes indigenae, et quae utilitas ex cooperatione ipsorum ad fidem conservandam vel diffundendam sperari possit. 16. An adsint cathechistae et quidem eo numero, qui sufficiat ad subsidium ferendum sacerdotibus in cura populi christiani, et an necessaria instructione praediti sint. 17. An aliquod regulare Institutum sive virorum sive mulierum introductum fuerit in regionem, de qua sermo est; num habeat convenientem domum, quod ministerium exerceant religiosi viri, qui ad ipsum pertinent, et an edocendae iuventuti dent operam. 18. An sine gravi difficultate seminarium clericorum erigi, et necessaria praesidia ad iuvenes alendos, religiose educandos, et disciplinis esclesiasticis instituendos comparari possint; vel sàltem constitui valeat locus aliquis, in quo iuvenes idoneam institutionem habeant ut sacerdotio initientur; aut demum, ceteris deficientibus, an spes sit idoneos iuvenes mittendi ad seminarium praesertim vicinioris alicuius missionis, ut ecclesiasticam educationem in eo recipiant. 19. An adsint scholae catholicae vel convictus sive masculorum sive feminarum praesertim indigenarum, et utrum in eis admittantur personae diversae communionis vel cultus: demum an in casu, quo adhuc omnino desint, an facile aperiri possint. 20. Innuatur an in territorio erectae sint aliquae Confraternitates, Hospitalia, Orphanotrophia, Cathecumenatus, aliave pia loca, an uti par est regantur et quibus subsidiis, et an ab ecclesiastica auctoritate exclusive dependeant.

tur. Qui sint ii qui convocari debent, quae forma in convocando, et regendo conventu servanda sit, habetur ex sequenti expositione.

Qui in Hibernia nuncupantur Parochi, scilicet clerici ad Ordinem sacerdotalem evecti, censurarum immunes, quique parochiae seu parochiarum unitarum actuali ac pacifica possessione gaudeant, ad comitia convocandi sunt; ubi vero adest Capitulum convocabuntur cum parochis etiam canonici; Vicarius, edicto Metropolitani accepto, intra octo dies, singulos presbyteros supra designatos, litteris scriptis, admonebit, ut loco quodam opportuno, in eadem monitione nominatim exprimendo, adsint die in edicto Metropolitani statuto, ad tractandum de negotio ibidem descripto. Metropolitanus ipse, vel unus de suffraganeis eius Episcopis ab ipso delegatus Comitiis praesidebit, et nulla prorsus et invalida habenda sunt ibidem acta, et statuta, non servata forma supra definita, sive in convocando, sive in moderando conventu. Parochis ceterisque de quibus supra, die et loco statutis mane in unum congregatis, Missa solemnis de Spiritu Sancto celebretur: Missaque finita, Praeses super sedile in medio Ecclesiae ascendet, omnibusque, quorum nihil interest, exire iussis, foribusque Ecclesiae clausis, Vicarius catalogum nominum parochorum et canonicorum, si adsit ibi Capitulum, Dioecesis vacantis Praesidi tradet, qui eorumdem nomina clara ac distincta voce a Secretario suo recitari mandabit, et unicuique eorum, postquam nomini responderit, sedem propriam assignabit. Si unus, aut plures parochi absint, Praeses a Vicario probationem exquiret absentibus sine fraude edictum fuisse, et tali probatione admissa, absentia cuiusvis numeri, modo quarta pars totius parochorum numeri adsit, nihil obstabit, quominus rata et valida sint quae in Comitiis gerantur.

Idem servandum erit circa canonicorum numerum in Dioecesi in qua Capitulum adest. Parochis ac canonicis qui Vicarii monitioni, sive propter adversam valetudinem, aliamve ob causam parere non valeant, liberum erit suffragia sua propria ipsorum manu scripta, involucro sigillato inclusa, et extrinsecus ad Praesidem directa cuivis alii parocho vel canonico eiusdem Dioecesis confidere, et suf-

fragio sic habito et probato, eadem inerit vis, ac si parochus aut canonicus ipse praesens adesset, modo litterae certificatoriae de adversa eius valetudine a duobus artis medicinae peritis subscriptae ad Praesidem transmittantur. Insuper parochus iste vel canonicus, priusquam suffragium, modo supra descripto, ferat, eamdem declarationem emittet, quam ceteri parochi ac canonici inter comitia emittere coram Praeside debebunt eiusque declarationis coram duobus parochis vel canonicis emissae probatio in medium erit proferenda coram Praeside, antequam suffragium admittatur. Comitiis ita compositis, ac Praeside tractanda proponente, duo Scrutatores, iuxta consuetas Canonum formas, eligantur. Dein Suffragatores ad urnam supra mensam positam singuli accedant, et clara altaque voce, tactis simul manu pectoribus, coram Deo, pro se quisque, affirment, se neque gratia, neque favore inductos ei suffragaturos, quem dignum iudicent, qui Dioecesi vacanti praeficiatur. Postea, suffragio in urnam immisso, singuli ad propriam sedem recedent. His peractis, clara altaque voce a Scrutatoribus ad Praesidem, et a Praeside ad conventum renuntianda sunt nomina trium eorum sacerdotum, in quos maior suffragiorum numerus convenerit. Tunc Praeses narrationem authenticam in scriptis redactam, parari coram Comitiis, eiusdemque duo exemplaria a seipso, et Secretario atque scrutatoribus subsignanda exscribi curabit. Ex istis exemplaribus alterum Vicario tradendum, qui idem ad Sedem Apostolicam transmittat: alterum vero Metropolitano, cuius munus erit idem ad suffraganeos suos Episcopos in unum congregatos referre. Quaecumque iura, privilegia, et munera supra recensentur tamquam Praeside Conventus propria, eadem Sede Apostolica vacante, seniori Provinciae suffraganeo communicari volumus.

Episcopo provinciae, Praeside Metropolitano, aut ipsius defectu seniori Provinciae suffraganeo, in unum congregatis, et narratione authentica supra memorata coram ipsis prolata, de eadem coram Deo iudicium sententiamque ferent. Praeses Episcoporum suffraganeorum sententiam de meritis trium sacerdotum, qui Sedi Apostolicae commendantur, litteris consignatam, uniuscuiusque Episcopi

et Praesidis manu subscriptam, sigilloque munitam ad Sedem Apostolicam transmittet. Semel peracta commendatione, si Episcopi iudicaverint tres illos commendatos minus dignos esse, quorum unus ad Episcopatum promoveatur, tunc, quin detur novae commendationi locus, Summus Pontifex pro sua sapientia, viduatae Ecclesiae providebit.

Si agatur de Episcopo Coadiutore cum iure successionis cuivis Episcopo assignando, eadem quae, Sede vacante, commendandi forma servanda est, cauto tamen varia privilegia, iura, et munera Metropolitano, aut seniori Episcopo suffraganeo iam attributa, ad Archiepiscopum, aut Episcopum cui Coadiutor assignandus est, unice pertinere, illaeso tamen servato iure Metropolitani, quando suffraganei eius Episcopi ad ferendum suffragium convenerint. Tandem quicumque Sedis Apostolicae approbationi commendentur, cives sint indigenae Hiberniae, Serenissimo Imperii Britannici Regi fidelitate incorrupta obstricti, morum integritate, pietate, doctrina, ceterisque quae Episcopum decent, dotibus insigniti.

Haec sunt quae in commendandis Sedi Apostolicae sacerdotibus pro Episcoporum Hiberniae electione S. C. servanda praescripsit: ea vero decernens significari omnibus voluit, in documentis de hac re pertractantibus, ad S. Sedem transmittendis nihil inveniri debere, quod electionem, nominationem, postulationem innuat, sed simplicem commendationem: memorata praeterea documenta esse debere iussit in forma supplicis libelli ita concepti, ut inde pateat nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi unum ex commendatis.

Declaravit denique S. C. salvam semper atque illaesam manere debere Sedis Apostolicae libertatem in eligendis Episcopis, ita ut commendationes lumen tantum, et cognitionem S. C., nunquam tamen obligationem sint allaturae.

Anno autem 1835 die 25 Aprilis ad Archiepiscop. Dublin. S. C. de Prop. Fide hanc scripsit Epistolam « Initum a S. Congregatione consilium ut certam methodum in regno Hiberniae servandam decerneret circa sacerdotes commendandos Apostolicae Sedi quando agitur

de episcoporum electione, in eo totum versatum est ut, memorata methodo accurate servata, Apostolica Sedes exploratam notitiam habere possit meritorum sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur. Quare Sacra Congregatio in decreto quod die prima Iunii an. 1829 ea de re factum fuerat, ac die 17 Octobris eiusdem anni promulgatum est, declaravit mentem suam esse ut commendationes illae lumen tantum ac cognitionem sibi compararent circa eos inter quos Apostolica Sedes episcopos est electura. Voluit quidem dioecesanum clerum consuli atque eiusdem opinionem circa sacerdotes commendandos per secreta suffragia requiri. Id autem ea tantum de causa factum est, ut Sanctae Sedi constaret quinam praecipue sacerdotes aestimationem obtineant cleri dioecesani, et tale testimonium consequantur ex quo intelligi possit eos apud dioecesanum clerum ad episcopatum consequendum idoneos censeri. Hoc vero unico scrutinio fieri posse manifestum est et revera decreti superius memorati contextus hic est, ut in uno tantum scrutinio res peragatar atque ex eo scrutinio constet quinam sint tres sacerdotes in quos maior suffragiorum numerus convenerit.

Ad S. Congregationis notitiam nuper pervenit in aliquibus Hiberniae dioecesibus hoc obtinuisse ut in conventibus qui habentur a clero dioecesano ad sacerdotes S. Sedi commendandos ex quibus episcopus aliquis eligatur, non unum scrutinium sed tria fiant. Intelligens S. Congregatio hinc evenire posse, ut non tres praestantiores ex clero, sed unus revera commendetur atque ei duo alii veluti ad formam tantum adiungantur meritis omnino inferiores, cupiens praeterea eadem S. Congregatio ubique in Hibernia eamdem methodum circa eiusmodi commendationes servari, scribendum iudicavit Amplitudini Tuae hanc epistolam caeteris Archiepiscopis communicandam, ut in dioecesibus omnibus Hiberniae constet unicum scrutinium in conventibus cleri peragendum esse ad tres sacerdotes Sanctae Sedi commendandos antequam ipsa deveniat ad episcopi alicuius Hiberniae dioecesis electionem, et hunc verum decreti diei 1 Iunii 1829 sensum esse.

28. Quoad Angliam decretum a S. Congregatione latum est anno 1852 die 21 Aprilis. Ut ecclesiae noviter per Sanctissimum D. N. in Angliae regno constitutae magis in dies floreant, iisdemque Antistites iugiter praeficiantur qui vitae probitate, doctrina, zelo ac prudentia spectatissimi existant, peropportunum visum est si ab ecclesiasticis viris qui sacris obeundis muneribus inter alios praestiterint, potissimum vero testimonio Episcoporum pro tempore existentium, nonnulli Apostolicae Sedi commendentur ex quibus eadem ad episcopalem gradum, quem magis idoneum censuerit eligere valeat.

Commendatio vero huiusmodi tanti momenti esse noscitur, ut inspectis animadversionibus ab Emo et Rmo D. Nicolao S. R. E. Card. Wiseman, ac RR. PP. DD. Episcopis Angliae redditis, ac re accurate perpensa, S. C. de Prop. Fide in generali conventu habito die 5 Aprilis 1852 peculiari instructione methodum proponendam censuerit.

Cum Episcopus est constituendus, capitulariter dignitarius et canonici illius ecclesiae conveniant, precibus de more praemissis ac praestito iuramento de secreto servando, tribus vicibus suffragia ferantur circa personas S. Sedi veluti digniores commendandas. Si in aliqua ex tribus vicibus in favorem nullius adsint suffragia tot numero quae excedant maiorem partem vocum, actus nullius momenti existat atque iterum suffragia ferantur.

Actus capitularis rite descriptus atque obsignatus, transmittendus erit ad Archiepiscopum vel ad suffraganeum antiquiorem, vacante sede archiepiscopali, vel si de commendandis ad ipsum archiepiscopatum agatur, ut coetus episcopalis, consiliis collatis circa tria nomina alphabetico nomine descripta, quae in singulis votationibus maiorem suffragiorum partem obtinuerint ad S. C. referant, suamque opinionem tradant, transmisso etiam ipso authentico capitulari actu.

Demum cum contingere aliquando possit ut canonici legitime impediantur ne ad capitulum, in quo huiusmodi fieri debet commendatio, accedant, censuit S. C. admittendos tunc esse eorumdem

procuratores ad effectum tantum tradendi schedam cum nomine et praenomine eligendi.

Ceterum animadvertendum ac declarandum censuit S. C. his omnibus contineri tantummodo commendationem, adeo ut quando necessarium vel opportunum videatur, Apostolica Sedes suo utatur iure alterum quoque praeter commendatos eligendi.

Cum vero haec omnia SS. D. N. Pio PP. IX. a S. Congregationis Secretario relata fuerint in aud. die 6 eiusd. mensis et anni, Sanctitas Sua benigne eadem probavit, ac servari decrevit, contrariis quibuscumque haud obstantibus.

In Congregatione vero generali 7 Iulii 1858 statuta est pro eligendis Episcopis Hollandiae seu Neeolandiae eadem methodus quae pro Episcopis Angliae.

29. Quoad Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis decretum a S. Congregatione latum est anno 1861 die 21 Ianuarii his verbis: « Quum ad Catholicae Ecclesiae utilitatem atque ad animarum salutem promovendam nil magis conferre compertum sit quam ut Dominico gregi sacrorum Antistites doctrina ac prudentia insignes praeficiantur, idcirco S. Sedes peculiare quovis tempore studium in negotio electionis Episcoporum adhibendum curavit. Quam utique in rem sapientissimae extant canonicae sanctiones, variae quidem pro varietate temporum ac regionum, at specialibus semper et temporum et locorum adiunctis accommodatae. Nil igitur mirum si pro foederatis statibus Americae Borealis, ubi novae passim efformantur civitates novaeque proinde tractu temporis Dioeceses ac Provinciae Ecclesiasticae instituuntur, Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando opportuna haud multis ab hinc annis ediderit decreta, quibus tales eligerentur pro vacantibus sedibus Episcopi, quales inibi catholicae Religionis status eiusque in dies progressus ac dilatatio postularent. Et sane laudatum S. Consilium die 18 Martii 1834 decretum edidit super methodo servanda in Episcoporum Dioecesium foederatarum Americae Sept. Provinciarum electione quod sic se habet:

« Cum ad Religionis incrementum in foederatis Americae Septentrionalis statibus procurandum in primis conferat, ut Episcoporum Dioecesium ibi statutarum electionis gravissimum negotium rite sancteque absolvatur; S. C. de Propaganda Fide valde opportunum esse ad hoc consequendum existimans, ut certa methodus ubique in illis Dioecesibus servanda statuatur, qua fiat, ut Sedes Apostolica exploratam notitiam habere possit meritorum sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur, in generali conventu die 18 Martii anno 1834 habito, et referente Emo et Rmo D. I. Antonio Sanctae R. E. Cardinali Sala, censuit ac declaravit in ea re esse servanda quae sequuntur.

« Cum aliqua Sedes Episcopalis vacaverit requirendum est Episcoporum omnium provinciae ecclesiasticae suffragium de sacerdotibus singulis, qui Sedi Apostolicae commendandi esse videntur pro nova Episcopi electione. Quoniam vero id in Concilio provinciali facillime et accurate fieri potest, si intra tres menses ab obitu Episcopi Concilium provinciale habendum est, expectanda erit Concilii celebratio antequam ad commendandos sacerdotes, qui Episcopatu digni censentur, ad S. Congregationem scribatur. In Concilio autem collatis inter se sententiis Episcopi statuant, quos sacerdotes S. Sedi commendent vere idoneos, et de Ecclesia benemeritos qui Sedes vacantes obtineant, vel coadiutoris officium suscipiant illius Episcopi qui auxilio coadiutoris indigere censeatur.

« Quod spectat vero ad casus quibus, prout superius statutum est, Concilii provincialis celebratio non ita proxima sit, ne Sedes Episcopalis aliqua diu vacet, primum hoc magnopere opportunum factu est, ut singuli Episcopi litteras subscriptas, et sigillo duplici munitas exemplo apud se habeant quibus contineantur nomina trium saltem sacerdotum quos idoneos arbitrentur ad Dioecesim regendam; hae autem litterae ita exterius obsignari debent, ut adveniente Episcopi morte Vicario generali tradendae esse intelligantur: Vicarius vero generalis alterum earum litterarum exemplum ad Archiepiscopum, alterum ad propinquiorem, vel ad seniorem duobus Episcopis propinquioribus deferendum curet. Eo litterarum

exemplo accepto Episcopus propinquior ad Archiepiscopum scribet suasque animadversiones adiiciet. Epistola Episcopi propinquioris ad Archiepiscopum delata, vel, si neglexerit is scribere, rationabili elapso temporis spatio Archiepiscopus ad omnes Episcopos ne propinquiori quidem excepto scribit, et nomina illa cum suis animadversionibus communicabit, aliorum etiam nominibus additis, si illi quos Episcopus designaverat Archiepiscopo idonei minime videantur. Post acceptas Archiepiscopi litteras, omnes Episcopi ad S. C. sine mora scribent suas sententias et suffragia de tribus illis, vel sex commendatis expososituri. Vacante Sede Metropolitana, litterae Archiepiscopi demortui nomina trium sacerdotum designantes a Vicario generali ad Episcopum propinquiorem, et ad suffraganeum Episcopum seniorem mittendae sunt; Episcopus autem senior suffraganeus faciet ea omnia quae de Archiepiscopo superius statuta sunt, ubi agitur de Episcopi electione. Quod si apud Episcopum vel Archiepiscopum demortuum litterae memoratae de trium sacerdotum designatione non reperiantur, Vicarius generalis Episcopum propinquiorem vel seniorem ex duobus propinquioribus de ea re certiorem statim faciet, ut Episcopus propinquior tria designet Sacerdotum nomina epistola ad Archiepiscopum mittenda. Archiepiscopus ea accepta ad omnes Episcopos scribet, et ea omnia fient quae iam indicata sunt circa agendi rationem tenendam ubi litterae Episcopi aut Archiepiscopi sacerdotum nomina ante mortem designantis fuerint repertae. Si Episcopus propinquior ad Archiepiscopum scribere neglexerit, Archiepiscopus ipse tria nomina sacerdotum suffraganeis omnibus, propinquiori non excepto, designabit, si agatur de Archiepiscopi electione, senior Episcopus suffraganeus faciet omnia, quae in Episcopi electione, ab Archiepiscopo facienda esse decretum est.

„ Quod pertinet ad electionem Coadiutorum, excepto casu quo Sedes Apostolica alia ratione agendum esse statuerit, Episcopus, qui coadiutorem petit, nomina trium sacerdotum Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis significabit, supplicem libellum de ea re ad S. C. mittet, et Archiepiscopus et Episcopi S. Congregationi mentem suam

de coadiutore eligendo communicabunt [1]. Haec sunt quae in commendandis Sedi Apostolicae sacerdotibus pro Foederatae Americae Episcoporum electione S. C. servanda praescripsit. Ea vero decernens notum omnibus esse voluit in litteris de hac pertractantibus ad S. Sedem transmittendis nihil inveniri debere, quod electionem aut nominationem praeseferat, ita ut etiam ex litterarum forma pateat nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi aliquem ex commendatis: salva enim manere debet et illaesa Sedis Apostolicae libertas in eligendis Episcopis; commendationes vero lumen tantum et cognitionem S. Congregationi non autem obligationem afferent.

« Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 14 Iunii 1834 ».

Huic autem Decreto Emi ac Rmi Patres Sacrae Congregationis in conventu generali habito die 10 Augusti 1850 et aliud addendum censuerunt sequentis tenoris:

« Sacra Congregatio de Propaganda Fide die 14 Iunii an. 1834. Decretum edidit, quod incipit: Cum ad religionis incrementum, inscribitur vero: De methodo servanda in Episcoporum Dioecesium foederatarum Americae Septentrionalis provinciarum electione. Cum vero deinde, Deo favente, dioecesium numero per illam regionem aucto, Ecclesias quae antea uni Metropolitae suberant, inter plures partiri necesse fuerit; aliquid supradicto decreto seu instructioni addendum visum est ut commendatio sacerdotum pro vacantibus Ecclesiis ea ratione fiat, quae cum nova illarum partitione, ac provinciarum statu cohaereat. Proinde S. C. in generali conventu die 10 mensis Iunii anni huius habito, referente infrascripto eiusdem Praefecto, omnibus mature perpensis, ratione quoque voti habita ea de re ab Episcopis exhibiti ex Concilio VII Baltimorensi; decre-

[1] In Congregatione Gen. Prop. Fid die 7 Aug. an. 1859 habita universim decretum est, quod cum dari debet Coadiutor alicui Archiepiscopo, consulendi sunt etiam omnes Archiepiscopi aliarum provinciarum, idemque potiori ratione faciendum cum agitur de novi Archiepiscopi electione.

vit ut in posterum, servatis quoad reliqua iis quae in supradicto decreto continentur, Archiepiscopus provinciae ad quam pertinet Ecclesia de novo Pastore providenda, commendationem sacerdotum qui proponuntur ad caeteros Archiepiscopos transmittat qui S. Sedi suam sententiam de sacerdotibus sic commendatis aperiant. Datum etc. ».

Mense tamen Augusti anni 1856 idem Sacrum Consilium Provinciis Ecclesiasticis Baltimorensi, S. Ludovici, Neo-Aurelianensi ac Cincinnatensi indulsit ut de commendandis candidatis pro sedibus vacantibus agatur in coetibus Episcoporum comprovincialium, addita tantum obligatione scribendi ad Metropolitanum vel Episcopum non comprovincialem quum res sit de candidatis a Provincia extraneis. In Comitiis vero generalibus die 7 Augusti 1859 et illud decretum fuit, ut cum novus Archiepiscopus vel Archiepiscopi coadiutor eligendus sit, omnes circa eiusmodi electionem foederatorum statuum Metropolitani consulantnr.

Porro etsi eiusmodi normas opportunissimas esse ac religiose ab Episcopis Foederatorum Statuum in praxim deductas fuisse constaret, nihilominus cum hinc adiuncta Sept. Americae graviora quotidie efficerentur, seduliorem que Pastorum Ecclesiae vigilantiam exquirerent, inde vero quae humana sunt mutari semper in melius valeant ac perfici ulterius, propterea Emi ac Rmi Patres S. Congregationis de Prop. Fide et alia quaedam supradictis Decretis addi opportune posse censuerunt, ex quibus sacerdotum ad Episcopatum in iis regionibus promotiones, quantum humana fragilitas patitur, omni prorsus exceptione maiores ac sub quolibet respectu optime oblineantur.

Quamobrem factum est ut Sacra haec Congregatio datis sub die 25 Maii 1854 literis ad omnes Foederatorum Statuum Archiepiscopos, ab iisdem petierit, ut quaecumque in sua sententia prodesse possent ad perficiendam hactenus vigentem in America Sept. rationem eligendi sacrorum Antistites, ea diligenter atque ingenue patefacerent.

Quandoquidem vero omnes ad unum memorati Archiepiscopi, prout singulis in Domino visum fuerat, responderint, Emi ac Rmi

Patres praelaudatae S. Congregationis in generalibus comitiis habitis die 21 Ian. huius anni diligens responsionum examen instituerunt, pluraque in eis sapienter dicta atque ad intentum finem non parum utilia invenerunt. Quibus omnibus mature perpensis, censuerunt quidem haud recedendum esse a Decretis supra relatis dierum 14 Iunii 1834 nec non 10 Aug. 1850 ac posterioribus declarationibus, quibus vigens per Americam electionum systema innititur, verum illis quae sequuntur adiicienda putarunt atque ab omnibus ad quos spectat S. Sedi proponere viros ecclesiasticos pro vacantibus Dioecesibus Foederatorum Statuum, stricte servanda mandarunt.

1. Omnes ac singuli Foederatorum Statuum Antistites tertio qnoque anno tum Metropolitano provinciae suae, tum S. Congregationi de Prop. Fide nomina sacerdotum exhibebunt, quos dignos atque idoneos ad munus episcopale obeundum existimaverint. Id vero secretissime praestabunt, ne forte cuiuspiam ambitio excitetur.

2. In notulis eiusmodi conficiendis maxima pro viribus utentur cura, ut de qualitatibus eorum qui commendantur certiores fiant.

3. Quum aliqua Sedes vacaverit sive episcopalis sive metropolitana, Antistites omnes ad quos pertinebit summo Pontifici commendare viros ecclesiasticos, ut eorum unus vacanti Ecclesiae praeponatur, in Synodum aut in specialem coetum convenient, ut proponendorum qualitates discutiant ad tramitem quaestionum quae hanc in rem typis impressae praesentibus litteris apponuntur.

4. Antequam vero praedictus conventus convocetur, ad Archiepiscopum vel seniorem provinciae Episcopum eorum nomina transmittentur, quos singuli Antistites commendandos esse putaverint.

5. Qualitates candidatorum publice in coetu Episcoporum discutientur, praesidente Archiepiscopo vel seniore provinciae Antistite: suffragia vero secreto in urnam immittentur.

6. Acta denique conventus ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide ab Archiepiscopo vel Episcopo provinciae seniore deferuntur.

Notandum: In Concilio Plenario Baltimorensi III quod a S. C. de Prop. Fide recognitum est decreto 21 Septem. 1885 haec statuta sunt:

1. Quando ob sedem vacantem proponenda sunt S. Sedi nomina eorum qui commendandi videantur pro dioecesi vacante, convocentur consultores et rectores inamovibiles praedictae dioecesis. Horum erit tria nomina eorum quos dignos iudicaverint Episcopis provinciae indicare, ut hi prae oculis habeant haec nomina in proponendis Sedi Apostolicae candidatis.

2. Consultoribus et rectoribus ita congregatis praesideat Archiepiscopus, vel si impeditus est, Episcopus suffraganeus eiusdem provinciae ab ipso delegandus; si vero de sede metropolitana vacante agatur, congregatis praesideat suffraganeus antiquior ratione ordinationis, vel eo impedito, alius Episcopus ab ipso delegandus.

3. Antequam ad suffragia ventum fuerit, consultores et rectores praedicti iurent se neque gratia neque favore induci ad suffragium ferendum. Huiusmodi autem suffragium erit secretum et consultivum tantum.

4. Praeses mittit verbale huius conventus, Secretarii subscriptione signatum, ad ceteros Episcopos et ad S. Congregationem.

5. Die constituta convenient Episcopi et nomina sic proposita, vel alia ab ipsis proponenda, iuxta Instructionem S. Congregationis die 21 Ianuarii 1861 datam discutient, et notulam trium candidatorum Sanctae Sedi exhibendam conficient. Quod si indicaverint nomina a clero proposita esse reiicienda, rationes suas Sacrae Congregationi exponere non omittant.

6. In reliquis omnibus praedictam Instructionem sequantur.

Quum vero agitur de designando Episcopo coadiutore cum iure successionis omnino serventur quae in regulis 1, 3, 4, 5, et 6 supra citatis enumerantur. Regula autem 2 sic immutabitur. Consultoribus et rectoribus ita congregatis praesidebit Archiepiscopus sive Episcopus pro quo coadiutor eligendus est; aut, si impeditus sit, Vicarius Generalis, vel alius sacerdos ab ipso delegandus. Episcopus

autem hoc in casu poterit, si velit, suggerere aut designare nomina eorum, qui ipsi pro hoc munere maxime accepti forent.

In electione Episcopi pro dioecesi noviter erecta observentur quae in regulis 2, 3, 4, 5, 6. supra praescribuntur. Regula autem 1 erit sequens: quando S. Sedi proponenda sunt nomina eorum qui commendandi videntur pro dioecesi noviter erecta, convocentur consultores dioecesis vel dioecesium, e quibus nova dioecesis formata est, et rectores inamovibiles novae dioecesis. Horum erit tria nomina eorum, quos dignos iudicaverint, Episcopis provinciae exhibere, ut ii prae oculis habeant haec nomina in proponendis Sedi Apostolicae candidatis.

Haec eadem norma pro electione Episcoporum extensa fuit ad dioeceses Canadenses in Congregatione Generali Fidei Propagandae 2 Dec. 1862.

30. Quoad vero Episcopos Australiae de eorum electione decretum latum fuit anno 1866 die 19 Maii hisce verbis: Quum ad Catholicae Ecclesiae utilitatem atque ad animarum salutem promovendam nil magis conferre compertum sit, quam ut Dominico gregi sacrorum Antistites doctrina ac prudentia insignes praeficiantur, idcirco S. Sedes peculiare quovis tempore studium in negotio electionis Episcoporum adhibendum curavit. Quam utique in rem sapientissimae extant canonicae sanctiones, variae quidem pro varietate temporum ac regionum, at specialibus semper et temporum et locorum adiunctis accommodatae. Nil igitur mirum si pro regionibus, ubi novae passim efformantur civitates, novaeque proinde dioeceses institutae sunt, atque in posterum instituendae praevidentur, Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando, certam methodum ac peculiaribus locorum conditionibus cohaerentem servari statuerit: qua Sedes Apostolica exploratam notitiam sacerdotum ad episcopale officium ac dignitatem promovendorum assequi valeat. In hunc porro finem a Sacro Consilio Chr. Nom. Prop. sub die 24 Ianuarii anni 1861 ad universos foederatorum Americae statuum Episcopos datae sunt literae, quibus optima methodus pro commendatione candidatorum ad episcopale munus eligendorum de-

cernitur atque sancitur. Quandoquidem vero magna Australiae regio in iisdem fere versatur adiunctis, quibus Status Borealis Americae inveniuntur, idcirco Emi ac Rmi Patres laudati Sacri Consilii in comitiis generalibus habitis die 20 Martii 1866 easdem normas ad Australiam extenderunt; quae quidem ad sequentia capita reducuntur.

1. Omnes ac singuli Australiae sacrorum Antistites tertio quoque anno tum Metropolitano provinciae suae, tum S. Congr. de Prop. Fide nomina sacerdotum exhibebunt quos dignos atque idoneos ad munus episcopale obeundum existimaverint. Id vero secretissime praestabunt, ne forte cuiuspiam ambitio excitetur.

2. In notulis eiusmodi conficiendis maxima pro viribus utentur cura, ut de qualitatibus eorum qui commendantur, certiores fiant.

3. Quum aliqua Sedes vacaverit sive Episcopalis sive Metropolitana, Antistites omnes ad quos pertinebit summo Pontifici commendare viros ecclesiasticos, ut eorum unus vacanti Ecclesiae praeponatur, in Synodum, si intra tres menses locum habeat, ut in specialem coetum convenient, ut trium saltem proponendorum qualitates discutiant ad tramitem quaestionum quae hanc in rem typis impressae praesentibus literis apponuntur.

4. Antequam vero praedictus conventus convocetur, ad Archiepiscopum vel seniorem provinciae Episcopum eorum nomina transmittentur, quos singuli Antistites commendandos esse putaverint.

5. Qualitates candidatorum publice in coetu Episcoporum discutientur praesidente Archiepiscopo vel seniore provinciae Antistite: suffragia vero secreto in urnam immittentur.

6. Acta conventus ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide ab Archiepiscopo, vel Episcopo provinciae seniore deferentur.

7. Quod pertinet ad electionem coadiutorum, excepto casu, quo Sedes Apostolica alia ratione agendum esse statuerit, Episcopus, qui coadiutorem petit, supplicem libellum de ea re ad S. C. mittet, eiusque habita venia, nomina trium sacerdotum Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis significabit, qui eidem S. Congregationi mentem suam de coadiutore eligendo communicabunt.

8. Cum in Australia provincias ecclesiasticas multiplicari contigerit, de commendandis candidatis pro sedibus vacantibus agetur in coetibus Episcoporum comprovincialium, addita tantum obligatione scribendi ad Metropolitanum vel Episcopum non comprovincialem quum de candidatis a provincia extraneis res erit.

9. Ubi vero novus Archiepiscopus vel Archiepiscopi coadiutor eligendus fuerit omnes circa eiusmodi electionem Australiae Metropolitani consulentur.

10. Omnibus denique notum esse debet in literis de supradictis rebus pertractantibus ad S. Sedem transmittendis, nihil inveniri debere quod electionem, nominationem, postulationem innuat, sed tantum proprie dictam commendationem, ita ut etiam ex litterarum forma pateat nullam in S. Sedem inferre obligationem eligendi aliquem ex commendatis: salva enim manere debet et illaesa Sedis Apostolicae libertas in eligendis Episcopis; commendationes vero lumen tantum et cognitionem S. Congregationi non autem obligationem afferent.

Notandum: In Concilio Plenario Australasiae, quod a Sacr. Congr. de Prop. Fide recognitum est decreto 1 Maii 1887, haec statuta sunt.

1. Episcopus iuxta facultatem a Sancta Sede acceptam non omittet, durante vita, scripto designare sacerdotem dioecesanum qui sede vacante eam administret. Si vero Episcopus in hoc negligens fuerit, Archiepiscopi Metropolitani erit pro suffraganeis sedibus Administratorem deputare, senioris vero Suffraganei pro archiepiscopali sede. Hic autem Administrator eligatur ex Consultoribus vel Rectoribus Parochialibus vacantis dioecesis.

2. Administratore convocante convenient ad cathedralem ecclesiam intra quindecim dies Consultores dioecesani et Rectores inamovibiles vacantis dioecesis qui secreto suffragio in scriptis tria nomina proponent ecclesiasticorum quos digniores et magis idoneos iudicaverint ad episcopale munus gerendum, ut Episcopi Provinciae ea nomina prae oculis habeant in proponendis Sedi Apostolicae candidatis.

3. Consultoribus et Parochialibus Rectoribus ita congregatis praesideat Archiepiscopus vel aliquis Episcopus suffraganeus ab ipso delegandus; si vero de Sede Metropolitana vacante agatur, congregatis praesideat suffraganeus consecratione antiquior, vel eo impedito alius Episcopus suffraganeus ab ipso delegandus.

4. Antequam ad suffragia ventum fuerit, Consultores et Parochiales Rectores iuramentum emittant se neque gratia neque favore adduci ad suffragium ferendum.

5. Verbale huius conventus, propria et secretarii subscriptione signatum statim mittet Praeses ad Provinciae Episcopos et debito tempore etiam ad S. C. de Prop. Fide.

6. Die constituta Episcopi Provinciae convenient et nomina a clero sic proposita vel alia ab ipsis proponenda, iuxta Instructionem S. Congregationis die 19 Maii 1866 datam discutient, et notulam trium candidatorum Sanctae Sedi exhibendam conficient. Quod si nomina a clero proposita haud probanda esse iudicaverint, rationes suas seu motiva S. Congregationi exponere non omittant.

7. Quoad cetera, praedicta Instructio S. C. in omnibus accurate servetur.

8. Si vero agatur de designando Episcopo Coadiutore cum iure successionis, die ab Archiepiscopo statuta convenient Consultores et Parochiales Rectores; praesidebit Archiepiscopus vel illo deputante Episcopus, pro quo Coadiutor eligendus est, vel utroque impedito alius suffraganeus ab Archiepiscopo deputatus. Quoad cetera norma supra tradita pro Episcopi electione vacante Sede observetur.

9. In electione Episcopi pro dioecesi noviter erecta, convocantur ab Archiepiscopo Consultores dioecesis vel dioecesium e quibus nova dioecesis formata est et Rectores Parochiales si qui sint in nova dioecesi. Quoad reliqua normam iam traditam sequantur.

31. Tandem pro electione Episcoporum in Scotia hoc decretum latum est a S. Congregatione Prop. Fidei anno 1883 die 25 Iulii. « Cum inde ab anno 1878 sub initio Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Leonis PP. XIII per Apostolicas eius Litteras *Ex Supremo Apostolatus apice* episcopalis Hierarchia in Scotia ex Sacrae

huius Congregationis consulto feliciter fuerit restituta, Sacra eadem Congregatio, ut gravissimum electionis Scotiae Episcoporum negotium rite sancteque in posterum absolvatur, certam aliquam methodum in omnibus illius regni dioecesibus servandum opportunum esse existimavit, qua fiat ut Sedes Apostolica exploratam notitiam habere possit de meritis sacerdotum, ex quibus qui magis idoneus censendus fuerit ad episcopalem gradum eligi valeat. Itaque in generali conventu habito die 18 Iunii 1883 S. Congregatio, omnibus mature perpensis, censuit ea super re methodum quae hic adscribitur esse in Scotia servandam. Sede aliqua episcopali vacante, atque Vicario sive Administratore iuxta normas a sacris canonibus generatim, vel ab Apostolicis Litteris sa: me: Benedicti XIV, pro locis Missionum speciatim praescriptas constituto, qui dioecesi viduatae, durante vacatione, praesit; convocatio fiet eorum, ad quos pertinebit commendare tres ecclesiasticos viros, quorum unus a Summo Pontifice, si ita ei visum fuerit, dioecesi vacanti praeficiatur. Et quidem, si in dioecesi vacante canonicorum Capitulum erectum non fuerit, Metropolitanus S. Andreae et Edimburgensis vel in ipsius defectu senior ex suffraganeis eius, conveniat cum Archiepiscopo Glasguensi (nisi agatur de vacatione ipsius Sedis Glasguensis, quae S. Sedi immediate subiecta est et suffraganeos non habet) relate ad diem et locum statuendum, quo primum omnes Episcopi adunari commode possint, et pro eo die omnes Episcopos convocabit. Ii vero una cum Archiepiscopo Glasguensi, omnes simul, si fieri possit, adunati, et praesidente Metropolitano seu in eius defectu Archiepiscopo Glasguensi, singuli suffragium tribus vicibus ferent, indicando nomina ecclesiasticorum virorum quos veluti candidatos ad sedem vacantem Apostolicae Sedi proponendos dignos esse in Domino existimaverint. Collatis vero suffragiis, referent in scriptis huic S. Congregationi nomina trium candidatorum, in quos maior suffragiorum numerus convenerit, simul indicando quo ordine ex pluralitate votorum iidem pro meritis sint recensendi, nec non notitias de singulis suppeditando ad normam quaestionum, quae ab hac S. Congregatione in speciali schemate ad id proponi solent.

Si vero in vacante dioecesi Capitulum erectum fuerit, Vicarius Capitularis Praepositum et Canonicos convocabit, qui capitulariter coadunati, et precibus de more praemissis, tribus vicibus suffragia ferent circa personas S. Sedi velut digniores commendandas. Tum Capitulum nomina alphabetico ordine disposita eorum trium sacerdotum, in quos maior numerus suffragiorum convenerit, ad Metropolitanum vel in eius defectu ad seniorem suffraganeum transmittet, ut ceteris Episcopis, ut supra dictum est, in unum convenientibus communicentur, qui quidem ea excutient, ut deinde S. Sedi referant quomodo iuxta suam sententiam disponenda sint, attento ordine meritorum, et de singulis candidatis notitias dabunt ad normam quaestionum, de quibus supra dictum est. Episcopis vero liberum erit alia etiam nomina addere, quae magis opportuna censuerint, ac deinde ipsum authenticum actum capitularem, ac relationem sententiae in quam Episcopi venerunt ad S. Sedem per hanc S. Congregationem transmittent. Sacra porro haec Congregatio declarari voluit nomina candidatorum, sive uno sive altero ex supradictis modis pro rerum circumstantiis innuantur, per simplicem commendationem proponi ut notitiam tantum ac lumen afferre valeat in electione perficienda quae, ut iuris est, ad Apostolicam Sedem omnino pertinet, cui plena libertas servatur alium etiam extra propositos, si ita ipsi placuerit, ad vacantem Sedem episcopalem nominandi ».

Pronum est autem intelligere quod hoc ius seu praerogativa commendationis nullo modo Apostolicae Sedis libertatem imminuit in Episcopis deligendis, nullumque ius a commendato acquiritur ad obtinendam iurisdictionem.

32. Quoad vero loca quae a Vicariis Apostolicis reguntur Candidatorum propositio fit a Superiore Ordinis Religiosi vel ecclesiastici Instituti cui missio ipsa concredita est. Quod si nulli Ordini religioso vel Instituto missionis regimen sit demandatum, Vicarii Apostolici electio praevio S. Congr. Fidei Propag. voto a R. Pontifice fit. Praefectus autem Apostolicus a Cardinali Praefecto S. C. Prop. Fid. fit, quin necesse sit ut interveniat iudicium Congregationis Generalis.

33. In facienda commendatione cautum est ut qui commendant dotes candidatorum describant ac variis quaestionibus respondeant iuxta instructionem S. C. Prop. Fidei [1].

34. Quoad Ecclesias Orientales, apud Chaldaeos Patriarcha ad normam Constit. *Dum Ecclesiastica* diei 31 Augusti 1869 Episcopos in Synodum coget, ac tres candidatos Apostolicae Sedi proponit. Quoad Armenos anno 1881 statutum est ut derogatione facta toties quoties Constitutioni Apostolicae *Reversurus* diei 12 Iulii 1867 quae derogatio a Patriarcha imploranda est, requisito si fuerit opportunum testimonio Cleri et Notabilium populi, Synodus Episcoporum sub praesidentia Patriarchae unum eligat quem Apostolicae Sedi pro confirmatione repraesentat. Apud Graecos Melchitas, Maronitas, Syrios Patriarcha utitur antiquo iure eligendi Episcopos aliis Episcopis consultis iuxta morem uniuscuiusque communitatis [2].

35. Hisce praemissis deveniendum est, ad modos quibus iure communi electio peragitur. Electio est: « personae idoneae ad praelaturam vacantem ab iis quibus ius est canonice facta vocatio per superiorem confirmanda » [3]. Electio in hoc differt a postulatione, quia nempe postulatio est provisio extraordinaria seu subsidiaria personae de iure impeditae: innititur gratiae et ideo dicitur ad-

[1] Collect. S. C. Pr. Fid. n. 38

[2] Quaestiones quae proponuntur circa qualitates necessarias in promovendis ad episcopale munus ac dignitatem sunt: 1. Nomen, cognomen, aetas, patria candidati. 2. Cuius Diocesis sit ac Provinciae ecclesiasticae. 3. Ubinam studiis theologicis vacaverit, et quo profectu. 4. An gradus assecutus fuerit et quos. 5. An Professor exstiterit et cuius facultatis. 6. An et ubi missiones sacras obiverit et quam in eis experientiam obtinuerit. 7. Quot linguas calleat et quas. 8. Quibus officiis sit perfunctus, et quo successu. 9. Quam prudentiam exhibuerit in deliberationibus, et agendi ratione. 10. An sit corpore sanus; frugi, patiens, atque in administratione rerum temporalium versatus. 11. Utrum sit propositi tenax, an ingenio mutabili. 12. Num gaudeat fama honestatis, et an fuerit umquam in eo quid contra mores. 13. An in exercendis sacerdotalibus muniis sit attentus, compositus cum aedificatione, rubricarum studiosus observator. 14. An habitu, gestu, incessu sermone aliisque omnibus gravitatem ac religionem praeseferat.

[3] Ex c. 7 et 42. Decret. h. t.

mitti, nullum tribuit ius postulato, isque non potest in illam consentire nisi sub conditione dispensationis: electio vero est provisio ordinaria personae de iure habilis, seu nullo impedimento laborantis, innititur iuri et dicitur confirmari; electo tribuit ius *ad rem*, et electus absolute in eam consentire potest.

36. Electio pertinet in genere ad Capitulares. Est autem Capitulum plenum clericorum collegium qui sub uno Praelato tamquam membra sub uno capite vivunt; alioquin si sub uno capite non viverent, non communitas sed singularitas esset. Ad capitulum seu collegium constituendum a principio tres requiruntur saltem [1], pauciores autem sufficiunt ad conservandum collegium; si unus superesset manet collegium *habitu non actu*, si nullus supersit iura *realia* collegii manent aliquando in parietibus, vel his dirutis in solo, in fundo [2]. Igitur soli et omnes capitulares ad eligendum Praelatum vocem *activam* habent nisi iure prohibeantur [3]. Imo ut capitularis eligere possit sufficit, ut bona fide sit in possessione certa beneficii, licet lis de proprietate aut tituli possessione mota sit [4]. Imo in genere qui est in quasi possessione iuris eligendi ad electionem peragendam vocandus est [5].

Ex iure autem speciali electionis ius ad Clericos extraneos pertinere potest vel *a*) ex fundatione [6], vel *b*) ex praescriptione

[1] Arg. l. 40, in fin. digest. de V. S. 1-85, eod. 1.

[2] Cfr. lib. 3, tit. 11, decret. Greg. IX.

[3] Cap. 5 et 14. hoc titulo in X.

[4] C. 24 h. t.

[5] Cap. Cum Eccl. 3 de caus. poss. et propr. Dicitur esse in quasi-possessione eligendi ille qui nemine contradicente pluries ius eligendi exercuit. Ut enim habeatur possessio duo requiruntur nempe 1) relatio materialis inter possessorem et rem possessam; quae materialis relatio vel per rei materialem contactum verificatur vel alio facto quod physicae rei detentioni aequivaleat 2) ut possessor habeat tutam rei disponibilitatem. Etiamsi possessio proprie de rebus corporalibus detur, tamen quoad res incorporales intelligitur cum quis 1) de facto ius exercet et 2) habet eiusdem iuris tutam disponibilitatem. Cfr. Ruggeri in opere il possesso. Arnds, Serafini caeterosque iuris Romanorum doctores.

[6] Cap. 25 de iur. patr.

aut consuetudine saltem 40 annorum [1], vel *c*) privilegio apostolico vel *d*) ex pacto, vel *e*) ex consensu omnium capitularium saltem pro una vice. Laici, ut evidens est, nec consuetudine nec praescriptione etiam immemoriali acquirere possunt ius eligendi Pastorem ecclesiasticum [2], sed tantummodo ex privilegio apostolico.

37. Prohibentur autem 1) Excommunicati maiori excommunitione [3], suspensi ab officio [4], interdicti personaliter et temerarii violatores interdicti localis per celebrationem missarum [5], absentes legitime non impediti [6]; nemo autem seipsum eligere potest [7], qui ex culpa gravi privatur pro ea vice potestate eligendi uti eligentes vel postulantes indignum [8], aliique de quibus in cap. 41 et 42, h t. in decretalibus agitur. Ceterum ut capitulares ad eligendum praelatum admittantur oportet ut saltem subdiaconatus ordine sint insigniti [9], nisi tamen de Regularibus agatur [10]. Item ab electione peragenda excluduntur impuberes [11]. Si intra tres menses episcopi vel superioris regularis electio locum non habeat ob negligentiam aut dissidium electorum, hi ea vice iure eligendi destituuntur quod ad proximum superiorem devolvitur [12], nisi Capitulum ab omni archiepiscopali iurisdictione exemptum sit, quo in casu ius ad Pontificem immediate spectabit [13]. Verum in Ecclesiis Collegiatis, aliisve beneficiis per electionem conferendis integri semestris mora indulgetur [14].

[1] Arg, ex cap. 8 de consuet. et c. 4 de postul.

[2] C. 56, h. t. in X.

[3] Cap. 23 de appellat.

[4] Cap. 16, in fin. h. t.

[5] Cap. 18, § 7, vero de sent. excom. in 6°.

[6] C. 42, h. t.

[7] Cap. fin. de Inst.

[8] C. 1-2 de postulat. Praelat.

[9] Clem. 2 de aetat. et qual. Trid. Sess. 22, cap. 4. de Reform.

[10] Cf. Giraldi P. 2, sect. 8.

[11] Cap. 32, de elect. in 6.

[12] Cap. 41, h. t. cap. 5, de concess. praebendae.

[13] Caput licet 5 de supplenda negligentia Praelat. Caput Cum singula cap. 23 in 6°.

[14] Caput 3 de concess. praeb.

38. Quod vero ad electionem passivam pertinet, in primis in eligendo requiritur *aetas legitima* idest 30 annorum pro Episcopo, 25 pro dignitate inferiori curam animarum habente, et 22 completorum pro dignitate inferiori non curata [1].

Ulterius 1) *morum gravitas* requiritur idest ordo sacer, vera fides orthodoxa, carentia cuiuscumque censurae et irregularitatis 2) litterarum scientia dignitati proportionata, ideoque qui in Episcopum eligendus est, oportet ut sit doctor, vel licentiatus in sacra Theologia vel iure Canonico. 3) Eligendus dignior esse debet idest ecclesiae utilior, tamen electio digni omisso digniore est valida [2]. Eligi autem non possunt 1) infantes, amentes, furiosi 2) qui legitimam aetatem non habent [3], 3) illegitime nati [4], 4) irregulares, 5) haeretici eorumque fautores [5], 6) simoniaci [6], 7) plura beneficia incompatibilia retinentes [7], 8) qui gravibus delictis infamati sunt veluti schismatici, sacrilegi etc. 9) excommunicati etiam minori excommunicatione [8], 10) suspensi sive ab officio sive a beneficio [9], 11) personaliter interdicti etc. etc.

39. Quod si quaeratur an indigni electio sit ipso iure nulla, respondemus tunc solum esse nullam ipso iure, cum canones clausulam irritatoriam addunt, vel de persona electa agatur quae naturali iure sit inhabilis; ex. gr. electio illius qui postulandus esset ipso iure nulla est [10], talis etiam est electio ambitiosi [11], electio simoniaca [12].

[1] C. 7. h. t.

[2] C. 19, d. 63, c. licet 8, 9, 1 et Trid. Sess. 24, c. 1, de reformat. c. 19, § his igitur c. 32, h. t.

[3] C. 7, h. t. c. 3, de aet. et qual.

[4] Cap. 20, h. t.

[5] C. 2-15, de Haeret. in 6°.

[6] C. 23, 27, de Simon.

[7] C. 54, h. t.

[8] C. 7 et fin. de cler. excom.

[9] Cit. cap. fin. et cap. 8 de aetat. et qualit.

[10] C. 20 de elect.

[11] Cap. 46, h. t.

[12] Extrav. 2, de Simon. inter can.

40. Ad formam autem ac qualitates electionis quod attinet, notandum est quod ad electionis formam accidentalem pertinent convocatio electorum, tractatus praevius, determinatio loci, temporis, indictio precum per dioecesim pro impetrando bono pastore, missa de Spiritu S. hymnus *Veni Creator* ab omnibus loco electionis recitandus, protestatio de non excludenda persona habili, absolutio a censuris in ordine ad effectum canonicae electionis. Ad formam electionis substantialem pertinet triplex modus electionis idest per *scrutinium*, per *compromissum*, per *inspirationem* divinam vel per quasi inspirationem. Qualitas praecipua electionis est ut sit libera.

41. Ad formam accidentalem quod pertinet omnes electores etiam absentes extra provinciam vocandi sunt qui *debent*, nempe, *volunt et possunt commode interesse* [1]. Si plus quam tertia pars electorum vocata non est, electio est nulla [2], alioquin electio sustinetur quoties electus retulerit maiorem partem votorum computatis etiam absentibus [3]. In omni casu autem absentes non vocati apud iudicem agere possunt ad electionem irritandam, nisi expresse vel tacite illam adprobaverint. Absens tamen etiamsi regulariter procuratorem constituere non possit quia electio personae eligentis industriam requirit [4], tamen si iusto impedimento detineatur procuratorem de gremio capituli vel etiam extraneum ex consensu capituli [5] eligere potest, qui procurator capitularis, si mandatum speciale habuit, diversam personam ab ea quam ipse nomine suo eligit, eligere potest, alioquin si mandatum generale ei datum est eamdem personam et nomine proprio et alieno eligere debet [6].

[1] Cap. 36 et 42.

[2] Cap. 29, h. t. et 30.

[3] Cap. 11 et 20, h. t.

[4] C. 42, § illud h. t.

[5] Cap. 46 de elect. in 6.

[6] Cap. 45, h. t. Ad Electionem maior electorum pars interesse debet. Quodsi postea quam convenerint aliqui exeant e Capitulo vel, etsi maneant, nolint tamen suffragium dare, contemni a ceteris impune possunt, dummodo minorem partem illi

42. Locus quo electio peragenda est decens esse debet, tempus vero est ut diximus intra trimestre pro ecclesiis cathedralibus et regularibus, quod tempus decurrere incipit a die habitae notitiae sive vacationis, vel a die remoti impedimenti, vel negligentiae commissae in eo removendo, veluti si Canonici negligant petere absolutionem a censuris. Si intra praefixum tempus electio locum non habuerit, electio ad superiorem devolvitur qui debuisset electum confirmare [1], si vero superioris electio fuerit nulla, ius eligendi ad electores revertitur.

43. Capitulares de persona eligenda deliberare possunt si extranea et ignota sit; in his vero deliberationibus capitulationes Ecclesiae utiles ab eligendo servandas facere possunt. Capitulationes autem in Ecclesiae praeiudicium sunt *ipso iure* nullae etiamsi, fuerint iuramento firmatae [2].

44. Electio in primis fieri potest per scrutinium, idest per secretam collectionem suffragiorum. Ad haec Capitulares tres eligunt scrutatores vel pauciores qui iurant de re fideliter agenda et de secreto servando. Suffragia per schedas colligunt, accedendo etiam ad infirmos si qui sunt. Si vota recipiuntur ad aures scrutatores ante omnes proprium votum emittunt, secus etiam post omnes capitulares. Hinc vota publicantur, qua facta publicatione vota variari non possunt.

45. Attamen defectus votorum alicuius nominati per *accessum* suppleri potest, nempe si qui contrarium votum dederunt declarent se accedere in votum illorum qui ab aliis electus fuerit. At ut *ius accessus* admittatur, oportet ut vota in schedulis subscriptis ab electoribus data sint, quod ad fraudes praecavendas constitutum est. In omnibus electionibus hodie attenditur sola collatio numeri ad numerum, et ille electus intelligitur qui maioris partis

constituant; imo etiam si maiorem cum terminus ad electionem faciendam a iure praescriptus instet. Reiffenstuel n. 200.

[1] Cap. 41, h. t. in X.

[2] C. 27, de iureiur. et cap. 1, eod. in 6. Const. Pii V, decr. 1570, Gregorii XII, inter apostolicas 1584 Innoc. XII, Eccl. 1695.

vota retulerit. At si evidenter pars maior indignum elegerit, electus a minori et saniori parte praefertur [1]. Quod si pars maior pro nullo stet, scrutinium renovatur. Hisce peractis electionis decretum conficitur et publicatur [2]. Quod si electus ante huius decreti constitutionem in suam electionem consentiat, electio irritatur, et candidatus utpote ambitiosus fit ineligibilis [3].

46. Electio etiam per *compromissum* fieri potest. Compromissum est actus quo electores unanimi consensu transferunt potestatem eligendi in aliquos clericos viros idoneos intra vel extra Capitulum ut nomine et vice omnium ad electionem praelati procedant [4]. Ut ac forma compromissi electio fieri possit, oportet 1) ut omnes capitulares unanimiter in compromissum consentiant, iuxta regulam iuris in 6° « *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari* », si unus dissentiat compromissum non subsistit iuxta principium « *in re communi potior est conditio prohibentis* » [5]. 2) Compromissarii Clerici esse debent ad hoc idonei, numero vel impares vel etiam pares [6], imo etiam in unum compromitti potest [7]. 3) Compromissarii mandati limites servare debent. Compromissarii in electione peragenda omnia substantialia scrutinii servare debent, et si a compromissariis idoneus electus est tenentur eum recipere compromittentes [8]. Compromissum cessat *revocatione* si res adhuc sit integra [9]; cessat etiam lapsu temporis praefixi, et terminatione electionis licet haec quacumque de causa suum effectum non sortiatur [10].

[1] Cap. 22, h. t.
[2] Cap. 42, h. t.
[3] Cap. 46, h. t.
[4] Cap. 42, h. t.
[5] Reg. 56, in 6°.
[6] C. 52, h. t.
[7] C. 8, h. t.
[8] C. 8 et 52, h. t.
[9] C. 30, h. t.
[10] C. 37, § Si vero lit. in 6°.

47. In cap. 33 h. t. in decretalibus refertur casus quo tres ex septem compromissariis consentierunt in unum compromissarium eligendum; is vero consentiendo, in se ipsum electionem complevit; hinc nonnulli deducunt principium quod etiamsi sui ipsius electio sit prohibita *inchoative,* tamen non est prohibita *impletive;* sed falso videtur hoc principium deductum ex praedicto capite, ibi enim potius agitur de compromissariis ex quibus tres mandatum excesserunt vel quia elegerunt indignum, vel capitulo extraneum.

48. Electio tandem per inspirationem si Dei miraculum interveniat, vel per quasi inspirationem fieri potest, cum omnes capitulares, nullo praevio tractatu intercedente, omnes in unum eligendum conveniunt.

49. Electio libera esse debet a metu; secus si metus gravis fuerit, irrita est [1].

50. Contra autem delinquentes in electionibus statutum est 1) si electores scienter indignum eligant privantur ea vice iure eligendi et per triennium suspenduntur a beneficiis [2] non vero ab officiis; si vero formam electionis non servent per sententiam privandi sunt potestate eligendi [3].

§ 2. — *De particularibus quibusdam electionibus.*

51. In quibusdam praelaturis electio particulares leges habet: huiusmodi sunt electiones superiorum regularium. Ad has quod attinet, duo primum sunt generatim animadvertenda. 1) Iuris apices in eorum electionibus exigi non solent, ita ut, dummodo substantialia servata fuerint, eorum electiones facillime confirmentur. 2) Statuta, privilegia et consuetudines singulorum Ordinum sunt

[1] C. 14, h. t. Alii putant tali in casu electionem esse *validam* sed rescindibilem ad nutum partis laesae: quae sententia verior videtur. Cfr. in Decret. titulum de his quae vi metusve causa fiunt.

[2] C. 7 in fin. h. t.

[3] C. 42 in fin. h. t.

apprime attendenda. His positis, expendendae sunt leges propriae tum quoad electores, tum quoad eligendos, tum denique quoad electionis formam.

52. Quoad electores, vix est quod a iure communi recedat. Nam quod clerici in sacris non constituti nequeant electores esse, licet professi sint, multoque minus laici conversi, id conforme est iuri communi. Quod vero ab eiusmodi lege Ordines eximantur, qui obeundis temporalibus ministeriis sunt instituti laicisque ferme constant, id ipsi Ordinum naturae est apprime consentaneum.

53. Quoad eligendos, haec universe Regularium sunt propria, ut nempe eligi nequeat nisi qui sit ex eodem Ordine, in eodem professus.

54. Quoad moniales, id speciatim requiritur, ut ea quae in Abbatissam eligitur quadragesimum aetatis annum, et octavum professionis exegerit. Quod si nulla reperiatur his praedita conditionibus, permittitur prudentiae Superioris qui electioni praeest ut statuat, utrum ex eodem monasterio eligenda sit aliqua quae saltem excesserit triginta annos ab ortu, et quinque a professione recte vixerit, vel utrum eligi debeat ex alio eiusdem Ordinis monasterio [1]. Si hoc alterum fieri expediat, obtinenda est facultas Apostolicae Sedis ut electa possit regredi a suo Monasterio [2]. Quod si demum nec alibi quaepiam reperiatur quae praestitutum aetatis professionisque tempus expleverit, tunc postulanda erit ab Apostolica Sede.

Abbatissae triennium praefecturae non debent excedere iuxta Constit. Gregorii XIII *Exposcit debitum*. Ubi vero ex gratia ab Apostolica Sede impetrata ad secundum triennium eligitur, non poterit denuo a monialibus eligi ad tertium triennium absque nova dispensatione. Exacto triennio, si forte contingat ut nova Abbatissa non eligatur, nequit illa quae triennium complevit suum regimen continuare titulo Praesidis vel quolibet alio, sed regimen seniori moniali demandetur oportet [3].

[1] Concil. Trid. Sess. 25, cap. 7 de Reg.

[2] Giraldi Exp. Iuris Pont. P. 2 sect. 162.

[3] Sacr. Congr. Episcop. et Regul. in Mazarien. 8 Martii 1700.

55. Quoad electionis formam, praemonendum est nihil esse innovatum, et communem formam servandam esse in electione Abbatum perpetuorum, qui scilicet ecclesias et monasteria in titulum perpetuum obtinent [1]. Quoad alios vero, quaedam pariter de Regularibus generatim, quaedam de monialibus speciatim constituta sunt. Generatim Concilium Trid. l. c. statuit ita servandum esse secretum quoad suffragia, ut eorum publicatio electionem irritam faciat et inhabilitate ad quaelibet officia suae Religionis eum percellat, qui hoc modo eligi permiserit. Haec tamen iuxta communem opinionem locum habent si maior pars capituli ea in re peccaverit sive proprium votum publicando, sive consentiendo unius etiam publicationi [2]. Unde haec communius inferuntur, quod forma compromissi et quasi inspirationis adhiberi non possit [3] et quod suffragia non possint aperiri oretenus scrutatoribus [4].

56. Speciatim quoad moniales statuitur, ut si pars maior consenserit in electa, et aliquae ex eligentibus insurgant adversus eiusmodi electionem, ea non possit confirmari a Superiore, nisi numerus consentientium per *accessum* crescat usque ad duas tertias partes. Sin minus administratio monasterii, dempta facultate alienandi vel aliquam monialem recipiendi, committenda est electae, donec Superior diligenter quidem, sed absque ullo apparatu iudicii inquirat in veritatem eorum quae obiiciuntur [5].

§ 3. — *De Postulatione.*

57. Postulationis nomine intelligitur *« illius qui eligi ad praelaturam non potest concors a Capitulo facta petitio »*. Postulatur igitur qui eligi prohibetur propter impedimentum aliquod canonicum; haec

[1] Argum. Conc. Trid. Sess. XXV. cap. VI de Ref. Reiffenstuel de elect. n. 336.

[2] Reiffenstuel h. t. n. 346.

[3] Giraldi, l. c. Sect. 161.

[4] Sacr. Congr. Concil. apud Fagnanum in Cap. Quia propter de elect. n. 22.

[5] Cap. 43 de elect. in 6. Schmalzgrueber tit. de elect. n. 89, § 5.

postulatio solemnis vocari solet; simplex autem postulatio dicitur personae de iure habilis in praelatum facta ei, cuius consensus requiritur.

58. Omnes autem postulare possunt qui possunt eligere [1] quibus enim conceditur principale nempe electio, etiam concessum videtur accessorium seu subsidiarium uti est postulatio subintrans in locum electionis [2].

59. Postulantur qui defectu canonico laborant a quo potest et solet dispensari. Tales defectus sunt 1) illegitimitas natalium [3] 2) defectus aetatis legitimae [4] 3) defectus ordinis ac debitae scientiae [5] 4) defectus professionis ad praelaturam regularem [6] 5) vinculum spiritualis coniugii quo Episcopus etiam titularis alligatus est suae Ecclesiae, a quo solvi non potest nisi a Romano Pontifice [7].

60. Postulari autem nequeunt qui defectu indispensabili laborant, idest tali defectu a quo non potest vel saltem non solet dispensari. Quare postulari nequeunt infantes, amentes, furiosi, bigami, spurii [8] etc. etc.

61. Qui postulant personam defectu indispensabili laborantem pro ea vice ipso iure privantur potestate postulandi ac eligendi [9]. Eadem poena puniuntur qui indigni renovant postulationem, ac electio ad eos devolvitur qui in iteratam postulationem non consenserunt sed contradixerunt [10]. Scienter postulantes minorem 27 annis ad Episcopatum pro ea vice potestate postulandi et eligendi privantur, et per triennium suspenduntur a beneficiis Ecclesiae ad

[1] C. 4, v. *ceterum*, h. t.

[2] Arg. ex regul. 35 et 42 in 6.

[3] C. 20, de Elect.

[4] C. 7, eod.

[5] C. 22, eod.

[6] C. 23. h. t.

[7] C. 2 in fin. de Translat.

[8] C. 10, de renunciat.

[9] C. 1, h. t., c. 7, § fin. de elect.

[10] C. 2, h. t.

quam postularunt, ipsi vero postulati urgentes negotium suae postulationis declarantur impostulabiles [1].

62. Postulatio fit apud superiorem qui potest confirmare electum, dummodo et in impedimento postulati dispensare possit [2]. Superior non tenetur postulationem admittere [3], quia postulato nullum ius tribuit, tamen ex aequitate et debita sui officii administratione tenetur eam admittere, si iusta causa postulandi adsit.

63. Ad formam autem postulationis quod attinet, cum postulatio simplex sit vera electio, huius formam servat [4], tamen superioris consensus petendus est aut ut subditus eligatur, vel post electionem huic electus consentire possit. Postulatio autem solemnis eamdem electionis formam servat quoad ea quae naturae postulationis non adversantur [5]. Quod canonistae deducunt 1) ex regula 46 in 6 « *subrogatum nempe sequitur naturam eius, cui subrogatur* », nisi specialem formam praescriptam habeat, sed postulatio subrogatur electioni, 2) connexorum ac aequiparatorum eadem est iuris dispositio [6], maxime si unum subintret in locum alterius et in eumdem finem tendat, sed ita est de postulatione relate ad electionem.

64. Si postulatio cum postulatione concurrat, maioritas votorum requiritur ut quis postulatus censeatur, si vero concurrat postulatio cum electione oportet ut postulatus duas tertias partes retulerit votorum [7]. Vota autem incerta ac indeterminata reiicienda sunt v. gr. eligo postulandum, postulo eligo prouti melius de iure valebit [8]. Haec vero postrema forma permittitur in casu quo probabile dubium adsit an persona sit postulanda vel eligenda v. gr. propter defectum natalium.

[1] Extrav. un. h. t. inter com.

[2] C. fin. h. t. in X.

[3] C. 5, h. t.

[4] C. 42, de elect.

[5] C. 42, de elect.

[6] C. 3, de Constit.

[7] Ex cap. scriptum 40 de Elect.

[8] C. un. h. t. in 6°.

65. Posteaquam postulatio superiori ostensa sit, variari non potest [1]. Postulatio a superiore admissa vim habet confirmationis ac ius reale in praelatura postulato tribuit [2]. Postulatio vero simplex subdito tribuit licentiam ut electioni de se factae consentire possit.

66. Postulatio intra 8 dies postulato praesentanda est, qui intra mensem declarare debet an accipiat nec ne postulationem conditionate nempe si superior illam admiserit.

§ 4. – *De Confirmatione.*

67. Electores intra 8 dies electionem electo praesentare debent, alioquin per triennium ab omnibus beneficiis quae in ea Ecclesia obtinent excluduntur [3]. Electus intra mensem accipit electionem, alioquin iure cadit [4]. Per electionem electus acquirit *ius ad rem*, at praelaturam administrare non potest ante confirmationem [5], alioquin iure electionis privatur [6], et fit ineligibilis [7]. Electus intra trimestre a die praestiti consensus a Superiore confirmationem petere tenetur cui Ecclesia vel dignitas immediate subest, alioquin in poenam negligentiae ipso facto iure electionis privatur [8]. Electi vero ad Ecclesias cathedrales quarum confirmatio ad Sedem Apostolicam pertinent, intra unum mensem a die praestiti consensus confirmationem petere tenentur [9]. Est notandum quod ex constitutione Pii IX, *Romanus Pontifex*, data anno 1873, Episcopus ullo modo se nequit immiscere in administratione suae dioeceseos nisi postquam praebuerit litteras Apostolicas suae nominationis Vicario Capitulari vel in genere illi qui Sedem Vacantem administrat.

[1] C. 4, h. t. – c. 5, h. t.
[2] C. 2, h. t.
[3] C. 16, § *ceterum*, h. t. in 6°.
[4] C. 6. h. t.
[5] C. 9–17, h. t.
[6] C. 5, h. t. in 6°.
[7] C. 12 et 17. h. t. extrav. 1. eod. inter comm.
[8] C. 6, h. t. in 6°.
[9] C. 16, h. t.

Imo ex Constitutione « *Apostolicae Sedis* » Pii IX, suspensionem Romano Pontifici reservatam ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et Conventus Ecclesiarum et monasteriorum aliique omnes qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint litteras Apostolicas de sua promotione. Ulterius Episcopi aliique qui a R. Pontifice sunt confirmandi intra mensem post consensum iter ad Sedem Apostolicam arripere tenentur vel per se vel per procuratorem, quo tempore elapso ad iter necessario aliisque 35 diebus culpabiliter, iure decidunt.

68. Electio autem per appellationem irritari potest, at si appellatio indignitati personae innitatur, ac appellans in probationibus defecerit, nisi claris documentis se a calumnia purget, per triennium a beneficiis suspenditur, et si iisdem se ingesserit iisdem ipso iure privatur [1].

§ 5. — *De Consecratione.*

69. Iurisdictio etiam consecratione, accedente mandato, acquiritur quoad ea scilicet quae sunt potestatis ordinis. Episcoporum consecratio R. Pontifici est reservata, qui vel *per se,* vel per alium illam efficit [2]. Qui Romae consacratorem eligere possunt ex privilegio, S. R. E. Cardinalem vel aliquem ex quatuor Patriarchis in urbe residentibus eligere debent. Si ex his nullus munus accipiat, alius vel Archiepiscopus vel Episcopus eligi potest, at si Romae reperiatur Metropolita, huic consecratio erit deleganda [3].

70. Consecratio die Dominica vel in natalibus Apostolorum peragenda est, et praeter Episcopum consecratorem duo Episcopi adsistentes adesse debent. In necessitatis casu sacerdotes Episcopum

[1] Cap. 1, de elect. in 6.

[2] Bened. XIV. Constit. *Qui postremo.*

[3] Bened. XIV. in Const. citata.

consecrantem adsistunt qui in dignitate sint constituti, vel etiam Episcopus absque ulla adsistentia consecrationem peraget.

71. Anno 1669 a Congregatione S. Officii quaesitum est an ab uno tantum Episcopo consecratus sit valide consecratus, et S. C. respondit affirmative. S. Congregatio Prop. Fidei anno 1695 die 18 Maii declaravit illicitam sed non invalidam efficere consecrationem Episcopi deficientiam duorum Episcoporum conconsacratorum [1], quae consecrationis illiceitas contingit, intelligitur, quoties privilegium concessum non est ut nempe presbyteri Episcopum consecrantem adsistant [2].

72. Episcopus postulatus et admissus, vel electus intra trimestre ab eius adprobatione consecrari debet [3], si ultra consecrationem absque legitimo impedimento differat, mensae Episcopalis fructus restituere debet quos percepit, et si per aliud trimestre consecrationem differat ipsa Ecclesia privatur [4], vel dignitate episcopali saltem si sint titulares [5].

73. Episcopus consecratus Ecclesiae suae administrationem statim suscipit, beneficia ab eo possessa vacant ac R. Pontifici fiunt reservata, quod quidem in Episcopis titularibus non accidit ut est evidens.

CAPUT II.

DE MODIS EXTRAORDINARIIS ACQUIRENDI IURISDICTIONEM ECCLESIASTICAM.

74. Quos exposuimus modi ad acquirendam ecclesiasticam iurisdictionem, ordinarii sunt. At in iure duo etiam extraordinarii modi recensentur scilicet, Privilegium Apostolicae Sedis, et Praescriptio.

[1] Collect. S. C. de Prop. Fid. n. 1207. Bened. XIV de Synodo dioec. lib. XIII, cap. XIII, n. 7.

[2] Collect. n. 1210, n. 1207, in nota qua allegatur Breve Pii IV datum an. 1562, die 11 Aug.

[3] Trid. Sess. 23, cap. 2, de Reformat.

[4] Trid. l. cit.

[5] Bened. XIV Const. *Quum a nobis.*

De privilegio nihil attinet dicere. De praescriptione inutile haud erit paucis exponere, qua ratione et quo effectu praescriptione ipsa iurisdictio vel beneficium cui illa inhaeret acquiratur. Porro directe iurisdictio acquiri potest praescriptione proprie dicta, eaque saltem quadragenaria [1]. Exigitur vero praescriptio immemorabilis, quae privilegium de iure praesupponit: 1) ad acquirendam iurisdictionem in causis matrimonialibus et criminalibus [2]. 2) Multo magis ad praescribendum totum aliquod territorium plenamque in eo iurisdictionem obtinendam contra Episcopum loci, ita ut tunc primum in eo territorio efformetur praelatura quaedam nullius [3].

75. Indirecte autem acquiritur iurisdictio praescriptione improprie dicta, cum scilicet possessio beneficii, cui illa inhaeret, per tempus a Cancellariae Regulis 35 et 36 praefinitum confirmata sit. Quare post unius anni pacificam possessionem beneficii etiam sine titulo, ita ea possessio firma consistit vi Regulae 35 Cancellariae, quae dicitur de *annali possessione,* ut possessor dimoveri ab alio non possit, nisi actor 1) causam apertam et perspicuam et simul nomen et gradum possessoris significet: et nisi 2) intra sex menses possessorem in iudicium vocet, causamque absolvat intra annum, salvis legitimis impedimentis. Sua tamen vi destituitur regula citata, cum agatur de praeiudicio Patroni, qui beneficii vacationem ignorans, non potuit toto illo anno ius praesentandi exercere. Cadit item vi sua, si constet de non iure possessoris vel per rem iudicatam vel per propriam confessionem.

76. Ad haec: post possessionem trium annorum ita ea firma habetur vi Regulae 36 Cancellariae quae dicitur *de possessione triennali,* ut non possit amplius de ea possessione quaestio moveri, triplici tamen sub conditione triplicique exceptione. Conditiones sunt:

[1] Cap. 15 de praescript. ibique Rota decis. 439 coram Ansaldo.

[2] Rota decis. 860 et 872 coram Coccino, ibique Sac. Congr. Concilii collato etiam Concil. Trid. Sess. XXIV de Reform. Cap. XX.

[3] Ex decr. Congr. particularis diei 14 Ian. 1721 apud Resolut. S. C. Concilii tom. II, pag. 366. Fagnanus Cap. *Nullius* n. 3 De Parochiis n. 22.

1) ut adsit titulus coloratus, qui scilicet emanet ab eo qui habet originariam facultatem beneficia conferendi, licet ab eiusdem exercitio ob aliquam causam prohibeatur; 2) ut possessio toto triennio, eodemque continuo, pacifica fuerit id est libera a quibusvis molestiis circa titulum sive extraiudicialibus quae vitiant tempus anteactum, sive iudicialibus quae vitiant etiam tempus futurum donec lis finiatur vel re iudicata vel sententia super desertione litis; 3) ut beneficiarius sit capax beneficii. Exceptiones autem cadunt: 1) in reos simoniae realis; 2) in intrusos in beneficium reservatum ratione mortis beneficiarii vel in curia, vel intra quadraginta milliaria italica; 3) in eos quorum titulum falsum esse evidenter et incontinenti constat. Denique exacto decennio, possessio ita firma habetur ut etiam tituli praesumptionem inducat, quem proinde beneficiarius allegare non tenetur.

TITULUS III.

De modis quibus Clerici iurisdictionem Ecclesiasticam amittunt.

Modi quibus iurisdictio ecclesiastica amittitur in duas classes pariter dividi possunt: alii enim sunt modi *ordinarii*, alii modi *extraordinarii*. Sit igitur:

CAPUT I.

DE MODIS ORDINARIIS AMITTENDAE IURISDICTIONIS.

77. Iurisdictio ecclesiastica amittitur *renunciatione, translatione, permutatione*.

ARTICULUS I.

De Renunciatione.

78. Renunciatio in genere est alicuius iuris remissio, at hic renunciatio est « *libera remissio iuris in beneficio ecclesiastico habiti vel iurisdictionis, ex iusta causa et cum consensu superioris legitimi eam acceptantis facta* ».

79. Renunciatio est *expressa* quae fit verbis iuxta formam a iure praescriptam; *tacita* quae facto aliquo fit quod ex natura sua vel ex dispositione iuris inducit cessionem beneficii, veluti si clericus in minoribus constitutus matrimonium contrahat [1], vel aliud beneficium incompatibile consequatur [2]. Renunciatio expressa est vel *pura,* vel *conditionalis* v. gr. cum reservatione pensionis. Episcopus autem vel renunciat loco tantum vel etiam dignitati Episcopali.

80. Omnia beneficia sive maiora, sive minora renunciari possunt nisi specialiter excepta sint. Talia autem sunt 1) beneficium quod quis habuit titulo ordinationis, 2) beneficium *litigiosum* in favorem alterius non litigantis renunciari non potest [3], 3) beneficia item *patronata, electiva, unita,* obtenta per intrusionem absque canonico titulo in favorem tertii renunciari non possunt.

81. Omnes beneficia resignare possunt qui non prohibentur. Prohibentur autem 1) furiosi, mentecapti [4], 2) in sacris constituti si alioquin debita careant sustentatione [5], 3) impuberes sine auctoritate tutoris. – Clericus autem minorennis valide renunciat beneficiis quia in beneficialibus habetur pro maiorenni [6], etiamsi si laesus in integrum restitutio ei concedatur. 4) Novitius renunciare beneficiis non potest nonnisi intra duos menses qui praecedunt solemnem professionem religiosam, quae quidem renunciatio est ipso iure conditionata [7]. 5) Infirmus valide non renunciavit beneficio qui intra 20 dies a facta renunciatione moritur iuxta regulam « *de viginti* ». Attamen praxis curiae hanc dispositionem etiam ad sanos resignantes extendit.

82. Resignatio 1) libera esse debet. Quae fiat sub metu gravi

[1] Cap. 1 de Cler. coniug.

[2] Cap. 28 de Praeb.

[3] C. 2 ut lite pendente.

[4] C. 5 h. t.

[5] S. Pius Const. *Quanta* 1568.

[6] C. fin. de iudic. in 6.

[7] Trid. sess. 25, c. 16, de Regul.

rescindi potest [1]. 2) Renunciatio fieri debet *ex iusta causa.* — Iustae causae pro resignando Episcopatu sunt debilitas corporis, ignorantia, mala conscientia, irregularitas personae, malitia plebis, grave scandalum, causa assumendi religionem [2]. Ad alias dignitates resignandas minores causae requiruntur. 3) Requiritur consensus interesse habentium; 4) fieri debet verbis specificis et expressis, et in genere in scriptis [3]. 5) Oportet ut accedat consensus superioris legitimi [4].

83. Renunciationis effectus est resolutio iuris et tituli beneficialis ut amplius fructus ex tali beneficio percipi non possint, nisi admissa fuisset resignatio conditionalis. Fructus tempore renunciationis pendentes ad Ecclesiam devolvuntur vel ad successorem nisi consuetudine aut pacto aliud sit constitutum [5].

84. Qui autem renunciationem accipere potest est Superior habens in renunciantem iurisdictionem [6]; in genere renunciatio coram superiore facienda est, qui potestatem habet conferendi et auferendi beneficium seu iurisdictionem. Episcopus renunciationes conditionales accipere non potest, nisi conditio permutationem contineat [7]; similiter renunciationes admittere cum reservatione pensionis aut fructuum vel cum reservatione *accessus, ingressus* et *regressus* solus R. Pontifex potest ex plenitudine potestatis, nam renunciationes his conditionibus factae iure prohibitae sunt [8]. De caetero tales renunciationes favent ambitiosam cupiditatem Clericorum, dant occasionem captandae mortis alienae, habent speciem haereditariae successionis ideoque prohibentur sub gravibus poenis simoniae confi-

[1] Schmalz. h. t. n. 4. Reinffest. h. t. n. 3.

[2] Cap. 10, h. t.

[3] Cap. 5, h. t.

[4] Cap. 4 et fin. h. t.

[5] Reinffenst. h. t. n. 152.

[6] Arg. c. 4 et fin. h. t.

[7] Cap. 5 de rei permut. C. un. eod. in 6. Clem. un. eod.

[8] Canon *plerique* 8 quaest. 1, cap. un. benefic. Eccl. Trid. sess. 25, cap. 7 de reformat. Const. S. Pii V. Sanctissimus Romani Pontificis.

dentialis [1]. Episcopo tamen videtur permissum ut ex gravi causa imponere possit beneficio pensionem temporaneam ad vitam beneficiati [2].

85. Renunciatio nondum acceptata revocari potest, secus si superior iam illam acceperit [3].

ARTICULUS II.

De Translatione.

86. Translatio in genere definiri potest: « *de una ad aliam Ecclesiam superioris auctoritate facta mutatio* ». Ut translatio sustineatur requiritur 1) iusta causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiae; 2) legitimi superioris auctoritas scilicet Romani Pontificis quoad Episcoporum translationem [4] sive Episcopus sit consecratus, sive tantum electus ac confirmatus; quoad vero rectores minorum beneficiorum Episcopi auctoritas sufficit, nisi de praelaturis exemptis agatur quae R. Pontificis auctoritatem exigunt [5]; 3) tandem translatio regulariter fit de minori ad maiorem Ecclesiam [6], alioquin translatio non censetur fieri ob necessitatem et utilitatem Ecclesiarum.

87. Romanus Pontifex ex iusta causa potest cogere Episcopum ut translationi consentiat, et si renuat etiam Episcopatu illum privare potest [7], attamen Episcopus invitus alicui Ecclesiae addici non potest [8].

[1] Cfr. Decretales lib. 5, tit. 5. Cfr. Const. Bened. XIV. *In sublimi* 1741.

[2] Cfr. Decr. h. t. tit. 12. Quis reservare potest sibi *ius accessus* si v. g. fuit a patrono tantummodo praesentatus; reservat sibi *ius ingressus* si renunciat beneficium *iam collatum* sed *nondum possessum;* reservat sibi *ius regressus* quando beneficium possidet.

[3] Cap. 12 h. t. in Decret.

[4] Cap. 3 de translat. Episcop.

[5] SCHMALZGRUEBER h. t.

[6] C. 1 de translat. Episc.

[7] Canon. 4, dist. 74.

[8] Cap. 3, h. t.

88. Ad haec: in translatione requiritur consensus eius, qui transfertur, sin minus ad propriam sedem dimittendam, saltem ad alteram acceptandam [1]. Attamen si Ecclesiae bonum postulat, Romanus Pontifex potest etiam invitum transferre, et cogere poenis ecclesiasticis ad aliam sedem accipiendam [2]. Immo etiam Episcopus id poterit quoad beneficiatum sibi subditum [3]. Qua quidem in re indiligenter loquitur Fagnanus [4] cum proposito casu translationis Episcopi a Romano Pontifice factae sine iusta causa, ait eam non sustineri; quae verba sonant non esse validam, cum tamen illicita tantum dici debuisset, et eiusmodi quae suspendi per recursum ad ipsam Sedem Apostolicam posset; quod enim dicatur invalida, id perinde est ac viam schismati aperire.

89. Effectus translationis tres praecipue recensentur:

a) Vacatio Ecclesiae seu beneficii unde eius possessor transfertur: quae quidem vacatio in translatione Episcopi locum habet etiam ante susceptam possessionem alterius Ecclesiae et expeditionem Litterarum apostolicarum postquam in Consistorio ab Ecclesiae prioris vinculo solutus est et hanc notitiam habuerit etiam ex documento Secretarii Sacri Collegii [5], in aliorum vero translatione locum habet post initam alterius beneficii pacificam possessionem [6].

b) Ius in alteram Ecclesiam ad quam translatio fit; quod quidem in Episcopo translato iurisdictionem statim parit, non secus ac electionis confirmatio [7], in ceteris est merum ius ad rem, donec mutetur in ius in re per realem possessionem.

c) Devolutio fructuum *pendentium* beneficii a quo fit translatio ad ecclesiam vel successorem. Etenim is qui translatus est

[1] Schmalz. l. c. n. 6.

[2] Schmalz. l. c.

[3] Cap. 5 de rerum permut.

[4] Fagnanus cap. *Quanto* de transl. Episc.

[5] Reiffenstuel h. t. n. 34 seqq., 41 seqq.

[6] Schmalzgrueber h. t. Recolantur tamen quae Pius IX in citata constitutione *Romanus Pontifex* constituit.

[7] Schmalz. l. c.

potest secum exportare fructus iam perceptos, itemque bona mobilia ex fructibus iam perceptis comparata, dummodo Ecclesiae nondum fuerint addicta [1].

ARTICULUS III.

De Permutatione.

90. Beneficiorum permutatio fit, cum duo Praelati, vel Beneficiati, Ecclesias, vel beneficia, quae habent, in manibus Superioris resignant, ea conditione, ut Ecclesia, vel beneficium unius ex resignantibus alteri vicissim conferatur.

Haec fieri non potest propria auctoritate, et quicumque eam hoc modo fecerint, vel facere pacti fuerint, si ad executionem pactam permutationem perduxerint, suis beneficiis privantur [2]. Conditiones praecipuae ad permutationis validitatem requisitae sunt: 1) Ut fiat ex iusta causa. 2) Ut beneficium permutationis sit capax [3]. 3) Ut fiat auctoritate Superioris, id est Summi Pontificis si aliqua conditio adiiciatur, sin minus Ordinarii [4]. 4) Ut in casu quo fiat coram Summo Pontifice, cetera quoque beneficia quae permutantes habent exprimi debeant [5]. 5) Ut in ecclesia cathedrali publicari debeat, quemadmodum de resignatione diximus.

91. Effectus vero locum habet per mutationem utrimque perfectam, cum permutatio vim habeat resignationis conditionatae [6].

[1] Reiffenst. tit. de translat. Episc. n. 44.

[2] Cap. 8 de praeb. et dignit. Cap. 5 et 7 de rerum permut.

[3] Cf. quae superius diximus.

[4] Schmalz. l. c. n. 65.

[5] Schmalz. l. c.

[6] Schmalz. l. c. n. 81.

CAPUT II.

DE MODIS EXTRAORDINARIIS AMITTENDI ECCLESIASTICAM IURISDICTIONEM.

Ad modos extraordinarios amittendae ecclesiasticae iurisdictionis profecto pertinet contraria praescriptio, revocatio iurisdictionis vel officii ab eo qui potestatem habet, ac tandem depositio et degradatio. Nil est dicendum de contrario praescriptione, neque de revocatione iurisdictionis vel officii ex parte superioris. Manet ut nonnulla dicamus de depositione ac degradatione.

ARTICULUS I.

De Depositione et Degradatione.

92. Depositio verbum generale est, quo duplex species continetur, depositio simplex et degradatio. Porro depositio simplex est poena ecclesiastica *qua clericus aut a suscepti ordinis exercitio aut ab officio et usu ecclesiasticae iurisdictionis aut a beneficio, aut ab omnibus his simul, salvo tamen privilegio Canonis et Fori, perpetuo removetur* [1]. Unde duplex a Doctoribus distinguitur, partialis et totalis [2].

93. Degradatio autem est poena ecclesiastica, *qua clericus per iudicis sententiam ordine et munere clericali, adeoque et beneficio et officio, perpetuo privatur, simulque Curiae saeculari traditur eaque traditione Fori et Canonis privilegio spoliatur* [3]. Quod autem a iuris canonici scriptoribus duplex degradatio distinguitur *verbalis* et *realis*, id ita intelligitur quod verbalis indicet solam iudicis sententiam, realis solemnem eiusdem executionem [4]. Iamvero, omissis solemnitatibus funestisque caeremoniis quibus perfici degradatio debet, quippe quae legi possunt in Pontificali Romano, haec breviter

[1] Bened. XIV de Syn. Dioec. l. IX, cap. VI.

[2] Reiffenst. tit. de poenis n. 23, qui etiam recte addit, n. 25, in iis casibus, in quibus depositionis poena simpliciter et sine addito in iure statuitur, totalem intelligi.

[3] Reiffenst. l. c n. 32, Schmalzgr. ibid. n. 138.

[4] Schmalzgr. l. c. Bened. XIV *de Syn.* l. c.

tum de depositione tum de degradatione indicasse satis sit: 1) Quinam eiusmodi poenas ferre aut ab iis restituere possit. 2) Quae sint crimina ob quae imponi eaedem debeant.

94. De facultate ferendi eiusmodi poenas vel ab iis restituendi, haec statuenda sunt: 1) Facultas ferendi depositionem simplicem vel degradationem verbalem in eo est, qui episcopalem iurisdictionem in clericum delinquentem habet, adeoque etiam Episcopo nondum consecrato sed confirmato, eius Vicario Generali et, sede vacante, Capitulari competit [1]. Facultas autem ferendi degradationem realem in Episcopo tantum et quidem consecrato residet [2]. 2) Restitutio a depositione simplici vel a degradatione verbali auctoritate ipsius Episcopi fieri potest; a degradatione autem reali, nonnisi Romani Pontificis.

95. Ad crimina denique quod attinet, ob quae eiusmodi poenae feruntur, distinguendum est inter depositionem simplicem et degradationem.

Simplex depositio exigit in genere crimina valde enormia quaeque gravi scandalo fuerint, eadem tamen in specie prudenti iudicis arbitrio dignoscenda relinquuntur [3].

96. Quoad degradationem duplex habetur regula:

a) Degradatio infligitur ob crimina, quae nominatim in iure expressa sunt [4]. Hac sunt: Ex criminibus ecclesiasticis: 1) haeresis aut apostasia [5]. 2) Celebratio missae aut exceptio confessionis sacramentalis ab eo facta qui sacerdotio non est initiatus [6]. Ex criminibus civilibus: 1) Assassinium [7]. 2) Crimen patrati abortus [8]. 3) Cri-

[1] Reiff. l. c. n. 39.

[2] Conc. Trid. Sess. XIII, cap. IV de Ref. Reiff. l. c. n. 40.

[3] Reiff. de poenis n. 30.

[4] Bened. XIV de Syn. l. IX, cap. VI.

[5] Cap, 9 et 15 de haeret.; cap. 1 et 4 eod. tit. in 6.

[6] Bened. XIV, const. *Sacerdos* 20 apr. 1744. Const. *Quam grave* 2 aug. 1757. Const. *Divinarum* eod. die et anno.

[7] Cap. 1 de homicid. in 6.

[8] Sixtus V, const. *Effraenatam* 29 oct. 1588; Gregorius XIV, const. *Sedes Apostolica* 31 maii 1591.

men falsae aut vitiatae monetae aureae vel argenteae [1]. Ex criminibus mixtis: 1) Crimen aversae veneris plus semel admissum [2]. 2) Falsatio Litterarum Apostolicarum [3]. 3) Furtum sacrilegum Sanctissimae Eucharistiae [4].

b) Degradatio ob alia crimina etiam recensitis graviora infligi nequit, nisi clericus, depositionis et excommunicationis poenis antea coercitus, minime resipuerit [5].

De Clericis.

97. Hisce praemissis tamquam prolegomenorum causa, ad propositam tractationem de Clericis in hoc primo libro evolvendam accedere oportet.

Iurisdictio ecclesiastica duplici in subiecto in Ecclesia considerari oportet: videlicet in *personis individuis* ac in *personis moralibus*. Siquidem usque ab initio Ecclesiae ecclesiasticam iurisdictionem exercuerunt non solum personae individuae, sed etiam personae morales. In tractatu de iure publico ecclesiastico notatur Apostolos ipsos saepius collegialiter iurisdictionem ecclesiasticam exercuisse. Ecclesia hanc duplicem organizationem quae ex iure divino quoad nonnullos gradus, nempe quoad Romanum Pontificem, Episcopos et Concilium oecumenicum, repetenda est, firmam tenuit ac evolvit. Qua de causa tractationem in duas sectiones accurate dividere volumus, quarum in prima agimus 1) de gradibus potestatis iurisdictionis ecclesiasticae in personis individuis, in altera 2) de gradibus potestatis iurisdictionis exercendae in personis moralibus.

[1] Urbanus VIII, const. *In suprema* die 11 novemb. 1627.

[2] Pius V, const. *Horrendum* 30 oct. 1568.

[3] Cap. 7 de crimine falsi. Cap. 27 de verb. sign.

[4] Innocentius XI, const. *Ad nostri* 15 martii 1676. Alexander VIII, const. *Cum alias* 22 dec. 1690. Bened. XIV, const. *Ab augustissimo* 5 martii 1744.

[5] Cap. 10 de Iudic.; Bened. XIV, De Syn. Dioec. l. IX, cap. VI, n. 9.

SECTIO I.

De gradibus potestatis iurisdictionis in personis individuis exercendae.

98. Sicuti iam diximus, duo sunt gradus potestatis iurisdictionis qui ex divino iure originem habent, qui veluti cardines considerari possunt totius ecclesiasticae organizationis, videlicet *Romanus Pontificatus* et *Episcopatus;* ceteri gradus vel vicariatum Romani Pontificis, vel Episcoporum gerunt ac ab humano iure originem habent. Hi proinde in tres classes distinguuntur, cum ex his nonnulli potestatem habeant supraepiscopalem, alii quasi-episcopalem, alii tandem potestatem infra-episcopalem exerceant. Ad primam classem Primates, Patriarchae, Metropolitae, Legati Romani Pontificis pertinent; ad secundam classem pertinent Abbates, ac Vicarii Apostolici; ad postremam Vicarii Generales, Vicarii Foranei, Parochi. Cum autem in Ecclesia omnes clerici, etiamsi iurisdictione non polleant, iuribus ac specialibus obligationibus subsint, hinc in fine de clericorum iuribus et officiis agemus.

TITULUS I.

De Romano Pontifice.

Romani Pontificis potestas est nobis consideranda tum in genere, tum in specie praesertim quoad leges edendas.

Sit igitur:

CAPUT I.

DE POTESTATE ROMANI PONTIFICIS IN GENERE.

99. Quoad Romani Pontificis potestatem in genere, 1) quasdam generales regulas trademus; 2) ex particularibus quae Romano Pontifici pro suo primatu competunt, vel eidem reservata sunt, nonnulla, quae sunt celebriora, delibabimus, ceteris ad sua loca reiectis;

3) particularem eiusdem potestatem quam in certas Ecclesiae partes exercet, praeter generalem, quam in totam Ecclesiam habet, indicabimus.

100. Ut nihil Ecclesiae deesset, quo eius necessitatibus provideretur, summa Christi benignitas caput visibile in Romano Pontifice eidem dedit, qui suimet ipsius vicariam, adeoque amplissimam potestatem gerat. Unde duo principia pro Romani Pontificis potestate dimanant: 1) eamdem minime invidiosam videri cuipiam debere, sed maximum Ecclesiae bonum: 2) eum, qui Rom. Pontificis potestatem oppugnare aggreditur, potestatem Christi ipsius oppugnare; quandoquidem ad Vicarii notionem pertinet, ut eam ipsam personam in se ille referat, cuius vices gerit [1]. Quibus praemissis, facilius regulae generales de Rom. Pontificis potestate intelligentur, quae ex primatus natura deducuntur. Sunt autem hae:

I. Potestas Romani Pontificis ad ea omnia extenditur, quae ad Ecclesiam Christi curandam seu pascendam pertinent, veramque habent cum eius necessitatibus connexionem, sive directa ea sit, sive indirecta.

II. Eadem in vera iurisdictione est, non in mera inspectione seu directione.

III. Eiusdem exercitium nullo limite circumscribitur, neque ratione materiae, in qua versatur, dummodo ad Ecclesiam pertineat, aut ius divinum non obstet; neque ratione eorum, qui eidem subiiciuntur, sive de populo sint, sive Pastores, dummodo per baptismum in Christi gregem fuerint aliquando cooptati; neque ratione modi ita ut neque mediate tantum per pastores particulares, sed etiam immediate in singulos Christi fideles, neque tantum extraordinario, cum Episcopi suum officium deserunt, sed omnino ordinario eiusdem exercendae ius sit.

IV. Etsi in aedificationem Ecclesiae tanta potestas Romano Pontifici data fuerit, non in destructionem, nihilominus eiusdem iudicio reservatur quid et quatenus in aedificationem Ecclesiae sit;

[1] Cfr. cap. 3 de appellationibus in 6°.

proindeque temeritatis et schismatis notam non effugit, qui hac de re iudicium sibi assumit; neque ullus excipi casus potest, nisi in quo ius divinum, non quidem obscure, sed evidenter violatum fuerit.

V. In dubio nihil est detrahendum Romani Pontificis potestati; quandoquidem ea pro eius amplitudine, proque ipso Ecclesiae commodo interpretationem restrictivam non recipit [1].

Iamvero ex hac pontificiae potestatis amplitudine sequitur, multa ad Romanum Pontificem pro suo primatu pertinere, multa iustis de causis eumdem sibi reservasse, quae licet suis locis exponenda sunt, ne bis repetantur, nihilominus non erit abs re praecipua eorum capita, atque ex iis quaedam in specie cursim attingere, quae celebriora sunt, quo etiam facilius eorumdem nexus cum primatus notione appareat. Itaque

I. Pertinent ad Romanum Pontificem, quae propria sunt supremae potestatis, adeoque:

a) Quae pertinent ad ius commune vel statuendum [2] vel mutandum [3] vel dispensatione relaxandum [4].

b) Ius recipiendi appellationes a quovis ecclesiastico tribunali [5].

c) Ius ultimato rem definiendi ita ut a Romani Pontificis sententia appellari ad aliud tribunal non possit [6].

d) Ius Episcopatus constituendi [7] eosve uniendi vel dividendi [8], atque ipsos Episcopos creandi vel confirmandi [9] eosque transferendi [10] vel deponendi [11].

[1] Cfr. FAGNANUM in cap. *Perniciosam* de officio Ordin. n. 65.

[2] Can. 6, caus. 16, q. 1.

[3] Cap. 1, de constit. in 6°.

[4] Cap. 4, de concess. praebendae. Prop. 8, inter damn. Petri Oxoniensis.

[5] Cfr. ZACHAR. *Antifebron.* p. 2, l. 3 et *Antifebron. vindic.* dissert. cap. 5 et 6.

[6] Pius II, const. *Execrabilis* 1 febr. 1459. Iulius II, const. *Suscepti regiminis.*

[7] Can. 1,dist. 22, Cfr. ZACHAR. *Antifebron.* p. 2, l. 1, cap. 7.

[8] Cap. 8 de excess. praelat. ibique Glossa verbo *pertinere.*

[9] Cap. 16 de elect. in 6°. Cfr. ZACHAR. *Antifebron.* p. 2, l. 1, cap. 4, et *Antifebron. vindicat.* dissert. 8, cap. 2.

[10] Cap. 2, et 4 de transl. Episcopi. Cfr. ZACHAR. l. c. cap. 5.

[11] Cap. 2 de transl. Episc. Cfr. ZACHAR. l. c. cap. 6 et *Antifebron. vin dic.* dissert. 8, cap. 4.

Haec quidem omnia nativo iure ad supremam primatus auctoritatem per se pertinent, praesertim cum Episcopi iuxta divinam Ecclesiae constitutionem Romano Pontifici immediate subiiciantur, quandoquidem Patriarchae ac Metropolitae ecclesiastica auctoritate deinceps constituti sunt. Licet igitur aliquando eorumdem Romanorum Pontificum approbatione et consensu per Metropolitas aut Patriarchas exercita fuerint, deinde ab ipsis Romanis Pontificibus, praesertim in Occidente, merito ad se iure reservationis iterum revocata sunt.

e) Ius mittendi legatos sive ordinarios sive extraordinarios in quamlibet Ecclesiae partem cum ea iurisdictione, quam ipse Romanus Pontifex opportunam existimet [1].

f) Ius ea sibi reservandi, de quibus ita in Domino existimarit [2].

II. Pertinent etiam ad Romanum Pontificem omnes illae causae, in quibus unitatem in Ecclesia servari necesse est; unde merito eae quoque eidem reservantur, in quibus eamdem servari unitatem saltem decet aut expedit, adeoque R. Pontifici. Iam supra competunt ipso iure causae maiores [3] quas enumeravimus.

Denique ad particularem illam potestatem quod attinet, quam in certis quibusdam Ecclesiae partibus idem Romanus Pontifex exercet, quadruplex praecipue distingui ea debet, nimirum:

I. Episcopalis, quam habet in urbe Roma, quaeque est illa dignitas, cuius vi successor est Petri, adeoque in Universam Ecclesiam primatum habet ita ut duo haec nulla possint auctoritate humana unquam separari [4].

II. Metropolitica, quae Episcopatus complectitur qui sunt inter Provinciam Pisanam et Capuanam [5] ita tamen ut

[1] Pius VI in brevi *de Nunciat. Apostolicis* 14 Novembr. 1789, cao. 8.

[2] Pius VI, const. *Auctorem fidei* 28 aug. 1794, ad prop. 7 et 8 pseudosynodi pistoriensis.

[3] Cap. 1 *de transl. Episcopi;* cap. 3 *de baptism.*

[4] Cfr. Bened. XIV *de Syn. dioec.* lib. 2, cap. 1.

[5] Bened. XIII, const. *Redemptor noster,* 24 decembr. 1724.

a) excipi ab eo tractu debeant Archiepiscopatus seu provinciae, quae intra eumdem constitutae sunt, idest provincia Ravennatensis, Florentina, Senensis, Urbinatensis, Firmana, Bononiensis [1] et Camerinensis, cui scilicet Episcopatum Treiensem a se restitutum Pius VII anno 1816 suffraganeum fecit.

b) Contra addi (improprie tamen) possunt: 1) omnes Episcopatus, quos S. Sedes sibi immediate subiecit; 2) Archiepiscopatus qui nullas habent Ecclesias suffraganeas [2].

III. Primatialis, quae ad totam Italiam extenditur [3]. Hinc plures a Romanis Pontificibus scriptae reperiuntur constitutiones pro sola Italia et insulis adiacentibus.

IV. Patriarchalis, quae Occidentem totum complectitur [4]. Ceteri enim, qui Patriarchali nomine in occidente ornati reperiuntur, ut Episcopus Venetus et Ulissiponensis, ii Patriarchae minores sunt, quorum proinde dignitas infra Patriarchalem proprie dictam statuenda est, ac primatiali fere aequiparanda [5].

Has vero quatuor praecipuas dixi species particularis potestatis Romani Pontificis, quia illis recte addi potest quinta idest *politica,* quam a vetustissimis temporibus in terris Romanae Sedi attributis idem exercebat. Licet enim natura sua ea non sit ecclesiastica, talis nihilominus facta erat vi donationum, quibus praedictae regiones Ecclesiae Romanae addictae fuerunt non secus ac cetera bona quae Deo dicantur. De qua quidem potestate hoc monuisse operae pretium est, erroneam, ut minimum dicam, esse propositionem, qua a nonnullis asseritur, eam cum potestate spirituali *incompatibilem* esse; quandoquidem non modo re et facto, verum etiam disertis expressisque verbis Romani Pontifices ac praesertim Pius IX et Leo XIII declararunt earumdem potestatum coniunctionem *opportunissimam* imo esse, ut ipsa spiritualis potestas facilius ac liberius

[1] Bened. XIV *de Syn. dioeces.* lib. 2, cap. 2.

[2] Cfr. dictam const. *Redemptor* 24 dec. 1724.

[3] Bened. XIV loc. cit. cap. 1.

[4] Bened. XIV loc. cit.; Devoti *Instit. can.* l. 1, tit. 3, § 34, nota 4.

[5] Devoti l. c. n. 37.

exerceatur; eamque doctrinam totius Ecclesiae Episcopi suffragio suo comprobarunt, prout videre est ex eorumdem literis, quas collectas edidit ephemeris *La Civiltà Cattolica* anno 1861.

Dignitas qua suprema auctoritas apostolicae Sedis fulget his insignibus exhibetur *a*) *Pedum pastorale rectum* in summitate crucem habens; *b*) Tiara seu triregnum quo indicatur Papae potestatem ad triplex Dei regnum pertingere; *c*) Pallium quod solus Pontifex semper et ubique gestat[1].

CAPUT II.

DE POTESTATE R. PONTIFICIS IN SPECIE QUOAD LEGES EDENDAS.

101. In omnibus perfectis societatibus leges proprie dictae habentur, sive quae ab ipso Principe promulgantur, sive quae ipsius populi facto, nempe ex consuetudine, tacito vel praesumpto eiusdem Principis consensu introducuntur. Aliquando autem aliae sunt leges quae etiamsi proprie sub legis nomine non veniant neque uti leges sint a Principe promulgatae, attamen legis effectum habent, quae leges improprie dictae appellari possunt. Quia autem maxime interest ut leges quae sociis regula et norma sunt actionum, in oblivionem aut malorum opera in corruptionem non deveniant, Principes in unum quod iuris corpus dicitur, leges colligere consueverunt, quodque ad Magistratus applicare et interpretare pertineret. Quod et in Ecclesia fieri videmus. Quare distinctis capitibus videbimus *a*) de legibus ecclesiasticis proprie dictis promulgatis vel consuetudine introductis *b*) de legibus ecclesiasticis improprie dictis *c*) de legum ecclesiasticarum collectionibus *d*) de legum ecclesiasticarum interpretatione.

[1] Cf. SEBASTIANELLI Praelectiones pars I de Clericis, titul. 2, cap. 3.

ARTICULUS I.

De legibus proprie dictis promulgatis.

Videbimus 1) de legum ecclesiasticarum definitione et promulgatione; 2) de causa efficiente ac de subiecto legum ecclesiasticarum; 3) de fine, obiecto, ac de vi legum ecclesiasticarum; 4) de divisione legum ecclesiasticarum; 5) de legum ecclesiasticarum cessatione.

§ 1. — *De legum ecclesiasticarum definitione et promulgatione.*

102. Lex est « *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata* ». Dicitur *ordinatio rationis,* quia lex, uti ait S. Thomas [1], non est nisi *regula* et *mensura* quaedam iuxta quam aliquis inducitur ad agendum vel ab agendo retrahitur: dicitur lex *a ligando.*

Qui supremam in societate habet potestatem, ius habet socios compellendi ad finem socialem consequendum, et quia socii a fine prohiberi possunt vel quia non agunt ad finis consecutionem, vel quia *contra finem se gerunt,* suprema potestas socios ad finem dupliciter compellere potest, vel eos *inducendo ad agendum,* vel eos ab *agendo retrahendo.* Quod ut obtineat oportet ut *regulam* vel *mensuram* vel *ordinationem* suis imponat, iuxta quam et intellectus concordent, et voluntates uniantur, et media coordinentur ad finem. Quae tamen ordinatio *secundum rationem* esse oportet tum *ex parte legislatoris,* tum *ex parte subditorum* [2]. Ex parte legislatoris, cum legislator legem imponat, quia eam uti medium *idoneum necessarium* vel utile ad finem consequendum cognoscit. Hinc lex, uti ait Suarez, pertinet *ad actum intellectus* et *volunta-*

[1] 1a 2ae, q. 90, art. 4, art. 3 et 1. De legis definitione cfr. leg. 1, h. t. ff. SUAREZ de leg. lib. 1, cap. 10.

[2] GRATIAN. in c. 5, distinct. 1a.

tis [1]; hinc lex ut ait Cicero est « *natura, vis, mens et ratio prudentis* » [2]. Est lex ordinatio rationis *ex parte subditorum*, qui ad finem propriis actibus, ac salva humana libertate compelli debent; humanorum autem actuum regula et mensura est ratio *primum* in agendis *principium*.

Obiectum huius rationalis ordinationis est *finis socialis*, ideoque *bonum commune* id est communitatis. Eatenus suprema auctoritas ius habet regulas et normas idest leges imponendi quatenus hae *necessitatis* aut *utilitatis* ordinem habeant ad finem. Ius enim supremae auctoritatis sociorum obligationem consequitur, prouti diximus, ideoque non praetergreditur finem [3]. Finis autem socialis est *bonum totius communitatis*, tum quia non intelligitur societas cuius finis sit *malum*, tum quia nonnisi sub ratione boni socii ad finem tendunt, cum voluntatis obiectum sit bonum, tum quia finis socialis omnes socios tangit [4]. Ceterum lex *pro communitate* fertur, ergo illius bonum per se primo curare debet [5].

Insuper haec rationis ordinatio ad bonum commune *ad illum spectat qui communitatis* curam habet, nempe qui supremam in communitate potestatem habet. Etenim *a*) haec ordinatio est ad finem socialem consequendum, at ordinare ad finem non est nisi *eius cuius est finis*, nempe qui est *supra finem*, ad quem alios cogit, aut *propria* aut *aliena* auctoritate. Et sane ordinare ad finem non est, nisi *exigere a sociis solutionem obligationis*, qua socii ad finem consequendum tenentur. Ille autem solum potest exigere solutionem obligationis ad finem qui, *quatenus talis*, obligationi non subiicitur. Talis in societate est supremus legislator in quo, uti in suprema sociali auctoritate, *omnia societatis* iura tamquam in subiecto

[1] SUAREZ, l. 1, cap. 4, n. 67.

[2] 1. de legibus; Isidorus 25 Etymol. c. 10.

[3] Cf. quae in part. 1. de iur. pub. ec. dicta sunt l. 2, t. 1, cap. 2.

[4] D. Thom. 1a 2ae q. 90. ibi Caiet. L. 1, 2, ff. de leg. Cod. l. 3, 10. Decr. cap. 6. Cicero l. 3. de leg.

[5] Cf. SUAREZ de leg. lib. 15, cap. 6 et cap. 7; ff. l. 8. de leg. Decr. cap. 4, 2, l. 1, cap. 2, dist. 4.

resident. *b*) Quod confirmatur quia illius est ordinare ad finem cuius est imponere finem uti diximus. Si agatur de societate necessaria finis imponitur *a iure praevalente,* si de societate voluntaria finis necessitas consequitur *ex obligatione* quam libere socii suscipiunt consequendi finem. Iam in societate necessaria suprema auctoritas vel iure praevalente designata, vel electa a multitudine, ius praevalens ut ita dicam repraesentat, ac nomine iuris praevalentis finis consecutionem urget. Ita in societate voluntaria est suprema auctoritas, in qua residet ius, quod ex pacto sociali consequitur, quo socii ad finem compelluntur [1]. Tandem qui praecipit, oportet ut sit supra illum in quem cadit praeceptum, atqui lex est praeceptum in totam communitatem, ergo legislator est qui *curam habet communitatis* [2].

Insuper lex oportet ut sit *promulgata.* Promulgatio est: « *authentica legislatoris manifestatio communitati indicta* [3] ». Iam lex imponitur per modum regulae et *mensurae* [4]; *regula* autem et *mensura* imponitur quatenus regulatis ac mensuratis applicatur. Talis autem applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum lex deducitur ex ipsa promulgatione [5]. Ita lex naturalis in creaturis rationalibus per modum cognitionis communicatur uti notavimus in prolegomenis 1ae. partis.

Ex hac legis definitione aperte liquet quaenam sint legis requisita ut vim habeat obligandi. *Ex parte legis* requiritur ut lex sit *rationabilis* [6], ideoque ut sit iusta [7], honesta, possibilis, manifesta [8] et perpetua [9] tum ex parte legis, tum ex parte subditorum;

[1] Cf. l. 2, oct. ff. de legibus; Gregor. IX, in prooem. in Decretal.

[2] Cf. Suarez, op. cit. l. 1, cap. 8.

[3] L. 9, Cod. h. t.; cap. 1, de postul. Praelat. cap. 1, de concess. Praeben., in P. - D. Thom. 1a 2ae, 90, 4.

[4] L. 1, § 2, ff. de legibus; D. Thom. 1a 2ae, 90, 1 et 96, art. 1.

[5] D. Thom. De verit. q. 17, art. 3. 1a 2ae, q. 90, art. 4.

[6] Gratian., in c. 5, dist. 1; Suarez, op. c. l. VIII, 30. 20.

[7] Suarez, op. cit. lib. 1, cap. 9.

[8] Cap. 25 l. v. de verb. signif. Quare lex dubia non obligat l. 9. Cod. de leg. ex cap. 31. Benedict. XIV, Inst.

[9] L. 8, 9. h. t., ff. § 11 de iure nat. et gent. Suarez, l. 1, c. 13.

ex parte legis quia perseverat donec fiat inutilis (de quo inferius), ex parte subditorum quia omnes subditos obligat et futuros [1]. Ex parte autem Legislatoris seu illius qui legiferam iurisdictionem in subditos habet, requiritur tum ut voluntatem habeat obligandi subditos, tum ut suam legem certo modo promulget.

Ex his consequitur, legem differre a praecepto quia praeceptum est privatum, extinguitur morte praecipientis, non est territoriale sed personale.

Hisce praehabitis lex ecclesiastica definiri potest: « ordinatio rationis ad bonum commune societatis ecclesiasticae ab eo qui curam ipsius habet sufficienter promulgata ».

2. Post ea quae diximus de lege in genere non superest, nisi de legibus ecclesiasticis dicamus quomodo promulgentur. Antiquitus mos erat ut leges quae Romae promulgarentur ad ordinarios mitterentur per diaconos vel presbyteros [2], ut in qualibet dioecesi promulgarentur, atque inde obligare inciperent. Verum tractu temporis et praesertim saeculo tertio decimo, cum Principes saeculares legum ecclesiasticarum promulgationem impedirent, a Pontifice Martino IV praxis [3] inducta est ut lex Pontificis Romae tantummodo in locis populo frequentioribus promulgarentur. Nostris novissimis temporibus leges Pontificis vulgari coeperunt in *Acie Campi Florae, ad valvas Curiae Innocentianae*, et *Cancellariae Apostolicae,* nec non *ad valvas Basilicae SS. Apostolorum Petri et Pauli.* Hodie ad valvas Curiae Innocentianae publicatio omittitur ob immutatam loci conditionem. Ceterum haec promulgatio sufficit, ut lex in *sua essentia* constituatur. Quod probatur *ex facto.* Siquidem in Curia Romana totius orbis lites definiuntur iuxta leges Pon-

[1] Cap. ult. de off. Leg. SUAREZ, op. cit. cap. XL. 1, cf. Ben. XIV, de Syn. dioec. 1. 6. c. 3. ISID. l. 2 etym. c. 10. D. Thom. 1a 2ae q. 95, art. 3.

[2] Cf. ZACCAR., Antif. tom. 11, diss. XI.

[3] Et sane Martinus IV primum affixionis exemplum praebuit, qui anno 1281 Imperatoris Michaelis Paleologi excommunicationem in ostiis maioris Urbevitanae ecclesiae ubi degebat Pontifex suspendi fecit. Bull. Rom. tom. III, p. 2. Cf. AICHNER op. cit. § 207.

tificias *Romae* publicatas, etiamsi alibi *promulgatae non sint*. Item plura adsunt decreta, quae Romae tantummodo promulgata sunt, quae in corpore iuris canonici inserta non sunt; ita Bulla *Coenae Romae tantummodo* ut pluries promulgabatur. Tandem cum Pontifices specialem in provinciis promulgationem volunt id declarant, prouti accidit de Tridentino decreto « *tametsi* » relate ad matrimonium clandestinum, quod Tridentinum promulgari voluit in singulis parochiis in quibus vim non haberet nisi post 30 dies a facta promulgatione nomine Concilii Tridentini [1].

Hinc Nicolaus I in epistola ad Photium, qui Constantinopolitanam sedem, contra Conciliorum auctoritatem et Pontificum decreta occupare attentaverat, sese excusantem ex eo quod praefata Conciliorum et Romanorum Pontificum decreta non habuerit, respondit pontifex: « quod si ea non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi; si habetis et non observastis, de temeritate estis arguendi et increpandi » [2]. Eadem Innocentius III Decano et capit. Senonensi quoad Episcopum Antissiodorensem declarat [3]. Ceterum pluries declaratum est Bullas generalem etiam disciplinam spectantes ubique locorum obligare, ex quo Romae publicatae sint, quemadmodum constat de bullis *contra sollicitantes* et *contra sectam* a liberis aedium fabris ex decreto S. Officii an. 1838 quo edicitur eas obligare in Hollandia licet ibidem promulgatae non fuissent. Item ex clausula quae bullis apponi solet constat Pontifices velle decreta sua obligatoria absque speciali in provinciis promulgatione [4].

Et ratio est quia ex una parte non est de ratione legis ut certo et determinato ritu promulgatio fiat aut in determinatis locis lex publica adfigatur vel proclametur, uti inquit Van Espen [5], et

[1] Cf. Suarez, de leg. l 4, c. 15. Et cap. 40 Decr. v. 3, c. 12 Decr. v. 33 cap. 4, § 1, Decr. v. 20.

[2] Can. *quod dicitis* 12, dist. 17 in Decreto. Harduin. tom. 5. Conc. Cf. caput. de concess. Praebend. D'Annibale p. 792. v. 1.

[3] Cap. 1 de postulat. Prael.

[4] Cf. Aichner, op. cit. § 207.

[5] De promulg. leg. p. 1, c. 1.

ex altera ex promulgatione Romae facta satis facile est ut omnes fideles in legum cognitionem deveniant, attento praesertim humano commercio inter Urbem et Orbem; quod constat ex facto; ita ut dici possit cum clarissimo Politi [1] « longe facilius esse constitutionum quae Romae eduntur, cognitionem capere, quam Romanum Pontificem eas tam longa tam difficili, tam impedita promulgatione erogare ».

Verum etiamsi ex promulgatione Romae facta lex in sua essentia constituatur, ita ut dici possit talem legem existere, tamen nemo adeo ineptus est qui putet leges ecclesiasticas, statim ac Romae promulgatae sint omnes obligare et qui dissitas incolunt regiones. Aliud est legem *ratione sui* posse omnes obligare, aliud *revera omnes obligare:* ad hoc secundum requiritur vel *scientia legis promulgatae, vel saltem ignorantia culpabilis* quae in iure *scientiae aequiparatur* [2]. Ceterum huius promulgationis vis est ut *iuris praesumptionem inducat* [3], ita ut praesumatur omnes leges agnovisse nisi contrarium probetur [4]. Quae dicta sint etiam contra Iansenistas, Gallicanos aliosque in singulis provinciis promulgationem exigentes.

Lex canonica *statim* per se obligare incipit ac promulgata est nisi aliter R. Pontifices statuerint. Quare non videtur accipienda sententia eorum [5], qui dicunt ius canonicum hac in re *iuris civilis*

[1] Iuris eccl. univ. tom. 1, prooem. c. 3.

[2] D. Thom. de Verit. 17-3.

[3] Innocentius 1. ad Exsuperium Episcopum Tolos. can. 2, dist. 82, in decreto.

[4] Quare optime distinguendum est cum d. AICHNER l. c. inter *promulgationem* et *evulgationem* legis. Promulgatio est actus legalis quo lex communitati denunciatur; ad *evulgationem* vero pertinent modi, et media quibus lex iam promulgata in singulorum notitiam perducitur.

[5] Cf. D'ANNIBALE pag. 193, vol. 1, qui postquam diversas sententias retulerit, iuxta omnium DD. sententiam statuta dioecesana postridie obligare animadvertit. REINFF. I, 2. 112. Bened. XIV, de Syn. XIII, 42, 191. ex iure civili L. 25 de rit. nup. interpretatur cap. 8 de consanguin. Nam ius canonicum in hoc capite prohibet quominus ultra 4 gradum prohibeatur matrimonium: at in linea recta ex cit. lege civili interpretatur et ius canonicum prohibere in infinitum. Nomine autem eiusmodi, et media quibus lex iam promulgata in singulorum notitiam producitur.

Romanorum et praesertim iustinianaeas dispositiones accipere iuxta illam regulam « ius canonicum ubi silet accipit dispositiones iuris civilis Romanorum quae tamen non sint contra bonos mores aut leges ecclesiasticas »[1]. Etenim *a*) haec regula valere videtur ubi non agitur de *exceptionibus:* cum exceptiones magis rerum, personarum, aut locorum circumstantiae suadeant quam rei natura. Est autem exceptio legem statim post promulgationem non obligare, aut in singulis provinciis legem promulgandam esse *b*) haec regula valet ubi *contraria* Ecclesiae praxis non invaluerit, cum hoc facto satis Ecclesiae voluntas appareat legis civilis non recipiendae[2].

Neque ut lex Pontificis obliget requiritur *ut ab Ecclesiis acceptetur* uti praesumit Febronius. Etenim hoc iurisdictionis Primatum destrueret[3]. Attamen Episcopus intelligens Ap. Sedis legem in Dioecesi sua noxium aliquem producere effectum, non modo suas Romano Pontifici rationes repraesentare non prohibetur quin potius ad id omnino tenetur[4]. Durante supplicationis tempore usque dum Pontifex rescripserit, legis obligatio ipso facto suspenditur. Quod tamen locum haud habet *a*) si agatur de legibus dogmaticis, de legibus quibus lex lata interpretatur, de legibus ad ritus, sacramenta, ac clericorum vitam respicientibus[5]. At vero aliquando accidit ut leges vim non habeant quia in moribus acceptatae non sint; quod ex *contraria consuetudine* accidit, qua lex abrogatur vel melius impeditur, etiamsi *peccent* qui primi contra legem egerunt [6].

[1] Cap. 1. de Nov. op. nunc.

[2] Cf. SUAREZ l. 1, c. XI et l. 4, c. XIV. E contra BOUIX. de principiis iuris can. p. 166. 202. PHILIPPS. K-R. 5, B. §§ 204, 205.

[3] Clemens XI, constit. *Gratulamur* 15 Ian. 1706 contra Iansenistas; Pii VI Bull. *Auctorem fidei* pr. 2.

[4] Bened. XIV, de Syn. dioeces. l. IX, cap. 8, n. 3. Cf. SUAREZ. op. cit. c. 16, n. 7.

[5] Cf. AICHNER, op. cit., § 207, n. 3; BOUIX, de princip. iuris can. p. 166; Bened. XIV, op. et l. cit.

[6] C. 5, d. 4, gloss. leges instituuntur cum promulgantur; et confirmantur cum moribus utentium adprobantur; ZALLINGER, h. t., § 186.

§ 2. - *De causa efficiente ac de subiecto legum ecclesiasticarum.*

103. Non est deducendum omnes leges ferre posse qui iurisdictione gaudent. Etenim saltem gradus, qui ecclesiasticae sunt institutionis, cum quoad originem iurisdictionem delegatam habeant, ea pollent potestate quae eis concessa est. Hinc certe ferendi leges, iure divino, potestatem habent *Summus Pontifex* in universa Ecclesia [1] et *Episcopi* in suis dioecesibus. At cum Episcoporum iurisdictio sub Pontificis dependentia exerceatur, Episcopi neque ferre leges possunt contra ius commune [2] neque contra Pontificis voluntatem in casibus particularibus [3]. Ex iis autem, qui iurisdictionem *superepiscopalem* aut *quasi episcopalem* a Romano Pontifice acceperunt, ferre leges *Metropolitanis* in provincia, *Primatibus* in natione, *Patriarchis* in patriarchatu concessum est, at solum in conciliis nationalibus et provincialibus, et quidem iuxta [4] iuris communis praecepta, quibus huiusmodi concilia moderantur. Legati potestatem habent ferendi leges in sua Legationis provincia *iuxta suae legationis mandatum* ac iuris dispositiones [5]. Abbates ac Vicarii Apostolici potestatem habent ferendi leges quae *a iure ac delegatione conceditur:* Cardinales tamen Sede Pontificali vacante leges per universam Ecclesiam ferre nequeunt [6], nisi enim in negotiis mora impatientibus, ut ait Aichner, Primatus potestatem exercent, quae caeteroquin est personalissima [7]. In suis tamen titulis leges ferre possunt quae Ecclesiae servitium concernunt circa disciplinam

[1] Dist. 19, cap. 4, de auct. palii, cap. 5, de const. can. 23, dist. 21.

[2] Can. 4, dist. 50, arg. can. 4, dist. 21; Clemen. 2 de elect.; cap. 9, de Maior. et Obed.; cap. 8 de excess. Praelat.

[3] In hoc differt societas civilis, in qua non nisi ad supremam potestatem pertinet iure proprio leges ferre cum in societate civili unica sit potestas quae iure proprio procedat et a quo aliae potestates ex eius delegatione dimanant.

[4] Cap. 11, de off. ord. cf. Sancti, praelect. h. t.

[5] De off. leg. cap. fin.

[6] C. 3. de elect. in VI; Clem. cap. 2, eod. tit.

[7] Op. cit. § 109.

ac morum correctionem. Quod ab Innocentio XII, qui Cardinalium potestatem coarctavit, statutum est [1].

Ex iis qui potestatem *infra episcopalem* habent *in foro externo*, nemo leges ferre potest nisi *speciali ei modo concedatur*, ita nec Vicarius Generalis, nec Vicarius Foraneus leges ferre possunt. Parochus autem *iurisdictionem habet in foro interno*.

Quod autem pertinet ad personas morales iure divino ferre leges *Concilii Oecumenici* est quatenus cum Romani Pontificis consensu coniungitur. *Concilium provinciale* sub Metropolita, nationale sub Primate, et *Synodus Dioecesana ex Ecclesiae voluntate* leges ferre possunt iurisdictioni suae ac iure canonico accommodatas ac proportionatas, tum quoad *territorium* quam quoad *legum materiam*. Ius autem commune determinat quinam in his conciliis ius habeat *consultivum* vel *deliberativum*, nec non modum rectae celebrationis [2]. Ex collegiis *ordinis Senatorii* etiamsi qua talia haec non habeant potestatem ferendi leges, tamen inductum est, ut Capitulum Ecclesiae Cathedralis, Metropolitanae etc. *sede vacante* ius habeant ferendi leges [3]. Attamen a Tridentino Concilio statutum est, ut intra *octo dies* a vacatione Vicarius Capitularis eligeretur, cui Capitulum *totam* iurisdictionem et quidem *irrevocabiliter* transferre debeat, et ad quem proinde pertinet ferendi leges potestas in suam dioecesim [4]. Ceterum sede plena Capitula possunt sibi aliqua statuta constituere quibus ipsi citra Episcopi ac Ecclesiae praeiudicium obligantur [5]. Quod dictum est de Capitulis, de Cardinalibus dici non valet. Potestas enim Pontificalis mortuo Pontifice ad Cardinales non transit [6], ideoque ipsi solum aliqua disponere valent pro instantibus necessitatibus [7]. Iura enim primatialia in Ecclesia

[1] Innoc. XII, Const. Rom. Pont. die 17 Sept. 1692.

[2] C. *catholica* dist. 11, c. *concilia* dist. 17 et dist. 18. Arg. ex Trid. sess. 24, cap. 2; c. 9. de M. et O., c. 2, t. 3, l. 2, in VI.

[3] C. *cum olim* de M. et O. in decr. et in 6, c. 3. et ult. de sup. neg. in 6.

[4] Trid. sess. 24, cap. 16.

[5] C. 6, h. t., et c. 9, de consuet. cf. MACHAT, op. cit. l. 1.

[6] Greg. X in Conc. Lugd. in c. 3, de elect. in VI. Clem. c. 24.

[7] Cap. 3, de elect. in 6°; cf. SUAREZ, op. c. lib. 4, cap. VI.

exclusive ad Romanum pertinent Pontificem. Attamen Cardinales leges ferre possunt in suis Ecclesiis titularibus in quibus ex privilegio uti ordinarii habentur, ut supra dictum est. *Collegiis ordinis administrativi* per se *non conceditur* ferre leges, tamen aliquando eorum decisiones *vim* legis habent, quod inferius videndum est.

104. Cum lex sit pro communitate membra tantummodo communitatis Legislatoris lege obligari possunt [1], quod ex dictis satis aperte deducendum est. Nisi excipiatur lex *ecclesiastica dogmatica* quae ius novum non inducit, sed ius a Deo constitutum ac in scripturis vel traditione revelatum, infallibiliter proponit. Sicut igitur omnes homines iuri divino, ita legibus dogmaticis subduntur. Impraesentiarum sermo est de legibus ecclesiasticis *disciplinaribus*. Leges ecclesiae disciplinares sunt *generales* vel *particulares*. Legibus ecclesiasticis disciplinaribus generalibus obligantur quotquot sacramentum *baptismatis* receperunt ac *rationis usum* adepti sunt, quod in iure post septennium praesumitur [2]. Etenim per baptismatis sacramentum aliquis Ecclesiae subditus fit immutabiliter [3]. Nam per baptismatis susceptionem, aliquis fit Ecclesiae subditus non per gratiam sanctificantem, quae amitti potest, sed per *caractherem* qui suscipienti imprimitur, atqui caracther est *signum indelebile*, immutabile, ergo et eius effectus est *immutabilis* [4], adeo ut qui semel est valide baptizatus permanenter et immutabiliter fiat Ecclesiae subditus. Fit tamen quoad leges poenales exceptio quae nonnisi puberes feriunt [5].

Hinc etiam *schismatici, excommunicati, haeretici* Ecclesiae legibus subiiciuntur. Verum Ecclesia miseratione suis legibus haereticos et schismaticos obligare non intendit, qui in ipsa haeresi nati

[1] L. 2. ff. de LL. Cf. quae supra dicta sunt cap. 1 de const. et cap. 10 eod. tit.

[2] Cap. 1 de const. c. 12, 13 de desp. impub. c. 12 de poenit.

[3] Trid. sess. 14, c. 3. de poenit. et can. 13, sess. 7.

[4] Trid. Sess. 7, can. 8 de sacr. in gen.

[5] C. 1, 2, de delictis impuberum.

sunt; nisi leges excipiantur quae latae sunt vel ad abusus compescendos, vel ad publicam moralitatem et utilitatem [1].

105. Qua in re, notandum est, quaesitum fuit an fideles Orientales omnibus legibus ecclesiasticis teneantur quae a Romanis Pontificibus promulgantur.

Ex litteris encyclicis S. C. de Propaganda Fide 8 Nov. 1882 responsum fuit « iuxta decretalem Innocentii III, vel Concilii Lateranensis IV « *Licet graecos* » et iuxta sententiam cuiusdam Theologorum congregationis coram Cardinali Pamphili (1631) coadunatae, nec non iuxta doctores maioris notae ac ipsius Lambertini (Benedicti XIV) hanc esse S. Congreg. Fidei Propagandae sententiam: in constitutionibus nempe Apostolicis Orientales comprehensos non esse nisi 1) de rebus fidei ac doctrina catholica agatur, vel 2) nisi Apostolicis constitutionibus lex naturalis aut divina declaretur, 3) et tandem nisi in legibus disciplinaribus expresse mentio fiat de Orientalibus. Haec doctrina, addit S. C., etiamsi a Sancta Sede expresse probata non sit, tamen ab immemorabili servatur apud Orientales, ac a theologis defenditur [2]. Imo quae Romanus Pontifex pro uno ex diversis ritibus orientalibus statuit ad alios extendenda haud sunt nisi de his expresse R. Pontifex caveat » [3].

106. Legibus particularibus subditi illius societatis particularis tenentur, a cuius legitima auctoritate lex dimanat. Ita v. g. religiosi exempti non obligantur legibus dioecesanis exceptis tamen iure excipiendis [4]. Verum duo requiruntur copulative ut quis ligetur

[1] Bened. XIV, const. *Magnae nobis*, 29 Iunii 1748. Const. *Ad tuas manus*, 8 Aug. 1748. Const. *Singulari nobis*, 9 Febr. 1749. Ex litt. 12 Sept. 1750, ad Episc. Uratislaviensem; Pii VI, Rescript. ad Card. de Frangeberg.; ex Brevi Pii VII, 8 oct. 1803, ad Arch. Mogun. Cf. LAYMAN in c. can. n. 2, de constit. REINFF. eodem n. 274. SCHMAL. eodem § 6, n. 35; AICHNER op. cit. § 208, cap. 1 de const.

[2] Cf. Card. HERGENROETHER in Arch. f. k. l. 7, p. 198 sq.; PAPP-SZILÁGYI p. 46. Collect. S. C. de Prop. F. n. 113.

[3] Benedict. XIV, Const. *Etsi pastoralis*, 26 Maii 1742, § 8, n. 24. Card. HERGEN. l. c. p. 200: PAPP-SZILAGYI l. c. § 23, p. 43 sq. et § 55, p. 120.

[4] Trid. sess. 25, c. 12, 14, 22, de Regul. et Monial.

legibus particularibus nempe 1) ut sit in territorio 2) ut sit de territorio; in utroque casu vel realiter vel fictione iuris. Hinc traditur principium « extra territorium ius dicenti impune non paretur »[1]. Ille est in territorio qui actu ibi reperitur; ille est de territorio qui ibi domicilium habet. Quare peregrini, qui nempe domicilium relinquunt animo revertendi, non obligantur legibus proprii domicilii quia actu non sunt in territorio[2], neque tenentur legibus particularibus loci ubi resident quia etiamsi sint in *territorio*[3], tamen non sunt de territorio. Verum fictione iuris aliquis censetur in *territorio* 1) qui proficiscitur in fraudem reservationis[4] 2) quoad impedimentum clandestinitatis decreti « *tametsi* » a Tridentino inductum[5] 3) quoad culpam commissam damnum illatum, vel ob omissionem actionis in suo loco praescriptae. 4) Qui ligatur censura vel praecepto aut possidet beneficium residentiale iuris fictione praesens censetur si indebite recessit. Iuris fictione aliquis censetur de territorio 1) si lex caveat de peregrinis 2) ratione contractus, delicti etc. et quoad leges publicam moralitatem respicientes 3) tandem idem de vagis dicatur qui nempe domicilium reliquerunt animo non redeundi nec alibi domicilium elegerunt[6]. Hisce exceptis qui aliorum territorium petit ad legem vitandam utitur iure suo ac « nemo in fraudem agit qui suo iure utitur »[7].

107. Instituunt auctores quaestionem an *legislator suis legibus teneatur*. Sunt qui dicunt teneri *ratione scandali*, vel ex *honestate naturali*[8]; alii dicunt teneri *quoad vim legis directivam*, non quoad *coercitivam*, quia ex iure naturali indirecte obligatur vinculo

[1] C. 2, t. 2, lib. 1 in 6°.

[2] Cap. ult. de const. in 6°. L. 20 de iurisd.

[3] C. 21 de sent. excomm.

[4] Bulla *Suprema* Clem. X.

[5] Cf. Aichner, op. et l. c. can. 2, dist. 8; Zitelli, Appar. pag. 35.

[6] Can. 11, dist. 12, cap. 2 de obser. ieiunii.

[7] L. 56 de reg. iuris ff., cap. 31 de election. L. *si quis postea* 7 de iudic. et ubi quis.

[8] Cf. Schmalzgr., Salmat.

legalis obligationis, quod ex sua lege procedit, non teneri autem quoad vim legis coercitivam idest coactivam, quia nemo est in societate qui eam in legislatorem exercere valeat [1]. Haec secunda sententia communiter a doctoribus traditur. Verum puto quaestionem melius enucleandam esse. In quacumque obligatione duo distinguenda sunt, nempe 1) *materia obligationis* seu id ad quod obligamur, et 2) *vinculum obligationis.* Nihil prohibet ut, *eadem manente materia,* vinculum obligationis aliquando *duplex* vel triplex sit; ita accidit de iis quae v. g. *iure naturali, divino* et *ecclesiastico* urgentur prouti *solvere decimas:* nihil prohibet ut aliquis ad idem praestandum *hoc iure teneatur.* alius vero *altero iure.* Hoc posito videtur certum cum omnibus legislatorem teneri ad *materiam suae legis,* nempe ad id praestandum quod aliis lex imperat; at difficultas est in hoc an scilicet teneatur *vinculo suae legis,* vel *vinculo iuris naturalis.* Et puto simpliciter dicendum teneri vinculo iuris naturalis, quia « *turpis est omnis pars suo universo non congruens* [2]. Et probatur ex incongruentia contrariae sententiae. Nam *a*) dicitur non teneri ad vim legis coercitivam quia nemo est Legislatori superior [3], atqui *hoc aeque* dici posset de vi directiva quae ex vinculo eius legis oritur; *b*) dicitur teneri legislator suis legibus directe iure naturae, indirecte sua lege; sed quod videtur impossibile neque indirecte admitti potest, atqui videtur impossibile quod legislator vinculo propriae legis obligetur, quia esset sibi secundum idem superior et inferior, ergo etc. Quod obligatio sit directa vel indirecta non mutat essentiam obligationis, sed ad obligationis originem se refert, atqui ratio qua Legislator obligari non

[1] D. Thom. 1. 2. q. 96, art. 5 ad 3, c. 2. D. q. L. 1 ff. ubi dicitur « quod quisque iuris in alterum statuit eodem ipse uti debet »; can. 20 *non liceat* 12, 9, 2. L. 4 Cod. de LL. Cfr. MACHAT, op. cit. lib. 1, t. 2.

[2] C. 2, d. 8 in Decreto. Hinc sapienter dixerunt ait clariss. FERRARI, (instit. can. pag. 132) not. 4. Imperatores Theodosius et Valentinianus cum hanc emiserunt sententiam: Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri L. 4 Cod. de leg.

[3] MACH., op. cit. l. cit.

videtur vinculo suae obligationis, non ex origine obligationis, sed ex ipsa obligationis essentia dimetitur, ergo. Ceterum quidquid sit de hac controversia, cum omnibus dicendum Legislatorem ad materiam suarum legum teneri [1].

§ 3. — *De fine, de obiecto, ac de vi legum ecclesiasticarum.*

108. Ad finem legum ecclesiasticarum quod attinet ex dictis liquet quod legum ecclesiasticarum finis non est nisi finis ipsius Ecclesiae, nempe animarum sanctificatio proxime, salus aeterna remote. Finis immediatus multiplex esse potest; attamen fines immediati eatenus *finis socialis* rationem habere possunt, quatenus rationem *medii* habeant ad finem ultimum et universalem Ecclesiae.

109. Obiectum autem legum ecclesiasticarum fidelium *actiones sunt in foro externo,* et quidem *bonae* obiectum sunt legis praecipientis, *malae* legis vetantis, punientis et irritantis, indifferentes autem legis *permittentis* [2]. Fuerunt qui dixerunt Ecclesiam quatenus societas est, *leges* etiam *in foro interno* ferre posse, tum quia illa verba *quodcumque ligaveris* etc. limitata non fuerunt, tum quia salus animarum, quae est finis legum ecclesiasticarum, magis ex internis actibus pendet [3]. At communis et verior sententia est, Ecclesiam quatenus societas, de actibus mere internis leges ferre non posse [4]. Etenim humana iurisdictio leges ferre nequit de actibus de quibus iudicare quosque punire non possit et cuius proinde nihil

[1] Ad rem cl. d'Annibale, op. c. p. 194 v. 1. animadvertit quod si legislator est persona singularis, suis legibus non tenetur quia nemo sibi vetare aut praecipere quidquam potest (L. 56, de recept. arb.) videtur tamen inclinare in eorum sententiam qui dicunt teneri ex charitate ob exemplum et sub levi. Profecto si legislator est quoddam collegium, quaedam persona moralis, personae singulares eadem lege tenentur, militat enim ratio contraria.

[2] L. 7 ff. de leg.

[3] Cf. Suarez op. cit. Mach. l. 1, t. 2.

[4] D. Thom. 1ª 2ªᵉ q. 94, art. 4-9, 100, art. 9; Suarez, l. 4, op. XII, c. 34, de sim.; can. 14 de poenit. d. 1, cogitationis poenam nemo patitur can. 1, d. 4, contra glos. in Clem. 1, de haeret.

intersit [1]. Quare Innocentius III ait « *Nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare* » [2]. Item Tridentinum ait: *Ecclesia de occultis non iudicat* [3]. Caeterum plus est leges ferre, quam iudicare, notat Suarez [4], ergo si nisi de *actibus externis* iudicari potest, etiam nisi de iisdem leges ferendae sunt [5]. Tamen hoc non dicitur *ex rei impossibilitate* secundum se, sed secundum quod *de facto* de Ecclesia accidit prout in civili societate contingit. Neque difficultas sit in foro conscientiae Ecclesiam iudicare *de internis*, in tali enim foro Ecclesia non iudicat ut societas, sed Ecclesiae minister ipsum Deum repraesentat, ac talia iudicia bonum individui, non societatis directe respiciunt [6].

110. Attamen cum leges Ecclesiae ad bonum internum animarum referantur, Ecclesia *actus materiales externos* non praecipit, sed quatenus actus externi cum internis actibus eorum forma *coniunguntur*. Quo sub respectu et actus interni sub lege ecclesiastica cadunt [7]. Ita damnata est propositio « *quis paschali praecepto satisfacit sacrilega Communione* » [8].

111. Insuper actus humani sunt vel *futuri*, vel *praesentes*, vel *praeteriti*. Certe *futuri actus* cadunt sub lege. Nam cum lex sit operationis regula, de se *anterioritatem* supponit, eo modo quo *mensura mensurato* praesupponitur [9]. *Praesentes* autem actus praeteritis aequiparantur. At quoad actus praeteritos dicendum est actus

[1] Cap. *consuluisti,* 20-2-1, D. Th. 2-2, 104, 5.

[2] Cap. 33, 34, de simonia.

[3] Sess. 24 de reform.; 1 ad Corinth. 14, cap. 11, distinct. 32. Arg. cap. 33, § ult. et cap. 34 de simon.

[4] Op. cit. et loc. cit.

[5] D. Thom. 1a 2ae q. 1. 4.

[6] Cf. Santi, praelect. i. c. l. 1, t. 2, n. 15.

[7] Cap. 9 de celebr. Miss., et Clemen. 1 de haeret.

[8] Cf. Santi, l. c. op. cit. Clem. 1 de statu monach.; cap. *si quis* 8, dist. 30; cap. *omnis* de poenit. et remiss.; caput *dolentes* de celebr. Miss. et Clem. 1, eod. t; caput *commissa* de elect. in 6°. Cf. Suar., de legibus l. 4, cap. XIII, prop. 14, damnata ab Alex. VII, prop. 55, damnata ab Innocentio XI. Cf. d'Annibale, op. c. p. 191.

[9] Cap. 2 et ult. de constit. et in l. *leges et constitutiones* Cod. de legibus.

praeteritos non cadere sub lege *praeceptiva* iuxta supra dicta [1] nisi lex expresse caveat de praeteritis et agatur de negotiis pendentibus [2]. Item de lege prohibente dicatur. Verum actus praeteriti cadere possunt sub lege *declarativa*, inhabilitante et irritante. Etenim *lex declarativa* regula actionis non est, sed regulam latam supponit eamque interpretatur [3]; nisi de ea agatur quae legem latam coercet, vel protrahit. Sequitur quod non illa sed haec indiget promulgatione. Lex *inhabilitans* fertur in subiectum prouti nunc existit, etiamsi *ratio inhabilitatis* ex actibus praeteritis deducenda sit [4]. Item lex ex iusta causa potest actum iam elicitum *irritare*, dummodo actus sit irritabilis; uti ex. gr. matrimonium consummatum non est irritabile. Attamen hoc fieri non debet nisi vel in *poena* alicuius novi delicti, vel ob *boni communis necessitatem*, vel quia actus contra legem anteriorem erant. Item lex irritare potest legis poenalis effectus ideoque uti validos habere actus qui ceteroquin erant invalidi [5]. Ratio est quia lex directe magis cadit in effectus praesentes actus praeteriti.

[1] Cap. 2 et ult. de constit. cap. 1. de cler. non resid. in 6°. Clem. 1, de test. etc.

[2] Clement. 1 de sent. excommunicat. Verum hoc in capite quod communiter ab auctoribus citatur potius de lege poenali agitur. Declarat enim Clem. V. Religiosos etiam exemptos interdictum positum per Sedem Apostolicam et per ordinarium loci violantes excommunicationem incurrere ipso facto et addit S. Pontif. « porro hanc sanctionem ad *pendentia* trahimus » proinde proprie de actibus omnino praeteritis non agitur cum negotium adhuc pendeat. Auctores item citant legem 19 Codicis de SS. Ecclesiis, in qua Iustinianus statuit quando donatio facta et non intimata valeat, quando autem requiratur insinuatio. Verum hac lege Iustinianus voluit ex parte leges veteres declarare, et sub lege profecto declarativa cadunt etiam actus praeteriti et proinde etiam donationes iam peractae. Quoad ea vero quae hac in lege noviter statuta sunt, haec non proprie actum praeteritum praecepti causa respiciunt, sed potius id quod posito actu praeterito, erat agendum, idest insinuationem donationis quae excedit 500 solidos, alioquin donatio pro non facta habetur.

[3] C. 40, ut lex 27, q. 1. leg. *omnes populi* ff. de iust. et iur. Cf. SUAREZ o. c., cap. 14, l. 3, c. fin. de spons. duor., c. 40 ut de simon., c. 5 de usuris ex l. 5 cod. de pact. pign. « tanquam si lex ab initio cum interpretatione tali promulgata fuisset.

[4] Cf. d'ANNIBALE, op. c. pag. 170.

[5] Trid. sess. 23, cap. 6. sess. 22, cap. 4 de reform. sess. 25, cap. 21 de regul.

112. Vis et effectus legis in genere est subditorum obligatio. Verum cum homines magis poenis quam praemiis moveantur, legibus sanctio poenalis coniungitur, seu poena, quae a transgressoribus sit solvenda. Quapropter duplex est legum vis, alia directiva qua obligatio servandi legem inducitur, alia coactiva qua transgressores ad poenae solutionem coguntur [1].

Ex his eruitur, quod etiamsi per se loquendo, ex legislatoris voluntate, lex haberi possit quae vim directivam solum habeat uti apud Romanos erant leges quae dicebantur imperfectae [2] aut solum vim coactivam prouti sunt plures leges fiscales, quae mere poenales dicuntur ut lex iubens multam dependi ab iis qui fraudant vectigalia [3] in civili societate, tamen in Ecclesia, exceptis nonnullis regulis Regularium Seminariorum etc., non dantur leges mere poenales quae scilicet vi directiva careant. Poenae etenim Ecclesiae culpam ac proinde legis *vim directivam* seu obligationem in conscientia supponunt. Nam finis Ecclesiae socialis est bonum individuorum, est rei emendatio, uno verbo animarum sanctificatio, quam profecto quisque mediis sibi propositis seu legibus assequi tenetur [4].

§ 4. — *De legum ecclesiasticarum divisione.*

113. Ex dictis de legibus ecclesiasticis earumdem legum distinctiones facile colliguntur. Et sane ratione subiecti lex ecclesiastica est vel *universalis,* vel *particularis*; ratione obiecti leges sunt *disciplinares* aut *dogmaticae.* Ratione *sui* sunt *praecipientes, prohibentes, poenales, permissivae, declarativae, irritantes* [5]. Ratione

[1] Cap. 7 de elect.; cf. Suarez o. c. l. c.; c. 10, 12, 67 de const.; c. 8, 9, 10 de rescript.; Trid. sess. 7. c. 2, 3, 6, 9 de reform.; c. 37. caus. 35, q. 9; c. 39 et ult. de rescript.; c. 2. de constit.

[2] L. 9, § *proprie,* ff. de rerum divis. L. 41, de poenis.

[3] Cf. Serafini, Gaium de donationibus, de leg. Cincia, l. 2. ff., et l. 3. Cod. de LL. cap. 1 de const.

[4] Cf. Suarez, V, IV, 2.

[5] D. Thom. 2. 2ae. q. 189, a. 9 ad 1.

causae efficientis leges aliae sunt *decreta Episcoporum*, aliae *leges conciliares oecumenicae*, vel *nationales*, aut *provinciales*, aut *dioecesanae*. Quod si leges a R. Pontifice ferantur constitutiones dicuntur, quae tum *ratione materiae*, tum *ratione formae* dividuntur. *Ratione materiae* Pontificiae constitutiones aliae dicuntur *Decreta*, aliae *epistolae Decretales*, aliae *litterae Encyclicae*. *Decreta* sunt quae motu proprio eduntur; *Epistolae Decretales* quae consultatione vel aliorum relatione provocantur, dicuntur etiam *Rescripta*. *Litterae Encyclicae* sunt quas R. Pontifex vel ad Episcopos totius orbis, vel unius nationis aut provinciae mittit. *Ratione formae* aliae dicuntur *Bullae*, aliae dicuntur *Breves*. Illae sunt in quibus agitur de negotiis gravioribus quaeque clauduntur sigillis plumbeis. Graeco idiomate verbum *Boullevein* significat sigillare. Sum. Pontifex Agathon qui regnavit anno 360 litteras omnes cera signare consueverat. At ob excrescentiam pontificiorum diplomatum usus obtinuit, ait Cardinalis Petra, litteras omnes magni momenti plumbeo sigillo muniri, ut tempore Stephani III anno 410, vel Hadriani I. an. 772 servatum fuit, referente Polidoro Virgilio. Nonnulli tamen plumbea sigilla se vidisse testantur temporibus Sylvestri, Leonis Magni, Gregorii M. et Sergii ut refert Ducange in verba *Bulla Plumbea*. Bullarum expeditio fieri solet quatuor modis vel per *Cancellariam* vel per *Cameram Apostolicam*, vel per *viam secretam*, vel *viam Curiae* iuxta negotiorum diversitatem. *Breves* sunt Pontificiae constitutiones quae a *Brevium Secretaria* expediuntur in quibus ex cera rubra sigillum apponitur *annuli Piscatoris*. In his agitur de negotiis levioris momenti ac breviori sermone. Modus vel formula signandi sub annulo Piscatoris non satis antiqua videtur. Ex epistola Clementis IV ad Petrum Grossum nepotem suum an. 1265 apparet iam saeculo XIII eum usum in Curia Romana invaluisse.

§ 5. — *De legum ecclesiasticarum cessatione.*

114. Etiamsi lex in sensu iuris perpetua sit, tamen cessare oportet vel ab intrinseco, vel ab extrinseco. Ab intrinseco lex

cessat cessante ipsius fine [1]. Quamvis enim legis finis sub lege non cadat, est tamen finis causa legis condendae atque conservandae, cum ratione finis assequendi lex sit necessaria et utilis. Cessante legis fine lex fit saltem *inutilis*, ac proinde cessat in legislatore *ius urgendi legem*, quod ius eiusdem legis fundamentum est. Verum cum lex sit *pro tota communitate* cumque *lex multipliciter* seu *pluribus articulis* ac *multiplici sub respectu* necessaria aut utilis esse possit, ideoque communitatem obligare, ut lex ab *intrinseco* cesset, exigitur ut eius finis cesset *pro tota communitate;* ut cesset *totaliter* requiritur, ut eius finis *inutilis* aut nocivus fiat *quoad omnes articulos*, et *sub quovis respectu* [2]. Sunt qui distinguunt inter *mutationem contrariam*, et *negativam* finis seu obiecti legis. Dicitur mutari *contrarie* obiectum legis, quando propter mutationem materiae vel etiam circumstantiarum fit iniustum, vel quocumque modo *turpe* servare legem, aut *impossibile* saltem moraliter; quo in casu lex cessat *ipso facto*. Dicitur *mutatio negativa* si in tali materia legis iam *non* invenitur *ratio* ob quam lex posita fuit, licet ea sublata adhuc materia *per se mala non sit*, nec *impossibilis*, aut *iniusta*, quo in casu, iuxta nonnullos, sententia Principis *declaratoria* exigeretur [3].

115. Ab *extrinseco* lex cessat *totaliter* per *abrogationem*, per *irritationem*, *partialiter* per *derogationem*, per *dispensationem*. *Abrogatio est « Legis ablatio totalis quae fit a legislatore »*. Legislator vel eius successor totam legem revocare potest vel *expresse*, vel *tacite* contrariam legem promulgando [4]. *Res enim per quas causas enascitur per easdem dissolvitur* [5].

Lex item tacite abrogatur per contrariam consuetudinem quae

[1] Cap. 2, dist. 4, cap. 60 De appellat.

[2] SUAREZ, VI, 7, 3, IX; cap. 60 De appellat. Cf. D. Tom. 1a. 2ae. 103 art. 3, 4. Salmat. XI, 4, 2.

[3] Cf. MACHAT. op. cit. lib. 1, t. 2, § V; D'ANNIBALE op. c. pag. 167; SUAREZ, VI, q. 2.

[4] L. 102 de Verb. Signif.

[5] Reg. in Decretal.

vim legis habeat. Notandum est contrariam legem anteriorem abrogare, dummodo ita priori contraria sit, ut cum ea *componi nequeat.* Hinc, prouti videbimus de legum interpretatione, lex posterior generalis abrogat legem anteriorem generalem contrariam, non autem legem anteriorem specialem sive particularem nisi de ea mentio fiat. Nam ut eleganter ait Bonifacius VIII [1] R. Pontifex etsi omnia iura seu leges generales in scrinio pectoris sui servare dicendus sit, non item de legibus particularibus, quas « cum sint facti et in facto consistant » potest probabiliter ignorare. Legis abrogatio quae a Legislatore fiat, semper valida censenda, etiamsi illicita sit dicenda si ex iniusta causa lex abrogatur. Legislator enim contra bonum societatis ageret pro qua ex hypothesi lex quae abrogatur adhuc necessaria et utilis foret [2]. *Irritatio* autem legis inferioris legislatoris abrogatio est. Supremus in societate legislator inferioris legislatoris legem abrogare potest, cum uti inferior legislator ita eius leges a suprema pendeant potestate. Inferior legislator tamen suam legem abrogare nequit si a Superiore *forma speciali* confirmata fuerit; tunc enim lex non ab inferiore sed ab ipso Superiore vim habet. Secus si confirmatio lata sit *in forma communi* nempe ad maiorem rei extrinsecam auctoritatem [3]. Derogatio est « *partialis legis abrogatio* » nempe legis est abrogatio quoad unum aut alterum articulum aliis manentibus [4]. *Dispensatio* est *legis relaxatio publica auctoritate facta in casu particulari, legis vigore manente ex parte materiae.* Nam si materia sit legi subducta non adest legis dispensatio sed interpretatio. *Dispensatio* est *totalis* aut *partialis* prout obligationem tollit ex toto vel ex parte; est *expressa* vel *tacita* quae ex mente legislatoris colli-

[1] Cap. 1 de constit. in VI.

[2] L. 1 ff. de constit. Princip. Salmaticenses apud MACHAT op. cit. l. 1, t. 2. Trid. sess. 24, c. 5, de reform. matr., sess. 22, c. 15, de reform., sess. 25, cap. 28, de reformat.

[3] Const. *Ap. Sedis* qua censurae latae sententiae limitantur est simul abrogatoria et derogatoria D'ANNIBALE op. c. pag. 166, v. 1, n. 12.

[4] C. 15, § 1, de temp. ord. Clement. 2, pr. de Elect.

gitur, uti si v. gr. Praelatus religiosum extra claustra deiiciat; tacite cum illo dispensat ut oblatam sibi pecuniam acceptare possit. Summus Legislator in societate sive *iusta*, sive *iniusta causa* valide etiamsi secundo casu illicite dispensat [1]. e contra inferior qui ex delegatione dispensat, nonnisi ex *iusta causa* potest licite et *valide* dispensare; ratio est quia pro dispensatione ex iniusta causa mandatum non habuit [2]. In genere ille potest dispensare qui legem tulit eiusque delegatus [3]. Facultas dispensandi est *latae interpretationis* [4], dummodo non vergat in *tertii praeiudicium* [5]; at ipsa dispensatio *strictae est interpretationis* cum sit legis vulnus [6]. Fit quaestio an Legislator sibi dispensare possit, et communiter affirmatur [7]. At haec quaestio ab alia pendet an nempe legislator *vinculo suae legis, quod ab ipso prodit,* teneatur; de qua iam supra locuti sumus. Dispensare enim non est nisi *subtrahere aliquem a subiectione legis.* Hinc iuxta supra dicta videretur potius dicendum legislatorem iudicare posse, quibus in casibus *ius naturale,* quo ad materiam suae legis implendam cogitur pro ipso legislatore *non urgeat.* Et hoc de legibus *proprie dictis* promulgatis sufficiat.

[1] Cf. Machat, op. et l. cit.

[2] Can. 4, d. 21. Clem. 2 de elect.; cap. 15 de temp. ordin.

[3] Can. 4, d. 21. Clem. 2. de elect.; cap. 15 de temp. ord.

[4] Cap. ult. de Simonia.

[5] Cap. 20 de V. S.

[6] Cap. 1 et 2 de filiis presbyterorum in 6°. Nisi tamen *motu proprio* concessa sit communitati vel ad bonum commune.

[7] Caiet. Salmat. Cf. Machat, op. c. l. 1, t. 2, qui hoc deducit ex regula desumpta est l. 5 ff. de adopt., l. 1, 5 ff. de manumiss. vind. qua statui videtur quod ad exercitium iurisdictionis voluntariae non requiritur distinctio personalis inter eum a quo et cui praestatur auctoritas. Tamen iuxta supra dicta solvitur difficultas.

ARTICULUS II.

De legibus proprie dictis non promulgatis sed consuetudine introductis.

Videbimus 1) de natura consuetudinis; 2) de divisione consuetudinis; 3) de consuetudinis caractheribus ad ius inducendum; 4) de consuetudinis iuridico effectu; 5) de cessatione consuetudinis.

§ 1. — *De consuetudinis natura.*

116. Consuetudo dupliciter considerari potest, vel nempe quatenus est factum et tunc consideratur *causaliter* et *inchoative*, vel quatenus est ius et tunc consideratur *formaliter* et *complete*. Primo modo consuetudo est « *Similium alicuius communitatis actuum liberorum frequentia* » vel « *frequentia operandi libere eodem modo* »[1]. Consuetudo *facti* non est in actibus *necessariis*, hinc in brutis non consuetudines sed mores inveniuntur. Deinde consuetudo non in singulis actibus, sed in eorum frequentia consistit. Hac facti consuetudine posita, aliquando, *nonnullis extantibus circumstantiis*, de quibus inferius, ius seu *iuris consuetudo* oritur, vi cuius populus hoc determinato modo agere cogitur. Quo sensu *iuris consuetudo* definitur: « *Ius non scriptum diuturnis populi moribus introductum aliquo legislatoris consensu* ». Dicitur autem *ius non scriptum*[2] quia nec per se scripturam requirit, sed *usu ipso* introducitur, imo, iuxta Suarez sententiam, consuetudinis ratio non immutaretur, etiamsi ius consuetudinarium scriberetur[3]. Intelligitur tamen dummodo rursus *ius non promulgetur*, vel ex *scriptura ei nova vis non addatur*. Apud civile ius Romanorum consuetudo iuris definitur:

[1] Cap. 1 de const. in 6°. D. Thomas 1a. 2ae. q. 58. Cf. SUAREZ op. cit. l. VII, cap. 1.

[2] L. 36 ff. de LL. et in l. 6 ff. de iust. et iure, cap. ult. de consuetudine, c. 1 de constit. in 6, can. 5, distinct. 1, L. 32, h. t. ff.

[3] De legibus L. 1.

ius diuturnis populi moribus et tacito populi consensu introductum [1]. Haec definitio desumitur ex *statu democratico* populi Romani; ita in statu *aristocratico* optimatum consensus requireretur uti notat Machat [2]. *Consuetudo iuris,* uti patet, est potius *consuetudinis effectus;* hinc in casu effectus sumitur pro causa.

117. Ex allata definitione patet quomodo consuetudo differat *a lege, a praescriptione, a traditione: a*) Differt *a lege promulgata* non proprie quia lex est *scripta,* e contra *consuetudo,* quia *non est* de legis *essentia* ut scripta sit, nec semper de facto leges promulgatae *scriptae* sunt apud populos, sed quia lex oritur ex *directa Principis voluntate* promulgatione manifestata, dum consuetudo primam originem habet *ex populi moribus. b*) Differt a *praescriptione* [3] quia 1) praescriptio inter *privatos* locum habet: si communitas praescribat, uti privata persona habetur; 2) praescriptio non inducit nisi *ius particulare*; 3) praescriptio saltem ordinaria non obtinet nisi praescribens sit in *bona fide* ac titulo *iusto* et saltem ut dicitur *colorato* possessionem habeat; quod in consuetudine praesertim *contra legem* non exigitur [4]; 4) in praescriptione non est necessarius illius consensus contra quem praescribitur, e contra quoad consuetudinem [5]. *c*) Differt a *traditione* quae est « ius antiquum a legislatore inductum et viva voce ad communitatem traductum »; consuetudo vero a communitate inducitur.

§ 2. - *De consuetudinis divisione.*

118. Cum consuetudo referri possit vel ad *subiectum* vel ad *obiectum,* vel ad *ipsam legem* promulgatam, consuetudo tripliciter distinguitur. *a*) Relate ad *subiectum* dicitur *generalissima* quae inter

[1] L. 32 ff. de LL. C. 5, d. 1.

[2] MACHAT, Inst. iur. can. l. 1, t. 4.

[3] Praescriptio est « adiectio dominii vel quasi dominii aut alicuius iuris sive realis sive personalis per continuatam possessionem tempore et modo a lege definito ». Hinc *praescriptio* convenit cum consuetudine, quia in utraque ius oritur *posito facto possessionis.* De praescriptione videbimus agentes de iudiciis.

[4] SUAREZ, VII, 18, 24.

[5] Cf. SUAREZ, op. c. l. 7, cap. 7.

integras gentes oritur uti consuetudines quae ad ius gentium pertinent; *generalis* si in toto regno invaluerit; *specialis* si in tota civitate, *specialissima* si in minima communitate. Est tamen notandum, quod cum *hae minimae communitates leges proprie* dictas sibi constituere non possint, ideo neque iuris consuetudines. *b*) Relate ad *obiectum* consuetudo alia est *extraiudicialis*, alia *iudicialis* prouti in materia iudiciali vel extraiudiciali introducitur. Censetur *consuetudo iudicialis*, cum *innumerae* sententiae super *eodem genere* causarum proferuntur a tribunalibus. Ad hanc etiam consuetudinem reducitur quod dicitur, *praxis forensis, stylus Curiae,* magnique momenti est ad ius dicendum, atque interpretandum. *c*) Relate tandem ad *legem iam promulgatam* consuetudo alia est *secundum legem* iam latam quam firmat et interpretatur, iuxta illud « *consuetudo est optima legum interpres* » [1], alia est *consuetudo praeter legem,* quae ius novum nec legibus latis contrarium introducit, alia tandem est consuetudo *contra legem,* quae legi praeexistenti ius contrarium inducit vel eam ex integro *abrogando,* vel ei saltem *derogando* [2].

§ 3. *De consuetudinis caractheribus ad ius inducendum.*

119. Hisce praehabitis de consuetudinis caractheribus videndum est *ad ius inducendum.*

Cum consuetudo *eamdem* in societate *obligationem* inducat, quam ipsa lex a Principe promulgata introducit, cumque ex alia parte consuetudo a lege promulgata differat, quia *alio modo* eadem obligatio introducitur, iam patet quod consuetudo *iisdem* legis *requisitis* muniri debet, quatenus *eamdem* legalem obligationem inducit, *aliis* e contra *sibi propriis* quatenus eadem legalis obligatio consuetudine *alio modo* introducitur.

120. *a*) Requisita quae consuetudo cum lege *communia* habet, quatenus eamdem legalem obligationem inducit in societate, ad

[1] Can. 3, § *leges,* d. 4; l. 37 ff. de legibus.

[2] L. 32 ff. de LL.; can. 5, dist. 1.

rationabilitatem tum ratione *sui*, tum ratione *finis* reducuntur, prouti de lege locuti sumus. Quare quae rationalis consuetudo est *iusta, honesta, utilis*, et in sensu iuris perpetua. Irrationalis consuetudo esse potest *ratione finis*, quia neque necessaria, neque utilis est ad finem socialem consequendum. *Ratione sui* 1) est irrationalis consuetudo quae est per se *mala*, quo in casu non datur nisi *consuetudo facti*, non iuris, prouti lex mala non existit; 2) quae in iure uti *iuris corruptela* reprobatur. Qua in re est notandum *abrogare* consuetudinem non est per se eam *reprobare*, ita ut numquam oriri possit, cum consuetudo et quae uti *irrationalis abrogatur*, tractu temporis rationalis fieri possit. Hinc *futura* consuetudo a lege efficaciter reprobari non potest *nisi sit per se mala* et iuris corruptela [1]; 3) quae fovet peccato [2]; 4) quae iuri *naturali* aut *divino* adversatur, prouti erant plures pharisaeorum et haereticorum abusus [3]; 5) quae *nervum abrumpit* Ecclesiasticae disciplinae uti si iurisdictionis potestas impediatur, aut [4] ecclesiae immunitas laedatur etc. In decretalibus [5] in genere irrationales dicuntur consuetudines « quae nec ratione iuvantur, nec sacris congruunt institutis » quod iuxta dicta est intelligendum [6]. Neque dicatur consuetudinem *contra legem* esse irrationalem, nam aliud est dicendum de *consuetudine facti*, aliud de *consuetudine iuris*. Profecto consuetudo facti *contra legem* donec cum *iuris consuetudine* non coniungatur, est *mala*, ac primi actus animo tollendi legem exercentur, ideoque talis consuetudo *peccaminosa* est [7]. At *iuris* consuetudo *non* est *irrationalis*, utpote quae legem latam

[1] C. 1, de const, in 6°. Cf. SUAREZ l. 7, de consuet. can. 6, d. 12, c. 3, 4, 5, 7, h. t.; c. 56 de elect.

[2] C. 10 de consuetudine.

[3] C. ult. de consuet. can. ult. dist. 8.

[4] C. 16 de praescript., can. 3 et seq. d. 8. Canon. 1 et 2, d. 12, c. 3-5 de consuet. Cf. SUAREZ lib. VII, cap. 18.

[5] Cap. 1 de iis quae fiunt a maiori parte capituli.

[6] Cf. C. L. t. sub Alexand. III, part. 1, cap. 16.

[7] Cf. D'ANNIBALE op. c. pag. 168, not. 25.

abrogat, tum quia haec consuetudo *legislatoris consensu* non vero facto nempe moribus populi vim habet, tum quia ex diuturna facti consuetudine, aliis comitantibus requisitis, de quibus inferius, *lex lata irrationalis* efficitur [1].

121. *b*) Verum cum lex consuetudinaria non promulgationis sed *diuturnis* populi *moribus* introducatur, oportet, ut propria requisita habeat, eo modo quo propriis requisitis lex ornatur quatenus per *promulgationem* communitati imponitur. Interim, quod ad consuetudinem pertinet, *a*) ex parte principis *consensus* exigitur vel *tacitus* vel *praesumptus* seu *legalis* [2]. Etenim obligatio in tota communitate oriri non potest nisi ab eo qui curam communitatis habet nempe a Principe. In lege Legislatoris consensus *expressus* invenitur, quia lex eius voluntate *directe* imponitur, e contra in consuetudine quae oritur ex populi moribus. Uno verbo in lege Principis *voluntas obligandi*, in consuetudine *assensus obligandi* requiritur. Quod adeo verum est, ut si in aliquam consuetudinem Princeps *expresse* consentiat, iam consuetudo *lex promulgata* efficitur. Consensus autem tacitus interesse putatur, quoties legislator consuetudinem *introductam noverit*, at non reclamat cum reclamare *possit et debeat:* hoc sensu exclusive principium valet: *qui tacet consentire videtur* [3]. Quare silentium ut dicitur *oeconomicum* seu ad maiora mala vitanda, iuris consuetudinem impedit. Ius na-

[1] Cf. Suarez op. c. qui regulas addit ad consuetudinem rationalem cognoscendam.

[2] L. 32 ff. de LL. L. 2. Cod. Quae sit longa consuetudo. D. Thom. 1a. 2ae. 97, 3 ad 3. L. *quibus* ff. de LL. ubi Iulianus ait « nam quum ipsae leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptae sunt merito et ea quae sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes: nam quid interest suffragio populus voluntatem suam declaret an rebus ipsis et factis? Quare rectissime etiam illud receptum est ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur ». Notetur quod cum canonicis institutis de consuetudine non convenit hac in lege, ex forma societatis Romanae *democraticae* desumendum esse.

[3] Reg. 43, 44 in VI.

turale ceteroquin exigit ut alicuius legis obligatio *perseveret*, neve nova obligatio inducatur, nisi constet aut *legitime praesumi* possit legem latam a Legislatore abrogatam, aut novam legem latam esse.

Quia autem non omnes consuetudines a Principe cognoscuntur, quoad has consuetudines quas princeps ignorat, ex parte Principis consensus *praesumptus seu legalis* sufficit, eo quia in iure etiam *canonico* omnes rationales consuetudines *legitimo tempore praescriptas* Princeps adprobat [1].

Ceterum clarum est illius Principis consensum *tacitum* vel *praesumptum* exigi, qui in ea communitate leges ferendi potestatem babet. Hinc v. g. in consuetudinibus Ecclesiae universalis S. Pontificis *consensus* requiritur, in consuetudinibus dioecesis Episcopi. Imo uniuscuiusque consuetudinis vis ad ea sese extendit, ad quae uniuscuiusque legislatoris potestas legifera se protendit. *b*) *Ex parte consuetudinis* exigitur ut consuetudo sit *legitime praescripta* quatenus nempe *tempore* a lege *praefinito* perduraverit: et communiter *decennium* pro quacumque consuetudine assignatur [2]. Verum haec conditio est *hypothetica*. Nam decennii continuatio ex parte consuetudinis requiritur in iure, ad legislatoris *legalem consensum praesumendum;* agitur proinde de consuetudine quam princeps ignorat. Quare si ante *decennium* Princeps cognita consuetudine tacite assentiat, consuetudo, ni aliud obstet, *statim* vim habere potest [3]. Haec ex parte legis non requiruntur, cum in lege Principis *expressa* voluntas semper manifesta sit.

c) *Ex parte communitatis* vero, cum consuetudo ex ipsius communitatis facto oriatur, requiritur, ut communitas sua consuetudine

[1] Cap. ult. de consuetudine; l. 32 et 35 ff. de LL.; l. ult. Codicis quae sit longa cons.

[2] Bened. XIV, de Synod. XIII, 54. Ex toto titul. Cod. quae sit longa consuetud., l. 10. si servit. vind. Qui exigunt spatium 40 annorum ex cap. 21 de consuet. notat D'ANNIBALE consuet. cum praescriptione confundunt. SUAREZ VII, 18, 24.

[3] Can. 7. dist. 12. Arg. ex l. 1 C. quae sit long. cons.; § 1 Inst. de usucap.; l. 11. Codicis de praescript. long. temp. Cfr. MACHAT op. c. de consuet. etc. etc. Ex cap. 3 de cognat. spirit. D. Thom. 1a. 2ae. 97, 3 ad 3. REINFF. I, IV, 95.

sese obligare vel se a legis latae obligatione *liberare* intendat, quo in casu consuetudo dicitur potius dissuetudo [1]. Etenim etsi obligatio iuridica consuetudini ex Principis *consensu* accedat, tamen Princeps in consuetudinem *consentit prouti est:* hinc si consuetudo non sit ad obligationem inducendam, neque Principis assensus obligationem inducit.

Non est autem dicendum communitatem sua consuetudine sese obligare, aut se ab obligatione liberare intendisse nisi *a*) consuetudo *a maiori ac saniori parte communitatis* inducatur quae capax sit recipiendi legem; alioquin *communitatis consuetudo* dici *non* posset [2]; *b*) nisi *per actus liberos et non interruptos* nec dissimiles consuetudo vigeat [3] nam per actus non liberos communitatis voluntas non manifestatur, per actus *autem interruptos* aut dissimiles contraria voluntas ostenditur.

122. Ex quibus liquet quomodo consuetudo sit *lex proprie dicta* quae non promulgatione, sed *diuturnis* populi *moribus* introducitur. Quatenus est lex cum lege convenit quoad requisita quae a *promulgatione praescindunt* quaeque in *rationabilitate* concluduntur, prouti legem diximus esse rationis ordinationem ad bonum commune. Quatenus consuetudo et lex *diverso modo* introducuntur propria requisita unaquaeque habet; at requisita unius aequivalent requisitis alterius, quia omnia ad hoc reducuntur *a*) *ut lex consensu Principis firmetur, b*) *ut lex communitati imponatur.*

§ 4. *De consuetudinis effectu iuridico.*

123. Itaque consuetudinis effectus in genere est *ius dicere in communitate,* aut novam legem inducendo aut legem *latam* abrogando. Quod si de singulis consuetudinibus *iuxta legem*, *praeter legem,* et *contra legem* sermonem instituamus; quoad consuetudinem *iuxta legem* dicendum est hanc esse consuetudinem potius

[1] Arg. ex l. 32 ff. de LL.

[2] L. 32, 35 de legibus ff.

[3] L. 1 Codicis quae sit long. consuet. L. 58 de legibus ff.

facti quam iuris, de quacumque lege agatur sive *naturali*, sive *divina*, sive *humana*. Dicitur haec consuetudo esse potius iuris *imitativa* vel *executiva*, hinc lege sublata et consuetudinem corruere necesse est. Tamen eius effectus sunt 1) *ut legem firmet*[1], 2) *ut legem interpretetur*[2]. Alii enumerant alium effectum ut nempe lex aliquando *extendatur*, verum hoc ad consuetudinem *praeter legem* reduceretur[3]. Consuetudo *praeter legem naturalem* proprie *non* datur quia consuetudo legis vim habet consensu Principis, ideoque rationem habet legis humanae. Tamen *secundum quid* consuetudo *praeter legem naturalem* vim habere potest, quoad actus per *se honestos*, qui lege naturali saltem quoad exercitium non praecipiuntur. Praeter *ius divinum* autem consuetudo secundum quid *admittitur* prouti accidit circa traditiones quas universa tenet Ecclesia de quibus nec Christus Dominus, neque Apostoli expressum praeceptum tradiderunt[4]. Consuetudo *contra legem naturalem* non admittitur cum lex naturalis lege humana abrogari non possit[5]. Neque consuetudo admittitur *contra ius divinum* eadem de causa[6]. Quod si agatur de *lege humana*, consuetudo *praeter legem* novam obligationem inducit vel *praeceptivam*, vel *prohibitivam*, vel *irritantem*, vel *impedimentorum etiam matrimonium dirimentium inductivam*[7]. Consuetudo *contra legem* humanam, eam abrogare potest vel *ex toto*, vel *ex parte*, vel *quoad poenam et culpam* nempe quoad *vim directivam* et *coactivam*, aut solum

[1] Can. 3, dist. 4, in decreto.

[2] Cap. 8 de consuet.; l. 37-38, ff. de LL.

[3] Cf. SUAREZ, op. c. et l. cit.

[4] Cf. SUAREZ, l. 7, c. 4, op. cit,

[5] D. Th. 1a. 2ae. q. 37, art. 3 ad 1; cap. ult. de consuet. Cf. Suarez, l. c.

[6] S. Paul. ad Coloss. 2, Matth. 15. Quod est bene attendendum, cum aliquando lex humana, uti Ecclesiastica, praecepta etiam divina ac *naturalia* urgeat. Talis lex ecclesiastica consuetudinem contra legem aut praeter legem iuxta dicta admittere non potest, non qua lex ecclesiastica est, sed qua est lex humana, quae ipsas leges divinas vel naturales urget.

[7] Can. 5, d. 1 et l. 32, 33 ff. de LL.; cap. 1 de cogn. spirit.

quoad *vim coactivam* aut *directivam* [1]. Non potest autem consuetudo *contra legem ecclesiasticam* eam abrogare *solum quoad vim directivam*, quod ex dictis de legis ecclesiasticae vi descendit. Tandem notatu dignum est, cum de consuetudine *contra legem* agatur, hanc consuetudinem *in foro externo non praesumi* sed probandam esse cum lex lata, quae esset abroganda *possideat;* secus si consuetudo *contra legem notoria* sit. Quod si consuetudo *praeter legem* sit, pro ea standum est [2].

§ 5. — *De cessatione consuetudinis.*

124. Lex consuetudinaria cessat pariter ab *intrinseco* vel *extrinseco*. Ab *intrinseco* cessat cessante *fine* consuetudinis sub *quovis respectu*, quoad *omnes articulos* et pro *tota communitate*. Recolantur quae de legis cessatione ab intrinseco diximus. Ceterum uti lex *irrationalis* cessat, quia in Principe ius eam urgendi deficit, ita consuetudinem quae cessante fine fit *irrationalis* cessare oportet, quia Princeps neque *tacite* neque *praesumpte* in eam assentire valet. *Ab extrinseco* pariter consuetudo cessat per *abrogationem expressam*, vel *tacitam*, per *irritationem*, *derogationem* et *dispensationem*, iuxta quae de legis cessatione ab *extrinseco* diximus [3].

125. Attamen, quod proprie ad consuetudinem attinet, si lex edatur cum clausula « *non obstante quacumque consuetudine* » *consuetudines* quidem et *particulares* abrogantur non autem *immemoriales*, vel *futurae* nisi de *immemoriali* expressa mentio fiat vel futurae, uti iuris corruptelae, reprobentur [4]. Etenim [5] consuetudo

[1] L. 32 ff. de LL.; c. ult. de consuet.; c. 6, dist. 12; can. 5, 6, d. 4; can. 8, 11, d. 12.

[2] Cf. Machat l. 1, t. 4, op. c.; l. 2 ff. de I. et F. I.

[3] Si consuetudo est *immemorialis* quia eius initii memoria non extat per eam ea omnia acquiri possunt quae privilegiis et indulto principis concedi solent; nam talis consuetudo aequiparatur privilegio principis et habetur loco tituli legitime constituti et probati, nisi aliter a iure statuatur. Ita Mach. o. c. l. 1, tit. 4, n. 9.

[4] Cf. Fagnan. in cap. *ad haec* n. 34, de Relig. domibus.

[5] Cf. Fagnan., in cap. *cum Apostolica* de iis quae a Prael.

immemorialis cuius nempe initii memoria non extat, aequiparatur privilegiis, quae abrogata non censentur nisi de iis mentio fiat « *cum beneficia principis oporteat esse mansura* ». Consuetudo vero futura legi non resistit, et cum talis legis effectus odiosus sit, stricto sensu neque ultra vim verborum est intelligendus. Quod locum non habet si expresse futura consuetudo reprobatur quia iuris corruptela [1].

ARTICULUS III.

De legibus improprie dictis.

126. Leges improprie dictas vocamus 1) quae etiam per se leges non sint, quia se referunt ad casus et personas particulares, tamen aliquando vim legis in societate habent uti rescripta et decisiones sacrorum tribunalium, sive 2) quae etiamsi semper vim legis habeant tamen per modum legis haud referuntur ac vim legis particularis habent uti concordata, sive 3) quae vim legis particularis habere dicuntur uti privilegia, sive 4) quae tandem vim legis semper habent, tamen perpetuae in sensu iuris non sunt cum morte Principis vim amittant; uti regulae cancellariae. Proinde agendum nobis est de rescriptis, de decisionibus sacrorum tribunalium, de concordatis, de privilegiis, et deinceps de regulis Cancellariae.

§ 1. — *De rescriptis.*

Videbimus 1) de natura rescriptorum; 2) de divisione rescriptorum; 3) de rescriptorum idoneo subiecto; 4) de vi iuridica rescriptorum; 5) de rescriptorum cessatione.

a) — *De natura Rescriptorum.*

127. Rescriptum quoad rem, proprie et stricte acceptum apud canonistas definitur: *Responsum Principis in scripto datum ad ali-*

[1] Can. 3 et seqq., dist. 8. Can. 1 et seqq., dist. 11. Canon 3, 12, dist. 12; arg. c. 4, d. 10 et c. 3, 5, h. t. L. 2 Cod. quae sit longa consuet. L. 3, § 5, ff. de sepulc. viol., l. 13 Cod.

cuius supplicationem, vel relationem, vel consultationem circa ius intelligendum [1]. Aliter vocatur *epistola* in civili iure romanorum [2], vel in iure canonico *epistola decretalis*. Rescriptum, notat clariss. Sanguineti [3], quando sine addito nominatur, intelligitur esse Pontificis. De eiusmodi rescriptis Pontificiis hic sermo est, etiamsi, *data proportione,* quae de his traduntur, et rescriptis Episcoporum aptari possint. Verum Summus Pontifex potest *dupliciter* interrogari vel obtineatur consilium, vel ut obtineatur sententia tamquam a Principe societatis ecclesiasticae. Primi generis rescripta apud veteres quam plurimum cernuntur. Erat enim laudabilis illorum Episcoporum consuetudo ut in rebus gravissimis non modo a Romano Pontifice, sed etiam ad invicem consilia mutuarent [4]. Sic v. gr. Leo Magnus Paschasinum Lilybeum Episcopum de cyclo Paschali consuluit [5]. Attamen haec rescripta nullam legalem vim neque particularem neque universalem habere possunt, cum obligatio per modum consilii imponi non possit. Maior igitur ratio habenda est rescriptorum *secundi generis;* quibus nempe Summus Pontifex quia sententiam profert, ius dicit.

128. Rescriptum petitioni respondet. Petitio triplici constat parte 1) nempe *narrativa* qua facti expositio exhibetur; 2) *postulativa* quae substantiam instantiae exprimit; 3) *persuasiva* quae rationum momenta evolvit ad principis animum movendum. Rescriptum proinde triplici item parte distinguitur, nempe *narrativa* qua factum exponitur, *dispositiva* qua Pontificis voluntas manifestatur, *persuasiva* seu exornativa qua Princeps rescripti aequitatem suadet.

b) — *De rescriptorum divisione.*

129. Rescripta tripliciter distinguuntur videlicet relate 1) ad *subiectum,* relate 2) ad *obiectum,* relate 3) ad *ius commune. a*) Re-

[1] De rescriptis. Cf. Trid. sess. 22, c. 5, 6 et sess. 25, c. 10, de reform.

[2] L. 1, § 1, ff. de Constit.; l. 2 Cod. de LL.

[3] Inst. can. sect. 4 de rescript.

[4] Cf. epistolas Cypriani, Basilii, Ambrosii etc.

[5] Cf. Berardi op. c. diss. 2, c. 2.

late ad *subiectum* nempe ad eos pro quibus rescripta feruntur, alia sunt *generalia*, quae pro omnibus subditis feruntur ad instar constitutionis [1], alia *specialia* quae dantur pro singulis subditis [2]. *b*) Relate ad eorum obiectum rescripta, alia *gratiae* dicuntur quibus aut praeter aut contra ius gratia conceditur, alia *iustitiae* quibus vel ius dubium explicatur, casus dirimitur, vel iudex delegatur etc. Haec rescripta dicuntur etiam ad lites. Hisce nonnulli rescripta mixta addunt, quibus nempe et gratia conceditur et iustitiae administrationi consulitur. *c*) Relate ad *ius commune* rescripta sunt *iuxta ius, praeter ius*, aut *contra ius*. Iuxta ius rescripta dicuntur quae Pontifex iuri communi conformiter concedit: praeter ius, quibus Pontifex quae iure non sunt decisa concedit, contra ius quibus Pontifex aliquid contra communem iuris dispositionem facit uti privilegia largiendo etc.

c) — *De rescriptorum subiecto idoneo.*

130. Omnes fideles rescripta obtinere possunt qui capaces sunt iurium in Ecclesia Christi. Quare excipiuntur excommunicati *maiori excommunicatione* [3] sive vitandi sint sive non, quia Martinus V favore fidelium hanc distinctionem induxit. In Ecclesia enim iuribus carent ac Ecclesia fidelem censuris irretitum per poenarum metum a via perditionis reducere conatur [4]. Quamobrem praxis seu stylus forensis est ut in rescriptis R. Pontificis absolutio a censuris praeponatur, eo fine tantummodo ut rescriptum Pontificis valeat. Quae absolutio non valet si censuratus per annum continuum in censuris insorduerit [5]. Attamen iuxta aequitatem lex ecclesia-

[1] L. fin., § 1, Cod. de leg.

[2] L. 2 eodem.

[3] Hodierna disciplina raro infertur in praxi excommunicatio minor qua nempe homo baptizatus privatur solum participatione Sacramentorum. Cf. SANTI praelect. iur. can. l. 5, t. 39, n. 32.

[4] C. 1, h. t. in P.° Cf. SANTI hoc loco.

[5] RIGANTI, Comm. ad Reg. Cancell. Apost. tom. IV, p. 150 edit. Rom. ubi agit de regula LXVII.

stica statuit ut et excommunicatus rescriptum obtinere possit *a*) sive in ipsa causa excommunicationis [1] *b*) sive in causis civilibus [2] aut criminalibus *ratione appellationis* quibus se iniuste gravatum persentiat. Hisce exceptis rescriptum ab excommunicato obtentum est *ipso iure* nullum [3]. Item de haereticis cum sint excommunicati [4]. Similiter propter fraudis periculum quis non potest pro aliis *rescripta iustitiae* obtinere, si non habeat speciale mandatum, vel saltem coniunctus non sit vinculo sanguinis, nec constet de eorum contraria voluntate [5]. Secus dicendum de *rescriptis gratiae* [6] contra Panormitanum [7]. Sunt tamen qui idem dicunt inductum esse quoad rescripta iustitiae, at eorum affirmatio probata non videtur [8].

d) — *De vi iuridica rescriptorum.*

131. Vis rescriptorum est consideranda 1) relate ad *partes* quibus rescriptum constat, 2) relate ad *ius* quod dicit, 3) relate *ad tempus* quo effectum habet. Et quoad primum probatur vim rescripti in parte dispositiva reponendam esse; quod iuridice et historice probatur. *Iuridice;* etenim, rescriptum ex Pontificis voluntate vim habet, prouti de omnibus legibus est dicendum, atqui voluntas Pontificis non manifestatur nisi in parte *dispositiva.* In parte enim *narrativa* Princeps sese praebet uti historicum, in parte *persuasiva* sese praebet uti virum doctissimum qui iuris dispositionibus rescripti iustitiam suadet. Historice cum ad modum attendatur quo usque ab antiquitate rescripta exarantur. Antiquitus et praesertim media aetate in more positum erat ut non modo Summus Pontifex, sed et Episcopi et Abbates, imo et Principes proprios Cap-

[1] Cap. 41 de Praescript. in Decretal.

[2] Cf. Reiffenstuel, l. I, t. III, § II, op. ius canon. univers.

[3] Cap. 1 de rescript. in 6°.

[4] L. 2 Cod. de Sum. Trinit.

[5] C. 28-33, h. t.; l. 24 Cod. de procurat.; l. 55, l. 40 de procurat. ff.

[6] L. 6 de rescr. et cap. 24 de Praeb.

[7] Cap. 20, tit. V, l. I.

[8] Zitelli de dispensat. matr. c. 2, a. 2 Proleg.

pellanos haberent. Iam constitutiones a Romanis Pontificibus antiquitus in solemni coetu Antistitum Romanae Provinciae et recentioribus saeculis in consistorio Cardinalium comprobantur. At rescripta exaranda Cappellanis Pontificiis committebantur, ita ex. gr. et Gregorius IX suam decretalium compilationem quam in corpore iuris canonici habemus, S. Raymundo Pennafortensi commisit quem suum Cappellanum nominavit. Itaque cum aliqua petitio Romano Pontifici referretur, unus ex Cappellanis instantiae summam in Cappella seu in Collegio Cappellanorum referebat. Deinde Pontificis voluntas explorabatur, ac habita responsione, haec in scriptis redigebatur servata forma praedicta rescriptorum, pluribus adiectis sponte quibus rescriptum ornatius videretur. Nil mirum proinde si nonnulla R. Pontificis rescripta, quae in corpore iuris continentur nonnulla extranea contineant, vel minus ad rectam rationem exacta. Haec enim evidenter scripta fuerunt a Cappellanis qui nimis suo ingenio, suaeque doctrinae indulserunt.

Hisce Cappellanis, ait Cardinalis de Luca, successerunt qui Rotae Romanae Auditores nuncupantur [1]. Nam Cappellanis, auctis Sedis Apostolicae negotiis, coepit a SS. Pontificibus facultas concedì definiendi negotia; tandem Ioannes XXII eiusque successores regulas statuerunt iuxta quas ab iis negotia iudicialiter expedirentur. Cessato autem Cappellanorum munere in exarandis rescriptis, hoc munus sacris Cardinalium Congregationibus demandatum est. Verum antiquum mos servatur. Cardinalis Praefectus de oblata petitione Romano Pontifici refert; habita responsione rescriptum ab officialibus Congregationis exaratur iuxta S. Pontificis mentem et iuxta formam allatam rescriptorum. Ex quibus patet quod vis rescripti *in sola parte dispositiva* reponenda est, tum quia in ea tantummodo voluntas Pontificis manifestatur, tum quia partes narrativa, ac exornativa ab ingenio sacrarum Congregationum officialium quodammodo dependent. Est tamen hic notandum *non semper* in scriptis partem exornativam inveniri; insuper aliquando parti dispositivae commisceri vel etiam dispositivae praeponi.

[1] Cur. Rom. discurs. 32.

132. Quodsi rescriptorum vis consideretur *relate ad ius* quod dicunt, dicendum est rescripta per se non gignere nisi *ius particulare*, sive quia se referunt tantummodo ad facta eidem Principi proposita sive quia unam aut alteram personam respiciant. Verum si *a*) rescriptum in universa Ecclesia Pontificis auctoritate promulgatur, prouti saepius accidit de rescriptis quibus *ius dubium interpretatur*, aut si *b*) voluntate Pontificis in collectionibus legum ecclesiasticarum ab Ecclesia adprobatis inseritur, rescriptum iuris universalis vim obtinet [1].

133. Relate vero ad tempus quo rescriptum vim iuridicam sortitur, rescripta iustitiae ad hoc ut iudici in iis delegato conferatur iurisdictio, effectum habent a die praesentationis iudici delegato [2]. Quoad ea vero quae pertinent ad statum controversiae, a tempore quo rescripta data sunt [3]. Rescripta vero gratiae a tempore datae, nempe a tempore quo data sunt effectum sortiuntur, si agatur de gratia ab eodem Pontifice facta [4]. Aliquando autem ex particulari causa conceditur ut a die exhibitionis precum rescripta effectus sortiantur. Quod si agatur de gratia facienda a iudice delegato, idem obtinet quod de iustitiae rescriptis iam diximus [5].

e) — *De cessatione rescriptorum.*

134. Rescripta aliquando vel usque ab initio vim non habent, vel tractu temporis vim amittunt. Ab initio rescripta aliquando vim non habent ex vitiis extrinsecis, aut intrinsecis. *a*) Vitiis extrinsecis fit nullum rescriptum si aliquid omissum est quod ad rescripti formam substantialem extrinsecam pertinet: ita habetur uti nullum rescriptum in quo omittitur nomen Pontificis, aut data etc. rescriptum in quo rasura aut cancellatio sit praesertim in loco sub-

[1] Cf. Suarez op. c. lib. 4. cap. 14, n. 3 et seq.

[2] Cap. 12 sq. h. t. in decret., c. 12 de appell., c. 4 de rest. spoliat.

[3] Cap. 43 de rescript., c. 19 h. t., c. 7 h. t. in VI, Clem. ult. h. t.

[4] Cap. 7, 30, 38 de rescript., c. 9 eodem in 6°, cap. 7 et 31 De praeb. in VI. reg. 16 in VI.

[5] Arg. ex cap. 36 de praeb. in 6°.

stantiali, vel vitium aut fractura in sigillo [1], rescriptum in quo crassus error contra grammaticam invenitur [2]. Hisce in casibus rescriptum *legis dispositione* uti nullum habetur, quia maxima suspicio inducitur rescriptum vel esse apocryphum vel saltem corruptum. Defectus literae tamen non invalidat rescriptum. *b*) Vitiis intrinsecis autem rescriptum nullum est, vel quia necessarium vel in petitione vel in rescripto non est expressum, vel quia falsum vel in petitione vel in rescripto est allegatum. Expressio falsi, dicitur in iure *obreptio*, reticentia veri *subreptio*. Cum vero obreptio et subreptio quoad iuridicos effectus minime differant, frequenter in iure et usu promiscue sumuntur [3].

Et in primis quod ad petitionem rescripti attinet, *obreptio* vel *subreptio* locum habuit vel dolo, vel ignorantia et simplicitate [4]. Si dolo locum habuit obreptio vel subreptio, rescripta sive gratiae [5] sive iustitiae [6] sunt *ipso iure* ab initio invalida, dum error non cadat omnino in accidentalibus. Quod si obreptio vel subreptio in petitione *ex ignorantia* vel *simplicitate* irrepserit distinguendum est. Vel veri reticentia, aut falsi allegatio cadit in causam *impulsivam*, vel in causam *motivam*. Causa *motiva* vel finalis dicitur, qua princeps ita movetur ad concedendum rescriptum ut illud non concederet si sciret causam non esse veram; causa *impulsiva* e contra est qua Princeps impellitur sed per se sufficiens haud esset ad rescriptum impetrandum [7]. Ex his liquet si obreptio aut subreptio in causam motivam cadat, rescriptum voluntate Principis destitui, ideoque omni vi carere oportere; secus quoad causam impulsivam dicendum. Verum hac in re distinguere oportet, nam

[1] C. 5, 6 de fide instrum.

[2] C. 11 h. t.

[3] Cap. 11, de fide instrum.

[4] Cf. MACHAT, op. c. h. t.

[5] C. 31 h. t., cap. 8 eod.

[6] Cf. SUAREZ cap. 31, h. t. contra paucos cap. 15, 16, 20. Cf. MACHAT l. 1, tit. 3, op. c.

[7] Cf. MACHAT op. c. h. t.

rescripta gratiae sunt *ipso iure* nulla, rescripta vero iustitiae ope exceptionis invalidantur [1]. Insuper si in rescriptis iustitiae obreptio vel subreptio causa fuit ut in rescripto specialis forma iudicii a iudice prosequenda statueretur, valeret tamen rescriptum in forma communi iudiciorum assequendum. In dubio in rescriptis *gratiae* dolus praesumitur, secus in rescriptis *iustitiae* [2]. Ex his consequitur: 1) Si R. Pontifex rescriptum motu proprio concedat ex certa scientia, rescriptum etiam obreptitium vel subreptitium ratione ignorantiae vel simplicitatis validum est [3], nisi tamen rescribens iure delegato ageret; excederet enim mandatum. 3) Si plures adsint causae motivae falsae sufficit ut una sit vera ut valeat rescriptum [4], dummodo *a*) vel omnes causae ita inter se non connectantur ut unam causam moraliter efficiant, quod extra hypothesim videtur [5], et insuper *b*) dummodo ex dolo plures falsae motivae allegatae non sint. Ulterius causa motiva sufficit ut vera sit tempore concessionis rescripti, idest tempore quo rescriptum vim incipit habere servata distinctione inter rescripta gratiae et iustitiae iuxta supra dicta. Quod si omnes causae sint impulsivae et una falsa, rescriptum corruit quia omnes impulsivae unam motivam efformare censentur. Quodsi tandem mixtae sint reddit supra dictum.

135. Rescriptum pariter ex eius parte ab initio vim non habet si quid *necessarium non est expressum*, vel si quid *falsum est* allegatum. Quare *a*) ex. gr. nullum est rescriptum *contra ius commune* vel ius tertii nisi horum sit mentio [6] *b*) nullum est *secundum*

[1] C. 2, 19, 20 h. t.; c. 23 de praeb. in 6°; c. 2 de renunciat. in VI; cap. 2 de fil. presbyt. in VI; Clement. 1 de praeb.; cap. 9, 23 de rescript. Cf. FAGNAN. in cap. 20 de Rescr. Cf. REINFF. l. 1, t. 3 de rescr.

[2] Cf. ZITELLI De disp. proleg. c. 2, art. 2, quaest. 1.

[3] C. 23 de praeb. in VI, cf. ZITELLI, op. et l. cit., cap. 23 Clem. 4. In dubio causa censetur impulsiva l. *cum tale* § *falsam* ff. de conditionibus et demonstr., c. 25 de verb. signif. ZITELLI op. c. l. c.

[4] Cap. 4 et 20 de rescript.

[5] Cap. 37 de reg. Iuris in VI.

[6] C. 15 h. t., cap. 1 de constit. in VI.

rescriptum generale contra primum *speciale*, secus si primum *generale* fuit quia « per speciem derogatur generi » etc. etc. [1].

136. Tandem rescripta quae ab initio valida fuerunt *tractu temporis* vim amittere possunt, etiamsi rescripta *sive gratiae sive iustitiae* per se *perpetua* [2] praesumantur, nisi rescriptum *ad tempus* duraturum datum sit. Interim rescripta cessant *a*) per *renunciationem postulantis* sive *expressam* sive *tacitam*. Prouti si quis obtenta dispensatione dirimente ad matrimonium cum Caia contrahendum, non utitur rescripto, sed novam dispensationem petit ab imped. dirimente matrimonium cum Sempronia cum qua matrimonium contraxit. Mortua Sempronia non potest nisi nova dispensatione matrimonium contrahere cum Caia, secus si cum libera matrimonium contraxit [3]. Quoad autem renunciationem [4] *expressam* si rescripta edita fuerint favore plurium personarum *ab omnibus* renuntiatio emittenda est, etiamsi ab uno fuerint obtenta *b*) *per Principis revocationem* sive *expressam* sive *tacitam* [5]. Ita tacita revocatione cessat rescriptum iustitiae quod intra annum iudici delegato praesentatum non sit, si alius interim contrarium rescriptum obtinuerit et contra primum exceperit. Quod a iure in poenam negligentiae statutum est [6] *c*) *per mortem postulantis;* quod semper in rescriptis *gratiae* locum habet, in rescriptis vero *iustitiae* videndum est an ius eiusque *consectaria* quae defunctus vi rescripti acquisierit ita sint personalia ut non transeant ad haeredes [7]; *d*) morte *concedentis* rescripta *iustitiae* vel *gratiae faciendae* cessant re tamen adhuc *integra* [8]. Dicitur in casu *res in-*

[1] C. 1, 3 h. t. Cf. Machat op. c. de rescr. n. 7 et seq.

[2] C. 9 de off. deleg., reg. 16 in VI, « *decet concessum a Principe beneficium esse mansurum* ».

[3] Sanchez libr. 8, d. 32, n. 3.

[4] Cap. 12, de for. comp., regul. 29 in VI.

[5] Cap. 14, 24, 30 h. t.

[6] C. 23 h. t. Innocentii III.

[7] Zitelli op. et l. cit.

[8] Cap. 5 de Rescript. in VI; c. 20 de off. deleg., reg. 16 in VI; c. 36 de praeb. in 6°; c. 9 de off. et potest. Iud. del. in 6°.

tegra cum rescriptum ad executorem non fuerit praesentatum; *e*) *morte executoris* si ratione personalis industriae electus fuerit [1]; *f*) *per efficacem impugnationem rescripti*, quae fieri potest *oris aperitione obtenta*, nempe obtenta facultate impugnandi rescripta de quibus agitur [2].

§ 2. — *De Sacr. Tribunalium decisionibus.*

137. Praeter rescripta aliquando vim legis in Ecclesia habent etiam *sacrorum tribunalium* vel *sacrarum congregationum decisiones* in casibus particularibus. Est iuris principium *res pro aliis iudicata aliis nec prodesse nec obesse potest* [3]. Iudicis enim non est legem concedere, sed solummodo legem latam singulis casibus applicare. Quare vis iuridica iudicii fundatur in legis interpretatione in ordine ad *particulares circumstantias*. Cum proinde circumstantiae diversae esse soleant diversis occurrentibus casibus, consequitur *rem pro aliis iudicatam aliis nec prodesse nec obesse posse*. Cuiusve igitur Tribunalis decisio nonnisi *ius particulare* inter partes gignere potest. Quod et de decisionibus sacrarum Congregationum est dicendum si per *iudicii modum* procedant [4]. Attamen aliquando *hae decisiones vim legis universalis* habere possunt, quod accidit, *a*) si ius a Congregationibus *interpretatur* speciali Summi Pontificis mandato, ac legitimo modo interpretatio promulgatur. *b*) Si decisiones SS. Congregationum aliquam *generalem iuris dispositionem* pro obiecto habeant, dummodo item consulto Pontifice decisio feratur et edatur. *c*) Si decisiones huiusmodi in similibus casibus repetitae inveniantur ita ut ingens earum copia habeatur, qua consuetudo iudicialis seu stylus Curiae, seu praxis forensis introducatur [5].

[1] Cf. Zitelli op. c. et l. cit.

[2] Cf. de rescr. Zallinger, Zitelli de disp.

[3] Leg. 2 Cod., cap. 25 de sent. et re iud.

[4] Cf. Fagnan. in cap. 13 de const.

[5] Cf. Santi Prael. lib. 1, tit. 21, n. 45 et sq.

ARTICULUS IV.

De iis quae vim legis habent etiamsi per modum legis non ferantur seu de Concordatis.

138. Remissive ad articulum 4 capitis 3, tituli 3, libri 2, primae partis in tractatu de iure publico ecclesiastico [1]. Hinc solum notamus concordata vim legis habere pro omnibus dioecesibus pro quibus concordatum inter Ecclesiam et statum initum est. Etenim 1) concordata ab Ecclesia ineuntur ut fideles omnes obligent pro quibus ineuntur, et 2) etiamsi concordata a civili auctoritate promulgentur, tamen haec promulgatio auctoritate etiam Pontificis fit cum ad hoc concordata ineantur ut promulgentur. Ceterum *concordata* leges *mixtae* dici possunt, cum ab utraque auctoritate civili et ecclesiastica procedant.

ARTICULUS V.

De iis quae vim legis particularis habere dicuntur seu de privilegiis.

Videbimus 1) De privilegiorum definitione; 2) de privilegiorum subiecto; 3) de privilegiorum causa efficiente; 4) de privilegiorum divisione; 5) de privilegiorum acquisitione; 6) de privilegiorum cessatione.

§ 1. *De privilegiorum definitione.*

139. Privilegium definitur « *concessio ut pluries permanens seu perpetua qua contra vel praeter ius commune aliquid speciale alicui personae a legitimo superiore largitur* » [2]. Hac in definitione

[1] Solieri. Elementa iuris publici ecclesiastici.

[2] Ex l. 16 ff. de leg.

privilegii nomine *ius ipsum* seu ipsa *gratia* significatur, at aliquando privilegium *improprie* dicitur *mandatum ipsum* vel instrumentum quo princeps concedit alicui specialem gratiam quod interdum vocatur *rescriptum, indultum, Bulla* etc. Nihilominus non est de privilegii *substantia* ut scriptis concedatur. Aliquando tamen iuris dispositione scriptura requiritur [1]. Imo nostris temporibus privilegia Apostolica in foro externo valere non censentur nisi authenticizata per officiales publicos quibus id in Curia Apostolica incumbit [2]. Tamen certum est privilegia vivae vocis oraculo concessa pro *foro interno* valere [3]. Item in definitione privilegium dicitur concessio ut *pluries perpetua.* Qua in re monendum est cum clariss. Suarez [4] « non omne privilegium esse legem proprie et in rigore sumptam, quia de ratione legis est, ut sit *perpetua in sensu iuris:* non autem omne privilegium est *perpetuum:* ergo saltem illud quod perpetuum non est, *non est proprie lex.* Est perpetuum privilegium quod vel *adhaeret rei de se perpetuae,* vel sine *limitatione temporis conceditur.* Est temporale privilegium quod *datur ad tempus,* quod *soli personae individuae* conceditur, quod datur *sub conditione* quae lapsu temporis finitur.

140. Verum privilegia a ceteris legibus distinguuntur, quia hae ius commune concedunt, privilegium vero ius *privatum.* Quia autem hoc ius *privatum* respicit et communitatem et quoad obligationem quam inducit, et quoad bonum et finem quem saltem indirecte intendit, legem etsi *improprie dictam* constituit. Privilegii autem obiectum est ut aliquid praeter vel *contra ius commune* concedatur, quia alias privilegium esset inutile [5]. Neque videtur absolute dicendum cum aliis uti cum Panorm. [6] de ratione privile-

[1] Cf. Extravag. 1 de Elect., reg. 24 Cancell. Trid. Sess. 23, cap. 1, de reform. sess. 25, c. 5, de R. Rg.

[2] Const. Urb. VIII, *alias* et Gregorii XV, *Romanus.* Cf. Mach. o. c. h. t.

[3] Cf. Santi prael. l. V et 33, n. 5, 6. Extrav. *Etsi* de Poen. et Remis.

[4] De leg. l. 4, c. 1, n. 2.

[5] Decret. 25, q. 1. 2.

[6] Cap. *olim* de verb. signif. n. 7. Mach. o. c. l. 5, t. 33, l. 14 et seq. ff. de h. t.

gii esse ut *solum* aliquid concedat *contra ius commune*, nam etiam per concessionem *praeter ius* lex privata constituitur [1].

141. Ex allata privilegii natura patet quando privilegium a dispensationibus differat. Illorum sententia praetermissa qui dicunt dispensationem causam requirere non vero privilegium, quod omnino absonum est, dicendum est dispensationem a privilegio quo lex privata constituitur differre, quia privilegium est aliquando per se permanens non autem dispensatio. Verum uti privilegium *ad tempus* vel in genere privilegium non perpetuum ideoque legem non constituens, reducitur ad dispensationem, ita dispensatio permanens ad privilegium perpetuum reducitur quo lex privata inducitur. Quare quae ad dispensationem pertinent conditiones ad privilegia cum proportione aptandae sunt. Item privilegium a gratia vel beneficio differt, ita ut omne privilegium gratia sit et beneficium, non vero e contrario [2].

§ 2. — *De privilegiorum subiecto.*

142. Privilegii subiectum est vel persona *singularis* vel *societas* seu communitas *imperfecta* vel in genere *persona moralis* quae relate ad integram societatem ut singularis persona iuris fictione consideratur [3]. Ceterum quae dicta sunt de subiecto idoneo rescriptorum data proportione recolantur.

§ 3. — *De privilegiorum causa efficiente.*

143. Privilegiorum causa efficiens non est nisi *legitimus Superior* seu Princeps in societate universali, vel particulari aliqualiter autonoma, *data tamen proportione.* Etenim iuri communi derogare, vel ius particulare constituere, quod obligationem in communitate inducat, nonnisi ad supremum illius societatis gubernatorem pertinere potest. Hinc Suarez has regulas assignat: 1) Quicumque potest

[1] Cf. Suarez l. et op. c.; contra opinatur Mach. Inst. l. V, t. 33. Cf. D'Annibale Summ. Theol. p. 12. De leg. n. 227.

[2] Cf. Suarez op. c. l. 8, c. 2.

[3] Machat, Inst. op. et l. cit.

legem condere *potest et privilegium concedere.* 2) *Nullus potest* privilegium concedere qui legem condere non potest. Haec regula primam perficit ita ut simpliciter dici possit: Solus *ille potest privilegium dare qui potest legem ferre.*

§ 4. — *De privilegiorum divisione.*

144. Plures apud auctores privilegiorum divisiones exhibentur: praecipuas referre sufficiat [1]. *a*) Privilegia alia sunt *realia,* alia *personalia:* illa directe rei alicui, muneri, conditioni a persona distinctae conceduntur, haec immediate personae [2]. Quod autem privilegium sit *reale* vel *personale* cognoscitur, monet Suarez [3], tum ratione *modi* quo personae fit gratia, tum ratione *causae* qua privilegium conceditur, tum ratione *rei* circa quam versetur immunitas privilegii, tum ratione *verborum* quibus privilegium conceptum est. In dubio praesumitur personale [4]. Privilegium quod collegio personarum conceditur nonnulli vocant *mixtum* quatenus de *reali* et *personali* participat, verum nihil impedit quominus tale privilegium absolute *reale* vocetur iuxta iam dicta. *b*) Privilegia alia *favorabilia,* alia *odiosa* dicuntur: illa *primario* in personae *favorem* conceduntur etiam si indirecte in tertii praeiudicium [5], haec vero primario in *odium* alterius conceduntur [6]. Tamen, notat Machat, privilegia odiosa vocari *communi usu quae iuri communi* adversantur aut *tertii praeiudicium continent* [7]. *c*) Privilegia alia sunt *clausa in corpore iuris,* alia procedunt ex *speciali rescripto Principis.* Illa per modum legis concipiuntur, uti *clericorum privilegia,* ita ut *nullum* sit quod iudex contra ea decernat: legem enim

[1] Cf. Machat op. c. et l. c.

[2] Cap. *Mandata* de praesumpt.; l. 196 ff. de regulis iuris et l. forma ff. de censibus. Reg. 7 Iuris in 6°, reg. 78 ff., § 37 et sq. Inst. de act.

[3] Op. cit. l. 8, c. 3, n. 3 et sq.

[4] Cf. D'Annib. op. et loc. c.

[5] Uti priv. ex Senat. cons. Vellei. in benef. mulieris fideiubentis.

[6] Uti priv. ex Senat. cons. Macedoniano in odium foeneratorum.

[7] Op. cit. et l. cit.

ignorare non permittitur [1], secus dicendum de privilegiis quae ex *speciali rescripto* conceduntur quae a iudice ignorari praesumuntur. Attamen praesumptio, ut par est, cedere debet veritati [2]. *d*) Privilegia alia concessa sunt *motu proprio*, alia *ad instantiam*. Privilegia alia dicuntur *gratuita* quae ex mera liberalitate, alia *remuneratoria* quae meritis rependendis conferuntur uti Regularium privilegia, alia *onerosa* seu *conventionalia* per modum contractus in gratiam alterius vel iuris cui privilegiatus cesserit, collata sunt [3].

§ 5. — *De privilegiorum acquisitione.*

145. Privilegia acquiruntur *a*) concessione Principis uti rescripta. Quare recolenda sunt quae praesertim de valore rescriptorum dicta sunt; *b*) *praescriptione* aut consuetudine quae saltem consensu legali principis nititur [4]. *c*) *Communicatione* qua princeps privilegium uni concessum deinde alteri communicat. Quae communicatio fit dupliciter vel indirecte concedendo privilegium ad *instar* ut dicitur, vel directe. Vis communicationis privilegii *ad instar* est, gratiam concedere *formaliter contentam in uno exemplari*, quo iam alteri privilegium concessum fuit, et in *eodem sensu* quo in exemplari continetur, et cum *eadem extensione*, vel *restrictione*, et *non maiori* neque *minori* [5]. Cum *exemplar* per communicationem *ad instar* sit communicatum *prouti tempore communicationis existit*, et cum alius huius communicationis finis non sit, nisi ut *cognoscatur extensio privilegii ad instar*, consequitur: 1) neque exemplatum augetur aut imminuitur aucto aut imminuto exemplari, nisi aliis de causis contrarium sit concludendum, uti si de hoc caveatur: neque e contrario exemplar, imo a fortiori, aucto aut im-

[1] Cap. 5 et 7 de exces. Praelat., Reg. iur. 15 in VI, cf. D'Annib. o. et l. c.

[2] Cap. 7, h. t. in 6°.

[3] Zitelli, de dispensation.

[4] Cap. fin. de consuet. c. 18 et 4 de praescript.

[5] Cf. Suarez op. c. l. 8, c. 15, n. 1.

minuto exemplato [1]; 2) exemplari pereunte *non perit* exemplatum et viceversa [2]; 3) si exemplar *non existit* neque valet privilegium *ad instar* eius concessum *nisi satis manifeste contineat quod conceditur* [3]. Ex hoc patet privilegium *ad instar* nonnisi *indirecte* dici privilegium *communicatum*, cum omnino *e se proprias vires habeat* [4] quod ex dicendis melius patebit. *Communicatio* privilegiorum *proprie dicta* seu directa est triplicis generis: alia nempe quae fit *generalibus verbis adhibitis;* alia formula *absolutam paritatem* indicante uti *pariformiter, aeque principaliter,* alia cum *limitatione.* Communicatio privilegiorum *proprie dicta* a communicatione *improprie dicta* seu indirecta per privilegium *ad instar* differre videtur eo quia in communicatione *proprie dicta* non habetur nisi extensio *eiusdem privilegii* ad alios, dum in communicatione *improprie dieta* novum privilegium conceditur etsi iuxta exemplar, seu *ad instar* exemplaris iam existentis. Ceterum quidquid sit de hac [5] quaestione inter doctores certum est privilegium semel communicatum *nullo modo* pendere aut quoad diminutionem, aut revocationem, etc. a privilegio quod communicatur; prouti de privilegio *ad instar* contingere iam vidimus. Iam si communicatio *generalibus verbis* fiat, *privilegia extraordinaria* non communicantur [6]. Si vero privilegia formula *absolutam paritatem* indicante communicantur, et *extraordinaria* privilegia communicata intelliguntur, iis exceptis quae *particularem* et *individuam* habent causam, vel quorum communicatio a Pontifice prohibita est, vel quorum communicatio potius esset noxia [7]. Tandem quoad privilegia quae cum *limitatione* communicantur, ea communicata intelliguntur de quibus *expressa* mentio fiat.

[1] Arg. l. 2 ff. de condit. et demonstrat. in cap. ult. ne cler. vel monach. n. 5.

[2] SUAREZ op. l. cit. ZITELLI de disp. contr. MACH. et alios.

[3] L. *si sic legatum* 75 § *si mihi* ff. de legatis 1.

[4] SUAREZ op. cit. 18, c. 16, n. 7.

[5] Cf. SUAREZ l. 8, cap. 16 de leg.

[6] Arg. cap. 81 de reg. Iur. in 6°.

[7] Cf. ZITELLI, de dispensat.

146. *d*) Privilegia acquiruntur etiam *confirmatione*. *Confirmatio* duplex est: alia nempe *in forma communi* qua privilegium prouti in se est confirmatur, adeoque si invalidum tali confirmatione privilegium non convalidatur [1]; alia in *forma speciali* quae sanat defectus et vim tribuit si non habet; hoc enim in casu Princeps agere praesumitur ex *certa scientia*. Quare privilegia solum *speciali confirmatione* acquiruntur. Verum excipitur si defectus privilegii quod confirmatur sit insanabilis vel talis quod ab eo dispensari *non soleat;* hoc enim in casu praesumptio cedere debet veritati [2], sin minus maiori praesumptioni.

§ 6. *De privilegiorum cessatione.*

147. Privilegia *multipliciter* cessant. *a*) Ex parte concedentis vel) eius morte aut quocumque modo eius iure resoluto si sint hac conditione concessa vel si agatur de gratia facienda re adhuc integra secus si de gratia facta [3]; vel) eius *revocatione expressa* aut *tacita* [4]. *b*) Ex parte privilegiati vel) eius renunciatione [5] nisi sint in bonum publicum uti clericalia privilegia [6], vel) alterius causa constituta [7], vel) non usu aut usu contrario, dummodo tamen 1) agatur de privilegiis quae cum aliorum gravamine coniuncta sunt; 2) *scienter* et *voluntarie* aliquis non utatur privilegio vel contrario agat; 3) legitimum praescriptionis tempus effluxerit pro privilegii qualitate. Cessat enim privilegium quia ille in cuius praeiudicium erat, libertatem praescriptione acquirit [8]. Insuper privilegiati *morte* cessat Privilegium, si sit *personale*, vel) re *totaliter pereunte* si

[1] Cap. 6 de fide instr. Decr.; Arg. cap. 4, cap. 7 de confirmat. util. vel inutil.

[2] C. 5 de conf. in Decr. cf. Zitelli de disp. matr.

[3] C. 36, de praeb. in 6°, cap. 9 de off. del., l. 6 de iur. 11.

[4] Cap. 28 de rescr. Cfr. Machat. h. t.; Reiff. V. 33, nn. 123, 124.

[5] L. 10 de donationibus *quia invito beneficium non datur.*

[6] Reg. 29 Cod. de pactis, c. 6, in fin., h. t.; c. 12 de foro comp.; c. 5. de arbitr.; cap. 36 de sent. excom.

[7] L. 2 Cod. de leg.

[8] L. 6 ff. de servit.; l. 1. ff. de nundinis.

privilegium sit reale [1]. Quod si privilegium sit reale et personale ad heredes transit [2]; vel) abusu quia privilegio est privandus qui illo abutitur aut excedendo fines privilegii, aut sumendo ex illo occasionem liberius peccandi, aut contra privilegii finem agendi [3]. c) *Ex parte privilegii* cessat privilegium vel) quia privilegium *est ad tempus* vel *sub conditione;* tum enim adveniente tempore aut non servata conditione cessat privilegium vel) quia *cessat privilegii causa.* Quod locum habet cum actus privilegiis concessus tractum habeat successivum per dies, menses, annos; tunc enim evenire potest ut actus fiat illicitus [4]. Quod si causa *ante actualem concessionem* cessat, *nulla* est privilegii concessio, quia principis voluntas deficit; e contra si privilegium, stante causa, *unico actu integre consummatum est*, cessante causa non cessat: quia in conservando non pendet a tali causa iuxta regulam 73 in 6° « *factum legitime, retractari non debet licet casus postea eveniat a quo non potuit inchoari* » [5] vel) quia saltem privilegii causa *suspenditur*, quia habet tractum successivum. Hoc in casu et privilegium *suspenditur donec causa videat.* Ita, ait Machat, in quadragesima ex causa debilitatis dispensatus ad usum carnium, cessante debilitate tenetur abstinere a carnibus.

ARTICULUS VI.

De iis quae legis vim habent at legis perpetuitate non gaudent seu de regulis cancellariae Apostolicae.

Vidimus 1) de Regularum Cancellariae descriptione et divisione; 2) De nonnullis praecipuis Regulis Cancellariae; 3) De Regularum Cancellariae vi iuridica.

[1] Reg. 7, in 6° c. 2, de relig. domibus.

[2] L. 19 § ult. de minor. cf. D'Annib. p. 207. op. c. V, 1.

[3] Cap. 8, *ubi* d. 74, c. 18, de regul. c. 24, h. t.

[4] C. 9, de decim. c. pen. de cler non resid.

[5] Cf. Machat. Inst. 1, V, l. 33.

§ 1. — *De Regularum Canc. descriptione et divisione.*

148. Regulae Cancellariae sunt *constitutiones quaedam pontificiae maiori ex parte concernentes causas et reservationes beneficiales...* Sic dictae vel quia bona eorum pars concernunt expeditionem litterarum quae in cancellaria expediuntur, vel quia in cancellaria publicantur et regestis consignantur, idque auctoritate Papae. Solet quilibet Pontifex has regulas revocare et publicare... Primus omnium eas edidisse et sic appellasse dicitur Ioannes XXII. Initium eas habuisse circiter an. 1330 ait Cardinalis de Luca [1]. Sequentes Pontifices et praesertim Nicolaus V (1447) has regulas auxerunt; hodie 72 circa numerantur. Triplex eorum genus distinguitur, et aliae sunt *directivae*, quae maxime respiciunt expeditionem litterarum apostolicarum, aliae *reservatoriae* quibus beneficia reservantur, aliae *iudiciales* pro faciendis appellationibus [2] in processu ecclesiastico.

§ 2. — *De nonnullis praecipuis Regulis Cancellariae.*

149. Regulae Cancellariae, notat clariss. Aichner, proxime nonnisi officiales Cancellariae officiunt, nonnullis exceptis quae latius per ecclesiam vigere coeperunt. Hae sunt praecipue quae beneficiorum reservationem attingunt et notandae sunt inter alias *a*) *regula 19 de viginti.* Si quis resignat beneficium et moritur ante 20 dies plene completos post resignationem, resignatio ad fraudes vitandas non valere censetur. *b*) *Reg. 20 de idiomate:* Obtinens beneficium debet callere linguam loci illius. *c*) *Reg. 35 de annali possessione*, qua post unius anni pacificam possessionem beneficii etiam sine titulo, possessor dimoveri ab alio *non possit* nisi 1°) causam apertam et perspicuam et simul nomen et gradum possessoris significet, et nisi 2°) intra sex menses possessorem in iudicium vocet, causamque absolvat intra annum salvis legitimis impedimentis. Attamen haec regula vi destituitur, si patronus, de cuius praeiudicio agitur, non potuit anno ius praesen-

[1] De benef. disc. 1, n. 23. Cf. Bouix, de parocho p. 320.

[2] Cf. Aichner, comp. l. c. § 19.

tandi exercere. Excipitur si constet *de non iure* possessoris, vel per rem *iudicatam* vel per *propriam confessionem*. *d*) *Regula 36 de triennali possessione*, de qua quaestio moveri uon potest dummodo 1) adsit *titulus coloratus*; 2) possessio triennalis fuerit *continuata, pacifica;* 3) beneficiarius sit *capax beneficii*. Quare exceptiones cadunt in *reos simoniae realis*, in *intrusos* in beneficium reservatum ratione mortis beneficiarii in curia, vel infra 40 milliaria italica, in eos quorum titulus falsus *evidenter in continenti constat*. Post autem decennium tituli etiam praesumptio inducitur. *e*) Regula 9.ª circa *menses papales* quoad collationem beneficiorum, qua reservantur beneficia quae vacant binis mensibus ex tribus quibusve incipiendo a Ianuario, at Episcopi [1] obtinent alternos menses. Verum quoad hanc regulam attendenda sunt quam maxime *concordata* inter statum et Ecclesiam.

§ 3. — *De Regularum Cancellariae vi iuridica.*

150. Regulae Cancellariae legis universalis vim habent, at earum proprium est, *ut vim habeant usque ad mortem Pontificis*, adeoque cessant et regulae reservatoriae, Sede Apostolica vacante, imo *donec noviter electus Pontifex omnes regulas renovaverit*. Solet autem novus Pontifex eas renovare die sequenti ipsius electionem [2]. Notat Aichner regulas Cancellariae sub recentioribus Pontificibus *non amplius promulgari*, sed solummodo officialibus Cancellariae *communicari*. Imo promulgatio iam a temporibus Clementis XIV, 1769 [3], ab usu recessisse videtur.

ARTICULUS VII.

De legum ecclesiasticarum collectionibus.

151. Usque a primis Ecclesiae temporibus in more positum erat, ut Epistolae praesertim Decretales quas R. Pontifices ad Episcopos scribebant in *archivio dioecesano* servarentur. Hinc S. Hie-

[1] De regulis Cancellariae cfr. opus Riganti: com. in reg. Canc.

[2] Leurenius forum beneficiale p. 2, q. 539 et 540, apud Bouix p. 320.

[3] Cf. Aichner l. c. op. cit. Walter, Manuale di diritto eccl. § 125, t. 1.

ronymus, ut Ruffinum suaderet de authenticitate epistolarum Anastasii I ad Ioannem Ierosolymitanorum, eum provocat ad *Archivium,* quod dicebatur etiam *Chartarium, Scrinium* etc. [1].

152. Legum ecclesiasticarum collectiones tripliciter dividi possunt; aliae nempe sunt quae iuris canonici corpus *antecedunt*, aliae iuris canonici corpus *constituunt*, aliae iuris canonici corpus *consequuntur*. De his singulis articulis breviter est dicendum. Interim collectiones quae iuris canonici corpus antecedunt, ad medietatem saeculi 12[di] quo Gratiani decretum prodiit pertingunt. Nostrum non est, omnes collectiones referrre: de praecipuis breviter dicemus. Omissis quae de collectionibus *primorum conciliorum* dicenda essent, et praesertim de canonibus Concilii Nicaeni, Constantinopolitani, Ephesini, et Chalcedonensis quae concilia oecumenica, uti ait Innocentius III [2], Ecclesia uti quatuor Evangelia veneratur, omissis quae dicenda essent de *collectionibus legum civilium ad rem ecclesiasticam* iure vel iniuria pertinentium, praecipuae collectiones usque ad saeculi 12 medietatem sunt, *in Oriente constitutiones et canones apostolorum, collectio Ioannis Scholastici, collectio Trullana, collectio Photiana; in Occidente collectio Dionysiana, collectio Isidori Mercatoris, et collectio Ivonis Carnutensis.*

§ 1. — *De legum ecclesiasticarum collectionibus quae iuris canonici corpus antecedunt (ius vetus).*

Videbimus 1) de collectionibus Apostolicis; 2) de collect. Ecclesiae Orientalis; 3) de collectionibus Ecclesiae Occidentalis.

a) — *De collectionibus Apostolicis.*

153. Saeculo 3.° iuxta probabiliorem sententiam in Oriente opus prodiit quod Apostolorum epistolam referebat quae sex libris vitae ecclesiasticae officia continebat. Initio saeculi 4[i] liber septimus additus est, qui circa morales ac liturgicas praescriptiones versabatur.

[1] Cf. SALZANO, Lez. di dir. can. l. 2, p. 29.

[2] Cap. 11 de renunciat. Decr. Greg. IX.

Circa eiusdem saeculi 4[i] medietatem liber octavus additus est, qui dispositiones circa *ordinationes ac sacras Episcoporum functiones*, necnon quasdam *regulas disciplinares* suppeditabat. Haec collectio denominata est: *Constitutiones Apostolorum*. At haec collectio, prouti Apostolorum dicatur, *apocrypha* est, neque S. Pontifici Clementi, subquo nomine aliquando venerunt constitutiones tribuendae sunt. Et sane *a*) patres trium priorum saeculorum ac utriusque Ecclesiae omnino de his silent; *b*) in iis plura sunt etiam contra fidem, disciplinam ac historiam ecclesiasticam. Ceterum etiamsi ab haereticis diversis temporibus hae constitutiones corruptae fuisse videantur, earumque auctor ad saeculum tertium vel quartum referendus sit, tamen quia saltem prima Orientalis ecclesiae disciplinae vestigia nobis praebent, plurimi faciendae sunt.

154. Saeculo sexto constitutionibus praedictis caput ultimum additum est *Apostolorum canones* continens. Horum canonum iam quinto saeculo collectio in Oriente exsistebat quae videtur canones 50 comprehendisse, ast serius canones aucti sunt ad quinque et octoginta (circa finem saeculi quinti). Ecclesia Orientalis hos canones semper venerata est, quos etiam sub Clementis Pont. nomine usuvenerunt. Verum circa antiquitatem ac horum canonum auctoritatem variae sunt sententiae. Alii enim praesumunt vel ab Apostolis conscriptos vel Clementi ab ipsis apostolis traditos; alii praesertim protestantes non modo apocryphos habent, sed etiam saeculo quinto a quodam haeretico confectos ac suppositos habent, quod non est admittendum; alii autem mediam viam incedunt ac dicunt illos canones neque ab Apostolis conscriptos neque Clementi traditos, sed a conciliis particularibus saeculorum statutos, collectos circa medietatem saeculi tertii fuisse. Quidquid sit, certe videtur dicendum quod non pertineant ad apostolos 1) quia primorum saeculorum scriptores ecclesiastici silent, 2) quia plura dicuntur quae cum temporum apostolicorum disciplina non conveniunt uti nomina Cantoris, Subdiaconi, parochiarum divisio etc., 3) quia alia sunt contra fidem universalis Ecclesiae uti iteratio necessaria baptismatis haereticorum; 4) quia communiter ad saeculum Ecclesiae tertium

referuntur ; 5) quia plura continent etiam ridicula; uti can. 65 prohibetur clericis sub depositione, laicis sub excommunicatione ieiunare die Sabati et Dominicae [1]. Attamen ad Ecclesiae disciplinam trium primorum saeculorum cognoscendam valde utiles existimantur.

b) — *De collectionibus Ecclesiae Orientalis.*

155. Ioannes Scholasticus (quo nomine tunc temporis appellabantur qui ex advocatorum ordine erant) duplicem collectionem fecerat, primam nempe cum esset presbyter Ecclesiae Antiochenae, secundam cum sedem patriarchalem Costantinopolitanam occuparet. Ex quadam antiqua collectione anno 578 Ioannes Conciliorum Graecorum canones non excluso Concilio Sardicense, collegit iuxta materiarum ordinem. Cum autem Ioannes Iustiniani Imperatoris favore sedem Constantinopolitanam obtinuisset, legitimo deiecto patriarcha Eutychio non aliam ob causam quam quod haeresi incorruptibilium obstitisset, rursus aliam collectionem edidit, eique Imperatoris constitutiones addidit. Haec collectio *nomocanon* dicta est, eo quia leges civiles et ecclesiasticas referret. Profecto cum huius collectionis auctor in sede Constantinopolitana fuerit intrusus, eius auctoritas valde imminuta est.

156. Anno 692 Iustinianus 2us in Trullo vel secretaria palatii imperialis Costantinopolitani synodum convocavit. Haec Synodus dicitur etiam quini-sexta quia illi Episcopi praesumpserunt se supplere id quod quinto (537) et sexto (680) concilio generali Constantinopolitano deerat. Hinc synodus Trullana fuit conciliabulum, tum quia sine Pontificis interventu coacta est, tum quia plura statuta sunt contra Ecclesiae iura ac disciplinam. Hac in synodo collectio canonum facta est, receptique sunt canones a Ioanne Scholastico collecti, expunctis tamen Sardicensibus, qui R. Pontificis ius defendebant excipiendi ab Episcopis appellationes. Additi sunt tamen canones nonnullorum conciliorum Orientalium quae revera sunt un-

[1] Cf. Bianchi, op. cit., l. 2, cap. 3.

dequaque spectabilia. Attamen haec collectio, prouti talis, nullam habet auctoritatem.

157. Photius patriarcha intrusus in Ecclesia Constantinopolitana canonum collectionem iam a Ioanne Scolastico peractam perficere nisus est anno 883. Addidit autem Photius canones et decreta in illis conciliabulis statutis quibus *Ignatius legitimus patriarcha a Sede Costantinopolitana deiectus fuit,* eique Photius vi suffectus. Haec collectio nullam auctoritatem habet, ob auctoris nequitiam, etiamsi eiusdem doctrina non sit diffitenda. Partem autem quae *Nomocanon* dicta fuit, intactam reliquit Photius, additis solum novorum canonum citationibus, nonnullisque iuris civilis dispositionibus. Collectio Photiana apud Graecos maximo in honore fuit praesertim saeculo 10 [1]. Post collectionem Photianam aliae collectiones apud Ecclesiam Orientalem factae sunt, inter quas notatur collectio (saeculo 9) *Basilicorum* nomine appellata, Imperatorum iussu concinnata. Hac collectione iurisconsulti etiam quoad rem ecclesiasticam utebantur. Accesserunt etiam *commentaria* in collàctiones iam factas; ita v. g. Zonaras (1120) et Balsamon (homines schismatici et Romanae Ecclesiae infensissimi) in Photii collectionem *commentaria* ediderunt. Item apparuerunt collectionum *syntagmata,* inter quae praecipua sunt *syntagma Blastares.* Postquam autem Ecclesia Orientalis ab Ecclesia Occidentali se separavit, unusquisque Patriarcha decreta ac canones pro arbitrio edidit, et praecipua norma ecclesiae Orientalis schismaticae est *collectio Photiana* cum commentariis Zonarae et Balsamonis.

c) — *De collectionibus Ecclesiae Occidentalis.*

158. Apud Ecclesiam Occidentalem inter praecipuas collectiones locum tenet collectio Dionysiana. Saeculo quinto Ecclesiae antiquus Ecclesiae Graecae codex in latinam linguam conscriptus est. Hinc apud latinos duae collectiones apparuerunt. *Isidoriana nem-*

[1] Cf. Walter, t. 1, p. 154.

pe, [1] *et Prisca*. Saeculo sexto Dionysius monachus confusione *priscae* translationis offensus, ut ipse ait, novam collectionem pro latina Ecclesia disposuit. Dionysius fecit collectionem certe ante annum 525, et post mortem Gelasii Pontificis, imo probabiliter vel saeculo quinto labente, vel initio saeculi sexti [2]. De Dionysii *scientia* ac *pietate* nobis testimonium amplissimum reddit Cassiodorus [3]. Ipse *Exiguus* humilitatis causa appellatus est, iuxta morem qui inter monachos illis temporibus invaluerat. Dionysius opus in duas partes divisit, in prima 50 apostolicos canones posuit, necnon canones Nicaenos, Ancyranos, Neocaesarenses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenos, Constantinopolitanos, Chalcedonenses, ac 21 canones Sardicenses, ac 138 canones Africanos. In secunda parte, decretales collegit Siricii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Coelestini, Leonis, Gelasii, et Anastasii Pontificis. Secunda pars aucta fuit praesertim sub Adriano I, a quo dicta est etiam collectio Adrianea [4], quam Adrianum Carolo Magno obtulisse fertur.

Collectio Dionysiana magnam habet *intrinsecam auctoritatem*, tum quia Dionysius scientia ac probitate praeditus erat, tum quia quoad collectionem RR. PP. epistolarum ipse cum Romae esset prae manibus epistolas authenticas habere potuit, easque nonnisi maxima petulantia corrumpere potuisset, tum quia collectionem Dionysianam statim ac edita est, Ecclesia Romana primitus dein universa Latina Ecclesia tamquam *optimum sacrae disciplinae monumentum* recepit.

Verum *non constat* Romanos Pontifices eam solemniter adprobavisse, eo magis quia canones 50 Apostolicos continet, de quorum fide ipse Dionysius dubitare videtur [5].

159. Temporibus Gregorii Magni alia collectio prodiit, quae ap-

[1] Eius auctor probabiliter S. Isidorus Hispalensis dicitur. Haec collectio confundenda haud est cum collectione Isidori mercatoris.

[2] Cf. Bianchi l. 2, c. 5, § 5, et libr. 3, cap. 6.

[3] De divinis sanctionibus c. 23.

[4] Cf. Salzano op. c. et lib. cit., et Bianchi l. 3, cap. 6, qui contra sentit.

[5] Devoti, instit. l. 1.

pellata est *collectio Isidori Mercatoris,* vel uti nonnulli volunt *Peccatoris.* Huius collectionis auctor non cognoscitur. Certum est auctorem collectionem nonnullis Gregorii Magni decretalibus explevisse, uti ipse ait in praefatione; et quod pertinet ad canones conciliorum in illa collectíone collectos, auctor eam explevit in secundo concilio Hispalensi anno 619, uti testatur Cardinalis Anguirre. Canones enim aliorum Conciliorum quae usque ad saeculum octavum celebrata sunt, nec non decretales Pontificum qui post Gregorium Magnum successerunt alii addiderunt. Haec collectio per plura saecula S. Isidoro Hispalensi tributa fuit; cuius fama eximia erat tunc temporis, eo vel magis quod *iuxta antiquam collectionem Isidorianam* de qua supra dictum est cuius integra fragmenta referuntur, haec collectio facta fuit. Verum quinam fuerit auctor certe erui nequit, etiamsi probabiliter auctorem quemdam *Benedictum Levitam Moguntinum* nonnulli dicant propter similitudinem huius collectionis cum alia eiusdem Benedicti elucubratione. Haec collectio propter plura documenta apocrypha iam nota, continet canones apostolicos 59, epistolas decretales Pontificum a Clemente ad Melchiadem apocryphas [1] ac diversa concilia supposita etc. Imo plura adsunt documenta interpolata quibus Isidorus pro lubitu addidit, vel dempsit.

Isidorus proinde usus est documentis 1°) *genuinis atque sinceris* uti sunt epistolae decretales ex Dionysiano codice desumptae; 2°) *supposititiis* quae ipse fabricatus est; 3°) *apocryphis* ab aliis ante Isidorum procusis; 4°) *interpolatis* quae ipse corrupit. Attamen primus qui de huius collectionis genuinitate dubitare coeperit, fuit *Nicolaus Cardinalis Cusanus* saeculi 15 medietate [2]. Notandum tamen est 1°) in hac collectione *nihil contra fidem* reperiri; 2°) *insciis Romanis Pontificibus* falsas decretales confectas fuisse; 3°) Pontificis iura illa collectione veluti fundamento *non inniti,* sed *ipso divino iure;* 4°) substantialiter hac collectione Ecclesiae dísciplinam *immu-*

[1] Cf. WALTER op. c., t. 1, pag. 168.

[2] In sua opera de concordantia cath. l. 3, c. 2.

tatam non fuisse; 5°) disciplinam quae ab Isidoriana collectione praeferebatur, auctoritatem ecclesiasticae legis obtinuisse non vi eiusdem collectionis, sed vi *ecclesiasticarum constitutionum.* Isidori scopus duplex fuit: alter Episcoporum indemnitati consulendi, alter stabiliendi Primates quos Patriarchis exaequat [1].

160. Post Isidori collectionem aliae in Ecclesia Latina factae sunt, sed omnes nil novi continent, nisi conciliorum canones qui uniuscuiusque collectionis aetati respondent. Attamen inter has notanda est collectio *Ivonis Carnutensis* Episcopi in Gallia qui saeculi 12 initio floruit. Hic collectionem edidit sub nomine *Panormiae,* hanc autem rursus ampliavit sub *Decretorum* nomine. Hic primus fuit inter latinos qui in sua collectione etiam leges civilis iuris nomen posuit. Quare in Occidente Nomocanonum nomen ei tribuitur.

§ 2. — *De legum ecclesiasticarum collectionibus quae iuris canonici corpus constituunt (ius novum).*

Videbimus 1) de collectionibus ante Gregorii IX decretales; 2) de collectionibus Decretalium Gregorii IX; 3) De collectionibus post decretales Gregorii IX.

a) — *De collectionibus ante Gregorii IX Decretales.*

161. Praeter recensitas alias collectiones Ecclesia latina habuit usque ad Gratiani decretum circa annum 1151. Ita v. g. apud Africanos vigebant *codex Africanus,* ac *Breviatio canonum Fulgentii Ferrante* diaconi an. 547; apud Hispanos collectio Martini Episcopi Bracarensis an. 572; apud Gallos praesertim *capitularia,* quae in generalibus comitiis Episcoporum et Procerum lata, Ecclesiae simul et Status regimen spectabant; apud Germanos collectio Reginonis Abbatis Prumensis an. 906, et praesertim volumen decretorum Burchardi Wormatiensis an. 1023; apud Italos collectio S. Paschalis Lucensis, Cardinalis Deusdedit, Bonifacii Episcopi Sutrini an. 1089 etc.

[1] Cf. VECCHIOTTI instit. l. 1, 567, opus fratrum BALLERINI, WALTER, BLASCUM, PHILIPPS, BIANCHI, ecc. ecc.

Tandem saeculo 12 circa annum 1151 [1] prodiit celeberrima collectio Gratiani monachi benedectini: Gratiani scopus fuit *concordare inter se canones*, et decreta quae inter se *dissidere videbantur*. Hinc eius collectio vocata est: *concordantia discordantium canonum*. Communiter tamen *Gratiani decretum* appellari solet. Opus in tres partes dividitur [2]. Prima pars complectitur *distinctiones centum* et *unam*, et quaelibet distinctio continet *plures canones* seu *capita*. In hac parte agit tum de *iure ecclesiastico in genere*, cuius originem, auctoritatem, divisiones quaerit, tum *de clericorum statu et officiis*. Secunda pars sex et triginta *causas* complectitur, quaeque causae in *quaestiones* subdividuntur, quaeque quaestiones plures *canones* continent. In hac agitur de iis quae ad ecclesiastica iudicia pertinent. Tertia pars prouti prima dividitur in *distinctiones*, et canones. In ea agitur de rebus et ritibus sacris; quare *de consecratione* inscribitur. Tractu temporis ignota manu *Decreto* nonnulli canones accesserunt sub Paleae inscriptione. In diversas sententias abeunt Doctores huius inscriptionis significationem explicantes. Alii enim dicunt in capita collectioni adiecta esse a *quodam Paucapalia*, qui fertur primum fuisse Gratiani discipulum; alii putant res levioris momenti et antiquatas illis capitibus contineri, quod falsum omnino est; alii dicunt hanc vocem transcriptorum errore a duabus vocibus efformatam nempe *post alia* (p. alia) quod forsitan probabilius videtur. Statim ac Gratiani collectio prodiit tanto in pretio habita est ab omnibus, ut caeterae collectiones negligerentur.

Quod magis ex temporum circumstantiis quam ex intrinseca eiusdem collectionis praestantia est repetendum. Nam 1) cum eo tempore *methodus scholastica* invaluerit, cumque Gratianus hac methodo usus sit, factum est ut Gratianus omnes studiosos post se traheret, prouti Petrus Lombardus eadem methodo omnes theologos;

[1] TRITHEMIUS l. 2, de viris illustr. ord. S. Bened., collec. GRATIANI refert ad an. 1127.

[2] Cf. VECCHIOTTI op. cit. l. 1, c. 4 et WALTER op. c. t. 1, § 100 et seq.

2) cum Gratianus in suo codice plura *ex iure civili Romanorum* inseruisset, cumque item iis temporibus iuris civilis Romanorum studium reviviscere coepisset, Gratiani collectio studiosorum ingeniis satis faciebat; 3) praeterea illis temporibus maximam auctoritatem habebant. Universitates studiorum, inter quas *Bononiensis*, in qua tum temporis maximae famae iurisconsulti florebant. Universitas Bononiensis Gratiani collectionem, super quam lectiones forsitan ab ipso Gratiano in ea Universitate tradebantur, statim recepit.

Quare huius collectionis occasione, nova facultas in Universitate Bononiensi instituta est. Eius professor *Magistri, Decretorum doctores,* eorumque *auditores canonistae, Decretalistae* appellati sunt. Imo factae sunt de Gratiani collectione *glossae interlineares, apparatus,* dein *absolute commentaria.* Universitatis Bononiensis exemplum, et aliae Universitates imitatae sunt; hinc nil mirum si eius existimatio *latissime fuerit propagata* [1].

Quoad *auctoritatem intrinsecam* decreti Gratiani magnam revera *non esse* dicendum est. *a*) Ordo qui in recta partium dispositione consistit, *omnino* desideratur; hinc Antonius Augustinus ait: « *si apud Gratianum artem requiras et ordinem dicendi, frustra laboraveris* » [2]. *b*) Gratiani collectio *multis erroribus* scatet; erravit enim in nominibus hominum, urbium, provinciarum, Conciliorum etc., saepe falsae sunt inscriptiones, et quae Conciliorum sunt Pontificum Maximorum esse dicuntur, vel quae sunt alicuius Episcopi, Romano Pontifici, aut Concilio Generali, vel provinciali tribuuntur. Attamen clarissimus Vecchiotti animadvertit omnino reprehendendam esse « *Cl. Gregorovii audaciam qui* [3] *affirmare non erubescit librum hunc deturpasse notiones iuridicas Ecclesiae et Status, iudiciumque omnium aetatum obscurasse ea mente ut sacerdotio ac Primatui S. Pontificis imperium in universo mundo*

[1] Cf. WALTER op. c., vol. 1.

[2] Lib. 1, dialog. 1, de emend. GRAT.

[3] In op. La storia di Roma nel M. Evo, t. 4, p. 734.

tribueret ». Gratiani collectionem non modo privati doctores, sed etiam RR. Pontifices *emendare conati sunt.* Pius IV, Pius V, Gregorius XIII novam et castigatiorem Gratiani emendationem aggressi sunt, eamque Romanis Correctoribus, ita dictis, demandaverunt. Nihil autem mirum si in opere vastae adeo molis, etiam omnino, quo par erat, studio et diligentia peracto, novi errores tractu temporis inventi sunt. Hinc Gregorius XIII permisit ut viri eruditi in expendendis Gratiani monumentis doctrinali interpretationi incumberent. Notatu dignum est opus absolutissimum clar. *Berardi* cui titulus « *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti* ». Gratiani decretum aut *nullam habet extrinsecam auctoritatem cum numquam R. Pontifices solemniter illud adprobavissent ut legis vim haberet* [1]. Neque hoc decretum adprobavit Eugenius III, uti nonnulli praesumunt, cum Eugenii decretum a nemine proferatur [2]. Alii in medium adducunt Gregorium XIII, at ipse Pontifex in suis litteris 2 Iulii 1582 declaravit, curasse se ut Gratiani Decretum amendis expurgatum et correctum exhiberetur, *sed mentionem non fecit de eius legali adprobatione.* Quod et Rota Romana cor. Pegna dec. 480 declaravit [3]. Neque cum aliis est adducenda consuetudo universalis: etenim ex hoc quod unus aut alter licet spurius canon usu in legem receptus est, colligere fas haud est, alios quoque indiscriminatim receptos fuisse. Imo de facto constat quod si nonnulla consuetudine *recepta sunt,* plura etiam sunt *reiecta.* Quare dicendum est, cum Benedicto XIV [4] quod « *quae in Gratiani collectione continentur, tantam habent auctoritatem quantam haberent si etiam in Gratiani collectione non extitissent, seu quanti valent rationes sanae criticae quibus ea iuxta Gratiani lectionem defenduntur* ».

[1] Etsi TRITHEMIUS solus contra dicat.

[2] Cf. ANT. AUGUSTINUM dial. 5, l. 1.

[3] Cf. Bened. XIV, ac Syn. dioc. l. 7, c. 15, n. 6 et op. de Canoniz. § I, 4, p. 2, a. 17, n. 10.

[4] Op. et loc. cit.

162. Post Gratiani decretum usque ad Decretales Gregorii IX, aliae collectiones prodierunt. Sunt collectio Bernardi Circa Papiensis Praepositi, dein Episcopi Faventini anno 1199. In hac collectione praesertim collecta sunt quae extra Gratiani decretum vagabantur quare dicta est « *Breviarium Extravagantium* ». Item Gilbertus Abbas, et Alanus Episcopus Antissiodorensis, alios canones praesertim in *Breviario Extravagantium* omissos collegerunt. Ex harum duarum collectionum, quae perierunt, fragmentis Ioannes Gallensis, seu Vallensis, aliam fecit collectionem. Item Bernardus Compostellanus Archidiaconus Romae degens novam fecit collectionem iussu Innocentii III, quam ipse pontifex per Petrum Beneventanum correctam vulgavit. Ita Innocentius III. aliam collectionem, in qua praesertim canones posuit Concilii Lateranensis IV, fieri iussit [1]. Tandem S. Pontifex Honorius III suas decretales colligere iussit. Priores duae collectiones a R. Pontificibus vim legis non obtinuerunt. Legis vim obtinuerunt solum collectiones Innocentii III et collectio Honorii III. Hanc edidit primus Innocentius Cironius, Academiae Tolosanae cancellarius [2].

b) — *De collectione Decretalium Gregorii IX.*

163. Hae autem collectiones in oblivionem abiere; quando sub Gregorio IX eiusdem celebris collectio prodiit. Ex supra dictis collectionibus, et ex aliis canonibus, qui extra illas collectiones vagabantur, nec non ex decretalibus Gregorii IX, collectio facta est, quae *Gregorii IX decretales* auditur. Hoc munus Gregorius IX. Raymundo de Pennafort commisit, viro pietate ac multiplici eruditione praestantissimo. Raymundus materiam divisit in quinque libros, libros in titulos, titulos tandem in capita quorum unumquodque vel alicuius Pontificis decretalem, vel alicuius Concilii decretum continet. Attamen neque Pontificum *decretales*, neque *decreta* conciliorum *ex integro* referuntur, cum Raymundus potestate

[1] Hanc ediit primus ANTON. AUGUSTINUS.

[2] VECCHIOTTI op. et l. cit.

sibi facta usus sit inutilia et superflua resecandi. Qua in re fatendum est Raymundum aliquando excessisse, ita ut aliquando fragmenta adducta rite percipi nequeant, nisi in antiquis collectionibus integrum textum perlegamus.

164. Quod attinet ad *auctoritatem* huius collectionis dicendum est, ipsam *magnam* habere *auctoritatem intrinsecam, plenam extrinsecam.* Etenim sanctitas et doctrina auctoris eum *veracem* fuisse testimonium amplissimum reddunt, etsi quoad doctrinam aliquid amplius desiderari potuisset, cum aliquando documenta apocrypha cum genuinis confundat, ac etiam Pontificum documenta falsa afferat. Ceterum *p'enam* habet *extrinsecam auctoritatem.* Gregorius IX eam plene *adprobavit,* eique *vim legis* tribuit. Imo sua collectione Gregorius IX vim legis ademptam voluit antiquis Decretalibus et collectionibus quae etiam ab antecessoribus probatae fuerint, ac prohibuit ne aliquis sine Sedis Ap. speciali auctoritate novam collectionem ederet.

c) — *De collectionibus post Decretales Gregorii IX.*

165. Verum cum novae Pontificum decretales prodiissent, ac duo Lugdunensia Concilia sub Innocentio IV. an. 1245 et Gregorio X. an. 1274 celebrata fuissent, Bonifacius VIII voluit ut alia collectio adderetur; quia ut ipse ait in epistola collectioni praefixa « *in societate Ecclesiastica de nonnullis decretalibus ab ipso Gregorio IX et a subsequentibus Pontificibus editis dubitationes existunt, et quinam sint earum auctores* ». Bonifacius anno 1298 collectionem commisit Guillelmo Archiepiscopo Ebrodurensi, et Berengario Episcopo Biterensi, ac Richardo De Senis S. R. E. Vicecancellario. Hanc collectionem Bonifacius *Sextum Decretalium* appellavit, cum Bonifacii mens fuisset Collectioni Gregorio IX *supplementum* conficere, quam collectionem 5 libris constare vidimus.

Haec collectio *plenam* habet *auctoritatem intrinsecam* ac *extrinsecam,* cum et a vitiis immunis sit, (etiamsi et in ipsa nonnisi *fragmenta* collecta sint), et eam solemniter Bonifacius VIII *adprobaverit* ac uti legem promulgaverit.

166. Ulterius Clemens V, tam ex canonibus Concilii Viennensis an. 1316 cui ipse praefuit, et ex constitutionibus a se editis, aliam collectionem fieri iussit iuxta ordinem Decretalium Gregorii IX. Hanc collectionem vocare *septimum Decretalium* proposuerat, at morte correptus est. Eius tamen collectionem vulgavit et legali auctoritate communivit Ioannes XXII Clementis V. successor, sub nomine *Clementinarum Constitutionum.*

167. Tandem ex decretalibus Ioannis XXII, et ex decretalibus 25 Pontificum ab Urbano IV ad Sixtum IV. duae collectiones factae sunt, nempe collectio « *Extravagantium Ioannis XXII* » et collectio « *Extravagantium Communium* »; sunt enim decretales quae extra praecedentes collectiones vagabantur. Utraque incertum habet auctorem, neque constat an hae collectiones, qua *tales,* legis vim obtinuerint. Verumtamen, notat Vecchiotti, « *praeter quam quod communi usu receptae fuerint, ex propria origine, videlicet a Summis Pontificibus ex quibus singulae prodierunt, vim legalem sortitae sunt* ».

168. Itaque *iuris canonici corpus* in tres partes dividitur. Prima *Gratiani decretum* continet. Secunda *Gregorii IX decretales.* Tertia *sextum Bonifacianum, Clementinas, et Extravagantes Ioannis XXII et Extravagantes communes. Gratiani decretum, nullam* habet auctoritatem *extrinsecam,* sed tantum valet uti diximus quantum valent monumenta quae afferuntur, quae consideranda sunt prouti in collectione non extitissent. *Extravagantes* revera quatenus in collectione sunt auctoritatem legalem habere *non constat*, verum tum *ex usu,* tum eo quia sunt *authenticae Pontificum decretales,* quae etiamsi in collectione non essent per se vim legis haberent, extravagantes *vim legis habere non dubitatur. Decretalibus Gregorii IX, Sexto Bonifaciano, et Clementinis vim legalem Pontifices tribuerunt* [1].

[1] In corpore iuris notandae sunt *rubricae* summaria, et Glossae. Rubricae sunt titulorum inscriptiones, quae si enunciatae sint per *modum praecepti,* vim legis habent in collectionibus quae sunt a Pontificibus uti leges adprobatae. Hoc in casu

§ 3. — *De legum ecclesiasticarum collectionibus quae iuris canonici corpus consecutae sunt (ius noviss.).*

169. Post collectiones quae in iuris canonici corpore continentur, aliae usque ad nostra tempora factae sunt collectiones, tum *ex canonibus Conciliorum qui in Corpore Iuris communis non extant;* tum *ex Constitutionibus Summorum Pontificum post Sixtum IV editis;* tum *ex decisionibus sacrarum Congregationum;* tum *ex Regulis Cancellariae.* In primis est notanda *collectio canonum Concilii Tridentini* ann. 1562 sub Pio IV Pont. qui acta integra confirmavit Bulla « *Benedictus Deus* ». Iam collectionem canonum Conciliorum ac Decretalium Pontificum Gregorii XIII in coepit, at morte correptus opus non absolvit. Eadem de causa Sixtus V opus imperfectum reliquit, quod ad finem deductum fuit a Clemente VIII, qui ei titulum imposuit; *septimum Decretalium Clementis VIII.* Verum haec collectio « *miris elucubrata laboribus et vigiliis, et Praesulum, Gymnasiorum, totiusque Ecclesiae vocibus efflagitata* » [1], suppressa fuit anno 1590. Petrus Matthaeus Iurisconsultus Lugdunensis novam fecit collectionem ex decretalibus a Sixto IV ad Sixtum V. Quae collectio *septimus decretalium* vocata est. At *nullam* auctoritatem *extrinsecam,* parvam etiam *intrinsecam*, cum pluribus vitiis scateat, habet. Item sub auspiciis Sixti V Laertius Cherubinus Romanus fecit collectionem constitutionum R. Pontificum. Postea novam editionem Laertius curavit, quam, eo mortuo, perfecit eius filius Monachus Cassinensis, qui hanc collectionem sub nomine Bullarii magni edidit anno 1638. *Quatuor* voluminibus opus constat, quibus accessit *quintum* volumen opera

dicuntur *rubricae praeceptivae;* secus *non praeceptivae* vel *declarativae. Summaria* sunt breves periodi quibus summarium decretalis, aut canonis exhibetur. Maximo in pretio habenda sunt at vim legis non habent, cum a privatis scriptoribus confecta sint. *Glossae* sunt decretalium et canonum *commentaria.* Exponuntur ad marginem textus in corpore iuris. Non habent nisi auctoritatem illius Commentatoris a quo exaratae sunt ac rationum quibus innituntur.

[1] Cf. FAGN. in c. *cum venissent.....* de iud.

duorum fratrum strictioris observantiae, Angeli a Lantusca et Pauli a Roma. Hieronymus Mainardi Magnum Bullarium in *quatuordecim tomos* distributum edidit Romae, cuius auctor est Cellinus. Accesserunt quatuor tomi Bullas Benedicti XIV. continentes. Advocatus Andreas Barberi (1843-1855) collegit Breves. epistolas, allocutiones, Constitutiones Summorum Pontificum Clement. XIII, et Clement. XIV, Pii VI, Pii VII, Leonis XII, Pii VIII, et Gregorii XVI. Item quinque voluminibus collecta sunt acta Pii IX, et edita sunt ex typographia bonarum artium an. 1854, 1858, 1866, 1871.

170. Similiter collecta sunt *acta Conciliorum;* inter has collectiones est notanda *collectio Martini,* qui primus ante Concilium Tridentinum collectionem Parisiis duobus voluminibus edidit. Item notanda est *collectio Venetiis edita curante Nicolao Collecti,* cui supplementum addidit Dominicus Mansi anno 1748; item est notanda collectio (regia) Labbaei, et Harduini, nec non quae dicitur Zatta. Tandem collectiones factae sunt decisionum Sacrarum Congregationum. Notanda est *collectio resolutionum C. Conc.* quae nomine « *Thesaurus* » inscribitur, quaeque originem habuit ab anno 1718. Celebris est collectio Aloysii Cardellini. Anno 1882 hisce accessit *collectio decretorum S. Congregat. Indulgentiarum* iussu Leonis XIII concinnata ab anno 1768 ad 1882. Ex his omnibus collectionibus auctoritatem extrinsecam ac vim legalem non habent nisi *Bullarium Benedicti XIV, et collectio decretorum Congr. Indulgentiae* praeter canones Concilii Tridentini Oecumenici. Non est omittendum hodie editam esse novam collectionem constitutionum Romanorum Pontificum nec non decretorum, instructionum S. Cong. de Prop. Fide, quae regiones respiciunt eidem S. Congregationi subiectas. Haec collectio inscribitur: *Ius Pontificium de Propaganda Fide.* Huic accedit alia collectio nempe: Collectanea S. C. de Prop. Fide. De Regulis cancellariae iam supra diximus. Hic notamus regularum Cancellariae primum glossatorem fuisse Alphonsum Soto, deinde Gomez, Rebuffo, Molinaeum et Riganti cuius praeclarissimum opus inscribitur « *Commentaria in Regulas, Constitutiones, Ordinat. Cancell. Apost.* ». Romae 1744.

ARTICULUS VIII.

De legum ecclesiasticarum interpretatione.

171. Iuris canonici *scientia* ab ecclesiastica *iurisprudentia* est bene distinguenda. Siquidem iuris canonici *scientia est « legum ecclesiasticarum cognitio, iurisprudentia vero est « facultas sive habitus ecclesiasticas leges interpretandi, easque rite ad occurrentes casus applicandi ».* Etenim, ut ait Zallwein [1], cum leges sint generales impossibile est legem ferre ita claram ut ad singulos casus occurrentes applicari valeat [2]. Duplex est pars iurisprudentiae: prima *leges interpretatur;* altera *leges applicat.* Circa legum *applicationem* regulae tradi nequeunt. Legum enim applicatio, quae legum *obiectiva interpretatio* vocari posset, a casuum diversitate pendet. Nobis igitur est agendum de legum *interpretatione proprie dicta,* seu de *interpretatione subiectiva,* de qua praemissa definitione et divisione regulas interpretationis exhibemus, tum generice tum specifice nempe relate ad nonnullas leges.

§ 1. — *De legum ecclesiasticarum interpretatione in communi.*

Videndum est *a*) quid sit et quomodo interpretatio dividatur, et dein *b*) quaenam sint praecipuae regulae doctrinalis interpretationis.

a) — *De interpretationis definitione et divisione.*

172. Interpretatio legis definiri potest « voluntatis legislatoris in re obscura diligens investigatio » [3] vel « alicuius legis obscurae vel ambiguae explanatio » [4]. Interpretatio tripliciter est distinguenda: alia nempe est *authentica,* alia *usualis* et alia *doctrinalis.* Authentica est « *quae fit a legislatore qua tali, vel ab eius successore, vel superiore* ». Dicitur etiam interpretatio *legislativa* cum vim legis ha-

[1] Princip. iur. eccl. t. 1, q. 2, c. 3.

[2] L. 10, 12, h. t. Cf. D. Th. 1, 2, q. 96, 6.

[3] Cf. D. Th. 2, 2, 120, 1, ad 3.

[4] Cicer. l. 1 de div.

beat: qui enim leges ferre potest, etiam leges solus legaliter interpretare debet [1]. Attamen inferior ex speciali commissione Superioris leges interpretare valet, agit enim in casu non propria sed superioris auctoritate [2]. Ita Sacrae Congregationes ex Pontificis mandato ius commune aliquando interpretantur. Delegationis iure ex. gr. Sacra Concilii Congregatio [3] authentice consulto Pontifice canones Trid. interpretatur. Imo Pius IV [4] specialiter prohibuit doctoribus privatis interpretationem sive commentariis, sive glossis, adnotationibus, scholiis in canones Tridentinos *ex professo* susceptam et typis editam absque Apost. Sedis consensu, Praelatis quidem sub poena *interdicti ab ingressu Ecclesiae;* aliis *sub poena excommunicationis latae sententiae.* Eodem iure delegato apud Romanos leges interpretabant iurisconsulti *„ quorum omnium sententiae et opiniones eam auctoritatem tenebant ut iudici recedere a responso eorum non liceret "* [5]. *Usualis* interpretatio ex legitima consuetudine oritur quae iuxta ius dicitur. Est enim consuetudo *„ optima legum interpres "* [6]. Ita consuetudo decretum Trid. relate ad parochi adsistentiam in matrimonii celebratione [7] interpretata est, ut *alteruter parochus* viri aut mulieris sufficiat. Verum prouti consuetudo est, uti diximus, *iudicialis* vel *extraiudicialis*, ita et legis interpretatio. Utraque interpretatio *legalem* interpretationem inducit, cum in consuetudine iuridica fundetur, quae *vim legis* habet. *Doctrinalis* interpretatio non inducit nisi *maiorem* vel *minorem probabilitatem* iuxta rationes, in quibus fundamentum habet. Nihilominus plurimi facienda est, quia facillime cum ea interpretatio *authentica* et *usualis*, sive *extraiudicialis*, sive *iudicialis* coniunguntur [8]. Non tradun-

[1] Cf. leg. 12, 11, 9. Cod. de leg.; cap. 31 de sent. excom.

[2] Cf. MACH. v. c. de const. § VI.

[3] Iuxta Const. Sixti V *Immensa*.

[4] Bulla *Benedictus Deus* 16 Ian. 1564.

[5] Imp. Iust. inst. iur. civ. Rom. l. 1, t. 2, § 8.

[6] C. 8 de consuet. LL. 37, 38 ff. de leg. Regul. 45 iur. in 6°.

[7] Sess. 24, c. 1, de ref. mat.

[8] Cf. SUAREZ l. VI, REIFF. l. 1, t. 11, § 15-17.

tur nec tradi possunt regulae pro interpretatione *authentica*, et *usuali*, cum ea a principis voluntate, haec immediate a facto populi, aut a decisionibus tribunalis pendeant. Res igitur de interpretatione *doctrinali* est, cuius regulae in praesentiarum sunt exhibendae.

b) — *De praecipuis regulis doctrinalis interpretationis.*

175. *Doctrinalis interpretatio* diversimode apud auctores divisa invenitur. Nos sequimur divisionem quam nobis praebet cl. Machat [1]; qua nempe doctrinalis interpretatio alia est *declarativa*, alia *extensiva*, alia *restrictiva*. Lex enim obscura vel declaratur, vel extenditur, vel coarctatur; quia lex potest esse obscura tripliciter, vel in se *ratione verborum*, vel relate *ad obiecta*, dupliciter, aut quia dubium est an debeat extendi aut potius coarctari.

Itaque interpretatio *declarativa* est « *quae verba dubia et obscura explanat* ». Dicitur apud alios aut *philologica* quae tamen propria interpretatio non est si verba satis clara sint ac nihil novi adducat [2], aut *philosophica* si verborum sensum ex regulis grammaticalibus ac ex legis spiritu inquirit [3]. Interpretatio *extensiva* est quae legem a casu expresso, vel a persona expressa ad casum vel personam non expressam extendit [4]. Quod fieri potest dupliciter vel *pure extensive* si extensio fiat ob solam paritatem vel similitudinem rationis tum ultra legis verba, tum ultra sed non contra mentem Legislatoris [5], vel *comprehensive* si extensio fiat ob *identitatem rationis* pariter ultra verba, sed non ultra mentem legislatoris. Est extensio *improprie dicta* prouti probat Reiffenst. [6] *Restrictiva* est interpretatio quae propter speciales circumstantias legem restringit, eamque in casu non obligare interpretatur. Ad hanc passim doctores et interpretationem *correctivam*, et *Epicheiam* re-

[1] De const. § VI.

[2] Reiff. l. 1, t. 2, § 15.

[3] Vecchiotti, o. c. l. 1 de const. § 6.

[4] Cap. 4 de rescr. l. 12, 13, h. t. ff.

[5] Reiff. op. et l. cit.

[6] L. c. Cf. Suarez l. 6 de leg. c. 3, n. 9. Pirhing. l. c., t. 2, n. III et alios.

vocant, cum interpretatio correctiva non sit nisi « *verborum legis per benignam acceptionem mitigatio* », *epicheia* vero non sit nisi « *benigna legis correctio aut restrictio ex rite praesumpta mente legislatoris* [1] *vel correctio legis cum deficit propter universale* » [2]. Verum notat cl. Sanguineti [3] Epicheia intrinsece differt ab interpretatione *restrictiva,* quia « quaelibet interpretatio *de verbis* legis est sollicita, dum e contrario epicheia *mentem legislatoris* declarat *verbis etiam claris legis in aliquo peculiari casu contrariam* » [4]. Hisce praehabitis agendum *a*) de regulis interpretationis *declarativae, b*) de regulis interpretationis *extensivae,* et *c*) de regulis interpretationis restrictivae [5].

α) — De regulis interpretationis declarativae.

174. Cum interpretationis *declarativae* sit verba *obscura* et *dubia* declarare, ita ut legislatoris mens patefiat, dupliciter uti supra monuimus procedi potest, vel per viam *philologicam* vel per viam *philosophicam.* Quocumque modo procedatur in quacumque interpretatione, maxime attendendum est tum ad *mentem legislatoris* [6], tum ad *legis formulam*, tum ad *adiuncta historica quibus lex circumscribitur* [7].

In his principiis fundamentum habent omnes regulae iuris, quae tum in fine Digestorum, tum Decretalium Gregorii IX, tum Sexti Decretalium reperiuntur. Est tamen notandum *a*) regulam esse ex iure non ius ex regula; *b*) regulam unica formula colligere ius ex pluribus casibus similibus exurgens; *c*) adesse casus in quibus regula adhiberi non potest; *d*) prudentia et ordo quam maxime

[1] Cf. Machat op. c., l. 1, t. 2.

[2] Arist. Ethicor. V, 10; Suarez l. VI.

[3] Inst. iur. can. Proleg. p. 2, sect. 2. § 4.

[4] Cf. Reiff. t. de Const. o. cit.

[5] Interpretatio correctiva et epicheia in foro externo vix locum habet: d'Annib. o. c. p. 180.

[6] Cf. Sanguineti o. c.

[7] L. 19 ad exhib. c. 8, de V. S.

in regularum usu curari debent. Quibus positis praecipuae regulae declarativae interpretationis sunt:

1) verba satis clara non admittere interpretationem [1] nisi vel natura [2] aliter suadeat, vel aliud sensisse legislatorem sit manifestum [3] uti si secus sequatur absurdum [4].

2) verba generalia generaliter esse excipienda nisi alia lege speciali legis generalis sensus fuerit coarctatus [5].

3) ubi lex non distinguit nec nos distinguere debere [6] quod tam in favorabilibus quam in odiosis servatur [7].

4) si legis verba duplicem significationem habeant naturalem nempe quae recepta est ac iuridicam, significationem iuridicam non esse attendendam nisi in favorabilibus [8] dummodo ratio aliter non suadeat uti in regula 1.ª quod praesertim quoad leges poenales locum habet in quibus benignior interpretatio accipitur [9].

5) Odia restringenda esse, favores ampliandos, dummodo interpretatio iuris non sit corruptela [10]. Hinc favorabiles leges sunt latae interpretationis, strictae vero leges odiosae.

6) Non plus de priori lege mutatum censeri quod in posteriori expressum est.

7) Leges quae contrariae videantur si fieri possit conciliandas esse secus secundam si specialis primae generali praevalere, non

[1] Cf. Reiff. o. c., l. 1, p. 2.

[2] L. 68 de R. I.

[3] L. 67, pr., de legat., l. 15 de excus. Tut.

[4] C. 6, § 1, de Maior.

[5] Iuxta regulam iuris in 6° « generi per speciem derogatur » c. 22, de priv., c. ult. de off. vicar. in 6°. L. 9, pr., de suppl. legat., l. 65, § *de viro,* sol. Matr., c. 4 de translat. Episc.

[6] L. 9 de postulat., l. 9. de iuris et facti ignorantia, cap. 6 de maiorit.

[7] Cap. 12 de decimis.

[8] Leg. 7 de suppell. leg., cap. 7 de spons. Ita statutum est cognationem spiritualem contrahi cum baptizato eiusque patre et matre. Iam hic intelliguntur filii naturales non adoptivi.

[9] L. 198 de RR. iuris, cap. 49 de R. Iur. in 6°.

[10] Cap. 15 et 49 de reg. iur. in 6°.

vero secundam generalem speciali, aut specialem secundam primae speciali praevalere, nisi de hoc expresse caveatur. Quae dicenda sunt etiamsi lex antecedens sit Concilii Oecumenici, et sequens Rom. Pontificis [1]. Nam species generi derogat [2] non vero genus aut species speciei [3]. Ceterum secunda lex strictae est interpretationis [4] nisi favorem contineat [5]. In omni casu interpretatio eligenda est quae melius cum aliis legibus componitur [6] quaeque aequior apparet [7].

8) Legis sensum ex toto eius contextu eruendum esse.

9) Verba cum effectu accipienda esse.

10) In re dubia verbis edicti inservire melius esse [8] etc. etc.

Ceterae regulae animadvertimus cum Machat [9] ex regulis utriusque iuris et tit. de V. significatione desumendae sunt.

β) — *De regulis interpretationis extensivae.*

175 In iisdem principiis extensivae interpretationis regulae fundamentum habent. — Quare a Doctoribus regula traditur:

1) Interpretationem mere extensivam ob aliquam rationum similitudinem non admitti. Talis enim interpretatio ultra legislatoris mentem esset qui obligare non intendit nisi ad id quod exprimit. Etiamsi rationes aliquo modo similes sint tamen differunt. Unde illud « ratio legis non est decisio legis » [10].

2) Si aliud ius deficiat iudicem posse de simile ad simile iudicare: praesumitur enim legislatorem et similem casum sua lege

[1] Cf. Sanguin. o. c. p. 75, post. edix.

[2] C. 1 de const. in 6°, c. 34 de reg. iur. in 6°.

[3] L. 26, 28, ff. de ll. 1, 2, § 16, et l. 3. § 15, ff. de V. Sign. l. ult. ff.

[4] Cap. 27 de elect. in 6°. L. 27 h. t. ff.

[5] Cf. Reiff. I, II, ad n. 309.

[6] L. 26, 27, h. t. ff.

[7] L. 91 de R. Iur. ff.

[8] L. 1, § *sed si sciente* 20 De exercit. action. D. Thom. 1a 2ae, 96, 6, ad 2.

[9] Op. et l. c.

[10] Clem. 1 de elect.

comprehendere voluisse [1], ita si alioquin absurdum sequeretur aut iniquitas [2].

3) Interpretationem comprehensivam nempe ob *identitatem* vel ob perfectam similitudinem rationum admittendam esse, cum ubi eadem est ratio eadem esse debeat legis dispositio, et quia de similibus idem est iudicium [3]. Verum notat Reinffestuel [4] oportet similitudinem in eo puncto versari de quo agitur.

Hic autem cum Machat [5] notamus etsi similitudo ac identitas rationis saepe inter se confundantur; tamen rigore differre. Nam similitudo in diversis rationibus accidit quarum altera alterius similis est, at identitas in eadem ratione locum habet.

4) Non esse extendendam vi interpretationis legem a commune iure exorbitantem, cum strictae sit interpretationis, ideoque ad consequentias [6] neque ob identitatem rationum [7] non producenda, nisi tamen de aequiparatis agatur, vel sequatur absurdum, vel ita publica utilitas exigat, aut favor animarum, causae piae vel de rationis identitate in lege expressa agatur.

5) Idem de lege poenali [8] dicendum esse nisi quoad extensionem dubium non admittat [9], aut nisi de identitate aut perfecta similitudine rationis expresse agatur. — Poenam autem nunquam reo lucrosam esse debere [10], quod si ratio unica est pro expressa habetur.

6) Leges favorabiles ampliori interpretatione esse extendendas nisi ratio contra militet.

[1] Cf. MACHAT. op. c. et l. c. l. 12, 13, ff. de LL.

[2] SUAREZ VI, 2, 7.

[3] Cap. 2 de transl. Episc.

[4] L. 1, t. 1, op. cit.

[5] Op. et l. c.

[6] Reg. 28 iuris in 6° et reg. 78 eod.

[7] FAGNAN. c. *cum ad nostram*, n. 29, de Elect.

[8] L. 11 de poen. ff. Ex l. 10 cod. eod. t.

[9] C. 49 de reg. iur. in 6°. SUAREZ de leg. VI, 3, n. 5, 6, 7.

[10] L. 3 de dolo malo C. de donat. inter vivos.

7) Si lex favorabilis ac parte odiosa sit, odium e favore separandum esse, docent Doctores, ac separabiliter interpretandum, secus videndum quaenam legislatoris intentio praevaleat. Attamen in dubio magis favorem quam odium esse attendendum [1].

γ) — De regulis interpretationis restrictivae.

176. In iisdem principiis restrictivae interpretationis regulae fundamentum habent. Praecipuae sunt:

1) Restrictivam interpretationem admittendam esse si alioquin in casu aliquo particulari lex iniqua evaderet aut illicitum praeciperet. Ubi enim dispar est ratio, ibi dispar esse debet legis dispositio [2].

2) Restrictivam interpretationem admittendam esse si id quod lege praecipitur in peculiari casu nimis arduum esset ac supra humanae legis potestatem [3].

3) Restrictivam interpretationem admittendam esse si in hoc vel illo casu sua lege legislatorem non voluisse obligare prudenter credi possit [4].

4) Legem irritantem restrictivam interpretationem non admittere, cum lex irritans ad rationem comunem ac actuum pariformitatem attendat magis quam ad casus ac rationes particulares [5]. Verum aliquando haec regula vim non habet [6].

5) Cessante aliquo in casu ratione legis adaequata legem ipsam in eo cessare necesse esse.

In exhibendis praecipuis restrictivae interpretationis regulis, re-

[1] Cf. Reinff. op. et l. c. Aichner op. cit. § 210. Machat etc.

[2] Cf. Suarez op. c., lib. 1.

[3] Schmalzgr. t. 1 de const., n. 49. Suarez VI, 5, n. 3, cap. 5, de appell., cap. 12, de poenit., l. 24 h. t. ff.

[4] Benedict. XIV, de Synod. dioec. XIII, 24, 20.

[5] Schmalz. op. l. c. n. 27.

[6] Cf. Sanguineti o. c. de Epicheia; Machat. op. c. et Zitelli de disp. p. 10, qui videtur contrasentire.

gulas epicheiae a regulis restrictivae interpretationis non distinximus. Nam in praxi utrumque differre non videtur.

177. Ad Epicheiam seu restrictivam interpretationem late sumptam doctores quae de ignorantia in iure statuuntur referre solent. Ignorantia consideratur quoad culpam, quoad lucra, quoad actus valorem. Quoad culpam ignorantia excusat nisi sit crassa et supina [1]. Quoad lucra vel damna regula est: ignorantia facti non iuris excusat [2]. Suum autem petentibus nec iuris ignorantia nocet [3] nisi de iure agatur quod ex sola civili lege competit et leges ignorans eo iure pro tempore non usus sit [4]. Quoad actus valorem nulla ignorantia neque invincibilis excusat si de lege proprie dicta irritante agatur quae formam ac materiam actus praescribat [5].

Insuper iuris ignorantia seu de legis existentia non excusat, nisi de iis agatur quibus ius ignorare permissum est uti mulieres, rudes etc. [6], ac nisi quoad medicinales poenas seu censuras aut quoad poenas expresse statutas contra eos qui eas scienter ac temere violaverint, quo ultimo in casu etiam vincibilis ignorantia excusat [7] aut quoad poenas vindicativas extraordinarias aut quoad rerum suarum iacturam faciendam. Ulterius facti proprii ignorantia non admittitur nisi de re valde antiqua et quidem ad malum vitandum res sit. Ignorantia e contra facti alieni admittitur imo praesumitur si scientia ab adversario non probetur nisi de factis notoriis aut de iis quae ex officio essent cognoscenda agatur [8].

[1] C. 9 de cler. excom., c. 2. de const. in 6°. L. 6 de iur. et facti ignorantia.

[2] C. 13 de R. Iur. in 6°. LL. 2, 9, de iur. et facti ignor.

[3] L. 7, 8, ff. de iur. et fact. ignor.

[4] L. 9 de iur. et fact. ignor.

[5] Cf. D'Annibale op. c., p. 1, pag. 169. Zitelli de disp. etc.

[6] L. 12 Cod. de iur. et fact. ignorant. Cap. 3 de cland. despons., c. si *quis vero*, c. 13, de regul. iuris.

[7] Cf. auctores de censuris.

[8] C. 41 de rescr., c. 17 de Reg. Iur. in 6°, c. 10 de reg. iur.

§ 2. — *De legum ecclesiasticarum interpretatione in specie.*

Videbimus de regulis interpretationis quoad *clausulas legibus* appositas, quoad *particulares leges,* quoad *rescripta,* quoad *concordata* et quoad *privilegia.*

a) — *De clausulis interpretandis.*

178. 1) Clausula numquam inutilis censenda est cum nihil otiosum in lege dicendum sit.

2) Clausula de stylo Curiae insolita documentum suspectum efficere potest, quod eo magis dicendum si plures huiusmodi clausulae in documento aliquo appareant.

3) Clausula in principio aut in fine legis posita totam legem complecti solet, in medio autem addita praecedentia complectitur sequentia vero quatenus sequentia cum praecedentibus connectuntur.

4) Iisdem regulis clausulae interpretantur quibus et leges.

179. In tractatu de dispensat. matrimonialibus [1], nonnulla adduntur de illis clausulis quae passim in Romanorum Pontif. Constitutionibus reperiuntur.

a) « *De plenitudine potestatis.* Per haec verba indicatur S. Pontificem in iure ordinario non insistere, atque idcirco per eam clausulam imminui vim regulae generalis quae statuit iura iuribus concordanda esse, quare lex cui ipsa opposita sit contrarias facilius abrogat ». Ita ex. gr. hac clausula validantur Romani Pontificis confirmatione in forma specifica acta puta alicuius Concilii Provincialis quae caeteroquin essent invalida [2].

b) « *Non obstantibus* etc. Non secus ac ea de qua mox locuti sumus ita derogat contrariis legibus ut imminuat vim regulae generalis, quae iura conciliari iubet, praesertim si iuncta sit alteri clausulae » « motu proprio ».

[1] Zitelli De Dispensationibus.

[2] Decr. Greg. IX, de util. vel inut. confirmatione, cf. Santi, Reiff. etc. etc. cit. titulo.

c) « *Decernentes irritum et inane a quopiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari* »... « *Aliter non valeant et non observentur* etc. vel *nullius sit momenti* etc. vel *alioquin* etc. vel *nullo modo* » vel aliae similes locutiones. Quoad hanc clausulam optime notatur *non bene* a nonnullis affirmari effectum esse irritare consuetudines futuras contrarias, etiamsi hoc plusquam semel hoc assertum inveniatur in foliis S. Cong. Concilii non quidem in ipsis Cardinalium responsis sed in expositione Causae quae fit a Secretario. Huic addi potest causae expositionem etiamsi nomine Secretarii tamen ab eius auditore confici, ideoque nil mirum si aliquando nimis proprio ingenio quam regulis iuris in quibus praxis habet fundamentum et non e converso, hi indulserunt. Est igitur dicendum consuetudines futuras ex praevio decreto irritante difficiliores fieri tum quia difficilius legislatoris consensus adest aut praesumi potest, tum quia eas odiosas reddit, non autem absolute eas impedire. Secus vero dicendum si consuetudo futura uti iuris corruptela reprobaretur [1].

d) « *Sublata cuilibet aliter iudicandi atque interpretandi facultate* ». Quoad hanc clausulam notetur: 1) vis clausulae est ut firmitati et integritati legis consulatur prohibendo interpretationem individuis; 2) difficiliores reddit consuetudines contrarias cum decretum irritans in se continere censeatur. Quodsi in rescriptis coniuncta sit cum clausula « quod de obreptione » idest quod non possit contra gratiam disputari de vitio obreptionis vel subreptionis, impedit inquisitionem de veritate eorum quae narrata sunt.

3) Quoad rescripta clausula vim non habet si etiam renunciatum fuerit ab eo qui rescriptum obtinuit, item si obreptio vel subreptio iam palam prodierit. 4) Remedium contra hanc clausulam de lege disceptandi est « aperitio oris » idest facultas a S. Pontifice ea de re impetrata [2].

[1] Cf. FAGNAN. in c. *ad haec* n. 54, de Rel. domib. Can. 3 et seqq. dict. 8, can. 1 et seqq. dict. 11, can. 3, 12, dict. 12, arg. c. 4, d. 10 et c. 3, 5, h. t. L. 2 Cod. quae sit longa consuet. L. 3, § 5, ff. de sepul. viol., l. 13. Cod. Cf. supra n. 25.

[2] Cf. ZITELLI op. c., BARBOSA, MARTA in eorum tractationibus de clausulis.

b) *De legibus particularibus interpretandis.*

180. Quoad particulares leges praeter regulas recensitas notandum est 1) neminem legibus particularibus obligari nisi qui aut omnino aut in ea re de qua agitur subditus est [1] ac in territorio reperiatur vel realiter vel fictione iuris [2]; 2) etsi leges per se et ordinarie non ferantur in personas absolute sed dependenter a territorio. personales nihilominus si quae sunt personae adhaerent [3]. Ita praecepta quae cuipiam indicta sunt sine relatione ad locum leges sunt personales adeoque personae quocumque tandem discesserit adhaerent [4]. Item leges atque consuetudines alicuius loci quae a iure communi abhorrent, localis instar privilegii habendae sunt proinde extra eiusdem loci fines prorsus cessant [5]. 3) Quisquis in alieno territorio legibus alieni territorii ad extraneos pertinentibus obligatur. 4) Leges quae de rebus latae sunt in territorio legislatoris positis etiam extraneos extra territorium obligant.

c) — *De rescriptis interpretandis.*

181. Rescriptorum interpretandorum regulae praecipuae sunt ut 1) Si mens rescribentis dubia manet, iustitiae rescripta secundum ius commune interpretanda sunt [6]. 2) Rescripta iustitiae quae ordinarii iurisdictioni derogant odiosa censentur, at stricte sumenda sunt [7]. 3) Rescripta iustitiae non valent per quae incerti dantur iudices quos impetrans elegerit, vel per quae futura negotia committuntur [8]. 4) Si super eodem negotio contra eundem duo rescripta impetrentur quorum posterius non facit mentionem prioris, valet

[1] C. *ut animarum* 2 de const. in 6°.

[2] Cf. supra n. 6.

[3] C. 7 de Reg. Iur. in 6°.

[4] Cf. Reiff. L. 1, t. 2, 4, 43.

[5] Cf. Sanchez l. 1 in Dec. c. 12, n. 39, apud Zit. de disp. p. 20.

[6] Cf. c. 18 et c. 4, de Rescr.

[7] C. 32 de off. legat. et c. 40 eodem.

[8] C. 10 et final. h. t.

primum non secundum, nisi in secundo mentio fiat de priori abrogando, item si primum communi consensu partium impetratum fuit, non valet secundum impetratum per alteram partem hoc tacito [1]. 5) Valet secundum rescriptum impetratum ab adversario etsi non faciat mentionem de primo si primus impetrans intra annum dolo et negligentia rescripto usus non est; neque ex hoc descendit rescripta iustitiae per non usum post annum cessare, uti nonnulli praesumunt, sunt enim et haec per se perpetua [2]. 6) Rescriptum speciale derogat rescriptis antecedentibus generalibus in quibus opponitur etiamsi de prioribus nulla mentio fiat [3]. 7) Qui litteras post appellationem impetrat, eius mentionem facere debet [4]. Si quis privilegium appellandi quod ad secundum ius, obtinuit, appellare non potest pro casu quo contra ipsum datur iudex delegatus remota appellatione ; quia speciale mandatum derogat generali.

182. Quod spectat rescripta gratiae, 1) Rescripta ad beneficia obtinenda strictae sunt interpretationis, utpote ambitiosa [5], nisi literae beneficiales vel motu proprio, vel in compensationem damni concessae sint. 2) Rescriptum quod datum sit ad beneficium, de beneficio vel dignitate impetrantis mentionem non faciens non valet [6], etsi ipsum [7] non habeat beneficium sed tantum ius ad illud. 3) Si quis rescripto ab beneficium propter annuam pensionem renuntiavit non valent literae beneficiales per eum, hoc tacito, impetratae [8]. 4) Non valent literae gratiae ad impetrandum beneficium in quibus impetrans tacuit perpetuam vicariam, nisi impetrans ignoret tempore supplicationis sibi collatum esse beneficium. Verum si beneficia sint incompatibilia unum dimittere tenetur ad normam

[1] C. 9 h. t.

[2] Cf. cap. 9 et c. 23 h. t.

[3] C. 14, verbo *quoniam*, de rescriptis in Decr.

[4] C. 12 h. t. et 44 de appell.

[5] C. 1 de praebend. in 6°.

[6] C. 17 et c. 8 h. t.

[7] C. 32 h. t.

[8] C. 31 h. t.

iuris [1]. 5) In rescripto ad beneficium subintelligitur si dignus existat, vel si non obstet canonicum impedimentum [2]. 6) Non valet impetratio in ecclesia numerata non facta de numero mentione si per eam frangitur numerus canonicorum; etsi non frangatur numerus praebendarum [3]. 7) In literis impetratis ad beneficium expressa vacatione per mortem non intelligitur vacatio per renunciationem nec viceversa [4]. 8) Litterae super conferendo beneficio vacaturo directae ad beneficium, post datam ipsarum creatum, non extendantur [5] etc. [6]. Rescripta gratiae latae sunt interpretationis nisi vergant in praeiudicium tertii [7].

183. Revocentur in genere ea quae tradita sunt de rescriptis ut eorum valor dignoscatur. Addere volumus *a*) in dubio rescriptum esse iustitiae praesumi. *b*) Verba hortatoria quae in rescriptis forte reperiantur praeceptiva habenda esse [8]. *c*) Rescripta intelligenda esse ita ut cum supplicibus cohaereant. *d*) Rescripta in dubio de obreptione vel subreptione valere. Tandem huc spectant regulae quae datae sunt pro legum interpretatione.

d) — *De concordatis inter Ecclesiam et Statum interpretandis.*

184. Quoad concordata interpretanda notetur 1) concordatorum authenticam interpretationem non ad Statum pertinere posse sed ad Ecclesiam, cum ad hanc pertineat iudicare quid animarum salus in casibus specialibus exigat, cumque Status tandem aliquando nihil de suis iuribus Ecclesiae concedat nisi illius protectionem ad quam praestandam iam naturali ac divino iure tenebatur. Quod si aliquid concessit id fini Ecclesiae spirituali addictum est, ideoque

[1] C. 7 in 6°, h. t.

[2] C. 27 h. t.

[3] C. 19 h. t.

[4] C. 6 in 6°, h. t.

[5] Clement. ult. h. t.

[6] Cf. Zalling. inst. iur. eccl. lib. 1, t. 3.

[7] C. 22 de priv., c. 16 de verb. sign., c. 18 h. t. S. Cong. in Ariminens. Paroch. die 5 Sept. 1821.

[8] Cf. Zall. ad tit. de priv. et excess. priv. § 262.

Ecclesiae potestati subiectum. Ceterum in praxi Ecclesia cum Statu concorditer procedere praefert. 2) Hinc patet quid dicendum de praetensis articulis organicis quibus Status pro arbitrio concordata interpretare contendit. 3) Doctrinalis autem atque theoretica interpretatio doctoribus non negatur. Verum oportet ut maxime contextus, scopus, et praxis, ac materia concordatorum attendatur ne Statui concedatur quod Ecclesia vero similiter numquam concessit, quodque praesertim in animarum perniciem vergeret. In genere videretur dicendum concordata non esse latae interpretationis seu in dubio minimum concessionis esse accipiendum 1) quia etiamsi favor sit Statui concessus tamen per se loquendo in praeiudicium Ecclesiae libertatis vergit, 2) quia status nil novi Ecclesiae concedit, 3) quia Ecclesia coacte ac nonnisi ad maiora mala vitanda iniit concordata, qua propter videtur censendum minimum quo fieri poterit concessisse.

e) — *De privilegiis interpretandis.*

185. *a*) Privilegia quae in corpore iuris continentur, et hac de causa sunt secundum ius, item privilegia praeter ius, latissime interpretanda sunt [1] nisi in alterius vergant praeiudicium [2]. *b*) Item dicendum est de privilegiis quae motu proprio et ex certa scientia concessa sunt [3]. *c*) Privilegium de casu ad casum neque de persona ad personam non extendatur neque interpretatione pure extensiva neque interpretatione extensiva comprehensiva [4] in casibus quae iis opponuntur in quibus prior et secunda regula locum habent. *d*) Privilegia contra ius strictae sunt interpretationis [5] dummodo non sint in bonum publicum [6] vel ex certa scientia, aut motu proprio concessa, vel alioquin essent inutilia. *e*) Moderatius ac remissius pri-

[1] Arg. c. 1 de filiis praesb. in 6, l. 3 de const. Princip. ff.

[2] C. 22 de priv., c. 16 eod.

[3] C. 23, 24, de praeb. in 6°.

[4] L. 1, § ult., de const. Princ., cap. 9 de priv. in 6°.

[5] C. 1, 2, de fil. presbyt.

[6] C. 30 de priv.

vilegia in iis extenduntur quae ad causam piam vel ad publicum bonum concessa sunt [1]. *f*) Privilegia remuneratoria latae sunt interpretationis, onerosa vero strictae interpretationis [2] nisi forte et remunerationis causam habeant. *g*) In dubiis Sedes Apostolica consulenda est [3]. *h*) Si duo privilegiati contraria habeant privilegia ille potior est qui fuit laesus [4] vel ratio aetati habenda erit [5] vel possessioni [6]. *i*) Privilegia generaliter uti neque extensivam [7] ita neque regulariter restrictivam interpretationem admittunt [8], sed declarativam tantum [9]. *k*) Extra concedentis territorium privilegia non valent [10].

f) — *De dispensationibus interpretandis.*

186. In genere tenendum est *a*) facultatem dispensandi utpote favorem latae esse interpretationis [11] nisi in tertii praeiudicium vergat. *b*) Actus e contra dispensationis cum legis vulnus sit ideoque aliquid odiosum strictae est interpretationis [12]. *c*) Superior etiam iniusta de causa valide dispensat, e contra inferior qui delegata aut ordinaria potestate sine iusta causa a legibus Superioris invalide [13]. Haec sufficiant de dispensationis interpretatione in genere; in specie dein de singulis dispensationum speciebus uti v. gr. de dispensationibus matrimonialibus in particularibus tractatibus agendum est [14].

[1] L. 44 ff. de relig.

[2] Arg. cap. 6, de donat.

[3] Clem. X, constit. *supernae* 21 Iun. 1670. Cf. ZITELLI de dispens. matr.

[4] L. 12, 35, de minor. ff.

[5] L. 13 de minor.

[6] L. 13 eodem.

[7] L. 1, § ult., de const. Princ., c. 9, de priv. in 6°.

[8] C. 16. de verb. sign. Cf. D'ANNIB. Sum. de privil.

[9] C. 7 de priv.

[10] Cf. SUAREZ l. 8, cap. 26.

[11] FAGNAN. cap. dilectus 16, de temp. ord., n. 20.

[12] FAGNAN. cap. Mandato de sim., n. 39.

[13] Cf. PIRRUM CORRADUM de dispens. mat. L. 1, c. 1, 12.

[14] Quoad regulas Cancellariae interpretandas cf. DD. praesertim opus praeclariss. RIGANTI.

TITULUS II.

De iis qui vicariatum gerunt Romani Pontificis.

187. Qui vicariatum Romani Pontificis gerunt: alii habent potestatem supra episcopalem, alii potestatem quasi-episcopalem. Ad primos pertinent Patriarchae, Primates, Metropolitae, Legati Romani Pontificis, ad postremos Abbates pertinent ac Vicarii Apostolici. De origine historica horum graduum iurisdictionis in tractatu de iure publico ecclesiastico iam actum est. Manet proinde ut de eorum potestate sicuti vigenti iure ea pollent breviter agatur. Sit igitur

CAPUT I.

DE PATRIARCHIS AC PRIMATIBUS.

188. Patriarchae maiores Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus in toto territorio patriarchali iurisdictionem ordinariam olim habebant in Archiepiscopos sibi subiectos; haec tamen iurisdictio hodie quiescit, cum patriarchales Ecclesiae in manibus infidelium sint, solo nomine et titulo seu dignitate remanente in quatuor titularibus Praelatis latini ritus. Antiquissima vero Patriarcharum iura ex parte retinent Patriarchae catholici, ritus orientalis. Ceteri Patriarchae minores, qui ex Pontificis Romani indulgentia vel consuetudine nomen patriarchale obtinuerunt, nullam specialem potestatem in iure communi habent ut Patriarcha Venetus, Ulyssiponensis.

189. Patriarchis succedunt Primates, qui maioribus Metropolitis praesidebant et in his potissimum iurisdictionem exercebant. 1) Confirmabant electiones Episcoporum non exemptorum. 2) Audiebant querelas contra Archiepiscopos. 3) A sententia Archiepiscoporum ad eos appellabatur [1]. 4) Supplebant eorum negligentiam in bene-

[1] Ex can. 9 et 17 Conc. Chalced.

ciorum collatione. 5) Praesidebant concilio nationali ex praxi Ecclesiae nota et constanti [1] quod tamen sine consensu Apostolicae Sedis nequibant convocare [2]; 6) a propriis Metropolitanis obedientiae professionem exigebant [3]. Ceterum Patriarcharum ac Primatum iurisdictio hac regula determinabatur: his gradibus illud tantum est tribuendum quod eisdem fuerit concessum ex canonum disciplina, vel singulari privilegio, aut legitima consuetudine [4]. Hodie vero electio et confirmatio Episcoporum et causae maiores criminales contra Archiepiscopos et Episcopos reservantur Apostolicae Sedi; minores vero decidendae sunt a Concilio Provinciali vel iudicibus ab eo deputatis. Hinc Primates qui modo supersunt, tales sunt titulo tenus. Attamen Primates Hiberniae et Hungariae non omnia sed nonnulla iura primatialia exercent.

CAPUT II.

DE METROPOLITIS SEU ARCHIEPISCOPIS.

190. Metropolita est Episcopus praesidens ceteris Episcopis, qui intra limites eius provinciae suas habent dioeceses. Unde Archiepiscopusappellatur. Qui vero eidem subiecti sunt Episcopi, dicuntur respectu eius *Suffraganei,* quia nimirum in Concilio Provinciali ius suffragii habent circa provinciae negotia. De Metropolitarum dignitate tria sunt investiganda: Erectio; iurisdictio; et insigne eorum proprium, hoc est *pallium.*

191. De erectione novi cuiusdam Archiepiscopatus generales regulae tres tradi possunt; nimirum eam faciendam esse 1) auctoritate Romani Pontificis [5]. 2) Congruo praemisso examine, nisi forte motu

[1] Benedict. XIV *de Syn. dioec.* lib. I, cap. 1, n. 2.

[2] Cfr. SEBASTIANELLI Praelectiones iuris canonici.

[3] Ex declaratione Urbani II in definienda controversia inter Episcopos Lugdunensem et Senonensem. LABBE Tom. X, col. 515, edit. Paris. 1671.

[4] Innocentius III, cap. 9, tit. 31, lib. I. Honorius III, cap. 13, tit. XI, lib. I. Innocentius IV, in cap. 1, tit. VIII, lib. I in 6°.

[5] PETRA *Com. in const. Apostolicas* Comment. ad Const. 3 Pii II.

proprio eam Summus Pontifex faciat. Quod quidem examen fit *a*) Cognita causa, quae generatim est Ecclesiae utilitas vel necessitas, speciatim autem esse potest etiam nobilitas atque antiquitas Ecclesiae de qua agitur, dignitas urbis in ordine civili, quippe quae sit sedes vel supremi Principis vel Praesidum primi ordinis, merita eiusdem, petitio atque instantia supremi Principis, destructio veteris metropolis etc. *b*) Auditis interesse habentibus, cuiusmodi sunt Metropolita, a cuius iurisdictione nova metropolis subtrahenda est, et Episcopi, qui eidem subiiciendi sunt [1]. 5) Addictis, saltem ex regula ordinaria (aliquando enim contrarium factum est), novae metropoli nonnullis Episcopis, qui eiusdem suffraganei sint.

192. De iurisdictione Archiepiscopi generalis regula statui haec potest, nempe eum esse Ordinarium suorum Suffraganeorum in iis tantum quae a iure ei sunt permissa, nullam autem habere iurisdictionem in locis quae intra eorum dioecesim sunt, vel in eorumdem subditos, nisi in casu iurisdictionis devolutae, vel cum agitur de re, quae ad totam provinciam pertineat.

Ex praestituta norma sequitur, ad eum pertinere Suffraganeos cogere ad sua munera rite obeunda [2] et contumaces etiam censuris [3] coercere duplici sub conditione, nimirum *a*) ut servetur ordo, seu ut primum interdicto, deinde suspensioni, denique excommunicationi subiiciantur, nisi contumaciae aut culpae gravitas aliud suadeat, et *b*) ut consulatur sin minus ex iuris necessitate, saltem ex congruentia, Apostolica Sedes [4]. Sequitur insuper, pertinere ad Archiepiscopum supplere negligentiam Suffraganeorum, ita tamen, ut prius adsignetur Suffraganeo terminus ad munus suum implendum, nisi forte ab ipso iure adsignatus sit [5]. Sequitur praeterea ad Ar-

[1] Petra l. c.

[2] Cap. 11, tit. 10, lib. 1.

[3] Cap. 29, tit. 5, lib. 3. Cap. 2, tit. XIV, lib. 1 in 6°.

[4] Petra in const. 2 Leonis IX a num. 60 ad 91, ubi etiam monet eadem posse Vicarium Generalem Archiepiscopi, absente tamen Archiepiscopo.

[5] Cf. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* tit. 4, n. 19, qui ab ea necessitate adsignandi terminum non bene fortasse excipit crimina notiora, cum eiusmodi exceptio in actu tantum visitationis provinciae habere locum videatur.

chiepiscopum pertinere appellationes recipere a Suffraganeorum sententiis, quod tamen intelligendum est de appellatione proprie dicta, quae nimirum fiat post sententiam definitivam vel interlocutoriam definitivae vim habentem, cuius videlicet gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat [1]. Denique sequitur pertinere ad Archiepiscopum Suffraganeos convocare ad Concilium Provinciale, de quo inferius agendum est [2].

193. Contra autem ex eodem principio sequitur, non posse Archiepiscopum ob aliam causam Suffraganeos cogere ut Curiam Metropolitanam adeant sive personaliter, sive per Procuratorem [3]. Neque iudicem se constituere in causis civilibus Suffraganeorum, licet ii non actores, sed rei sint, salva tamen consuetudine [4]. Denique sequitur Archiepiscopum ne ea quidem exercere posse, quae de Suffraganeorum confirmatione, aut de consecratione, aut de cognitione causae eorum absentiae a dioecesi, iisdem Archiepiscopis in iure attributa leguntur, quandoquidem reservata haec sunt Apostolicae Sedi [5].

194. Ex eo quod Archiepiscopus iurisdictionem non habeat in ipsa dioecesi atque in subditos Suffraganeorum, nisi in casu devolutionis, aut in re ad totam provinciam pertinente, sequitur, non posse in Suffraganeorum dioecesi actum verae iurisdictionis exercere, adeoque ne officialem quidem ibidem constituere pro futuris causis ad eum per appellationem devolvendis. Nonnulla tamen excipiuntur, et sunt iura: 1) praeferendi Crucem; 2) benedicendi populo; 3) divina

[1] Conc. Trid. Sess. XVI, cap. XX, *de Reform.* Bened. XIV const. *Ad Militantis* 30 Mart. 1742.

[2] Vacante Ecclesia suffraganea quae capitulo careat, illius administratio spectat ad Metropolitanum, et siquidem Metropolitana Ecclesia pastore careat ad Capitulum eiusdem Ecclesiae Metropolitanae, non vero ad antiquiorem Suffraganeum. S. Congr. Conc. die 28 aug. 1683.

[3] Petra *in Const. unic. Honorii II.*

[4] Petra *in Const. 2 Leonis IX* sect. 5 et praesertim n. 15, 18.

[5] Cfr. quoad primum Giraldi p. 1, sect. 44 et 67, quoad alterum Bened. XIV const. *In postrema* 20 octobr. 1756, quoad tertium Bened. XIV const. *Ad universi* 30 sept. 1746.

officia privatim vel publice etiam in pontificalibus celebrandi; 4) iubendi ut ea, se praesente, sine pontificalibus celebrentur; 5) exceptis locis exemptis indulgentias 40 saltem dierum concedendi. Sequitur insuper Archiepiscopum non posse dioeceses Suffraganeorum visitare, nisi ex causa cognita atque probata in Concilio provinciali [1]. Quo quidem in casu haec tantum Archiepiscopo licent: Confessiones subditorum Suffraganeorum audire, eosque absolvere etiam a casibus et censuris Episcopo reservatis, idque tum per se, tum per alios; iurisdictionem fori contentiosi in duobus tantum casibus exercere, idest in criminibus notoriis, et contra impedientes eius iurisdictionem. E contra cum possit exercere iurisdictionem in subditos Suffraganeorum in duobus casibus ab initio iam dictis, sequitur posse mittere edictum per totam provinciam de rebus ad suam iurisdictionem pertinentibus; pravam consuetudinem in totam provinciam inolitam prohibere, aliquem e dioecesi sua delinquentem exulem facere a tota provincia, praedicationis officium per totam provinciam alicui interdicere, et siquid aliud huiusmodi est.

195. Restat ut de Archiepiscopi insignibus nonnulla edicantur. Ea proprie sunt *Pallium* et *Crux* quae ante eos deferri solet. De Cruce satis sit adnotasse, eam esse formae communis, dum vicissim patriarchalis duplex lignum transversum habet, eiusque praelationis iure Archiepiscopum uti posse tantum in sua provincia, cum Patriarchae id valeant ubique, excepta urbe Roma, eoque loco ubi Summus Pontifex aut eius Legatus praesens sit.

Pallium est fascia lanea tres circiter digitos lata, circuli habens formam quae inserta capiti humeris insideat duplici linea acuta, quarum altera ante pectus, altera post tergum descendit, ac sex sericis nigrique coloris crucibus distincta est. Texitur ea fascia ex lana duorum agnorum, qui die S. Agnetis Romano Pontifici offerri solent, cui alia adiungitur, quae munda sit.

In formam autem pallii contexta, a Summo Pontifice, vel a Cardinali qui eo absente pontificalia agit in vigilia SS. Apostolo-

[1] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. III *de Ref.*

rum Petri et Pauli benedicitur, et postea in arcula argentea prope corpus S. Petri deponitur, petitionibus Archiepiscoporum eam reservando [1]. Est autem Pallium symbolum ecclesiasticae iurisdictionis, quae scilicet a Petro in ceteros derivatur, eiusque proinde origo male a nonnullis ab Imperatoribus educta est [2].

196. De Pallio autem inquirenda sunt: 1) qualitates; 2) collatio et usus.

Et primo quidem pallii qualitates duae sunt: 1) Necessitas, quae eiusmodi est, ut eo nondum accepto, neque plenitudo pontificalis officii, neque nomen ipsum Archiepiscopale quis mereatur. Unde sequitur, eodem nondum accepto, Archiepiscopum non posse exercere eos actus, qui maiores sunt quoad ordinem episcopalem et qui vestes pontificales exigunt, nisi forte in aliena dioecesi, rogatu Ordinarii peragendi sint. Quoad actus vero iurisdictionis iis tantum fungi posse, qui sunt omnibus Episcopis communes, non autem qui proprii sint muneris archiepiscopalis. Denique pallio amisso, vel corroso, novum peti debet [3]; ac corrosum comburendum est eiusque cineres in sacrario reponendae. 2) Secunda qualitas pallii est personalitas, quae afficit Archiepiscopum prout talis est; quo fit: *a*) ut pallium commodari nequeat; *b*) ut mutata Ecclesia, novum peti debeat; *c*) ut Archiepiscopo mortuo, cum eo debeat sepeliri, sive cadaveri superinductum, si in dioecesi decedit, sive capiti sit superpositum, si extra; *d*) ut dimisso Archiepiscopatu, adhiberi amplius non possit; *e*) ut si ex dispensatione Apostolica duos Archiepiscopatus quis retineat, duplex item pallium habere debeat.

197. Collatio pallii duos actus complectitur, concessionem et traditionem. Porro concessio fit a solo Romano Pontifice, praemissa ab Archiepiscopo eiusdem petitione instanter, instantius, instantissime [4] intra tres menses a recepta consecratione, vel si consecratus iam fuerit, a confirmatione; idque per se, si praesens sit; si autem

[1] Bened. XIV const. *Rerum Ecclesiasticarum* 12 aug. 1748.

[2] Cfr. Sebastianelli Praelectiones De Archiepiscopis.

[3] Petra l. c.

[4] Cf. Can. 2 Dist. 100 ubi dicitur pallium Archiepiscopis fortiter postulantibus solum concedendum esse.

absens, per Procuratorem iuxta formam a Bened. XIV praescriptam in constit. *Rerum ecclesiasticarum* 12 aug. 1748. Traditio fit a primo Cardinali diacono, si is qui pallium obtinuit in Urbe sit; si vero absens, ab eo ipso Archiepiscopo qui a Romano Pontifice fuerit delegatus, idque sub poena nullitatis et insuper adhibito per eum qui pallium recipit fidelitatis iuramento erga Romanum Pontificem.

198. Usus definitus est tum quoad locum, tum quoad tempus. Locus est intra fines propriae iurisdictionis, vel est intra provinciam et id etiam in locis exemptis [1]. Tempus, est in solemnioribus diebus intra missarum solemnia, qui dies in ipsa concessione pallii designantur, quibus adnumerandus est etiam dies missae inchoativae synodi sive provincialis, sive dioecesani, et quando maiores actus episcopalis ordinis exercentur, cuiusmodi est chrismatis consecratio.

199. Coronidis loco animadvertimus quod licet pallium insigne sit Archiepiscoporum et Patriarcharum, nihilominus privilegio apostolico aliquando etiam Episcopis concessum est [2]. Immo Graeci Episcopi a saeculo decimo, idem sibi generatim usurparunt, quemadmodum videre est apud Petra [3].

CAPUT III.

DE LEGATIS ROMANI PONTIFICIS.

200. Legati seu Legati Apostolici [4] ii sunt, qui a Romano Pontifice in certam provinciam mittuntur ad ecclesiastica negotia administranda [4]. Sunt autem triplicis speciei: a latere, missi, nati. De natis si quid superest, id pertinet tantum ad aliquam honoris praerogativam: ii vero nati dicti sunt, quorum dignitati legationis officium coniunctum sit; huiusmodi est Archiepiscopus Pisanus in

[1] Petra l. c. 29.

[2] Bened. XIV *de Synodo* lib. XII, cap. 6.

[3] Petra l. c.

[4] Agunt de Legatis Canonistae in Lib. 1 Decretal., tit. 30; tum Barbosa *In Ius Canon. univers.* lib. 1, cap. 5, aliique; in specie autem de legatis a latere Tour *De auctoritate legatorum a latere;* Fragosus *Regimen christianae reipublicae,* p. 2, lib. 4, disput. 10, aliique.

Italia, Toletanus et Bracarensis in Hispania, Salisburgensis in Germania. Quod attinet ad ceteros, dicuntur a latere qui e Cardinalium coetu electi sunt; missi vel nuncii, qui extra; eiusmodi esse solent qui ad supremos Principes mittuntur, ut apud eos eorumque subditos Christifideles pontificiam explicent iurisdictionem. His positis videndum est: 1) quae sit Legatorum potestas; 2) quibus modis eorum officium expiret.

201. De Legatorum potestate in genere dici potest, eam definiri Apostolicis literis, quibus eiusmodi officium iis commissum est [1]. In specie autem haec satis sit adnotasse.

I. Commune est legatis, sive missis, sive a latere,

a) ius excipiendi appellationes a sententia definitiva Ordinariorum, vel a gravamine, quod sententia definitiva reparari nequit [2].

b) ius assistendi matrimoniis, ita ut si coram ipsis inita fuerint valeant [3].

c) privilegium peculiare Canonis, quo scilicet gravioribus poenis, qui eos offendunt mulctantur.

d) Privilegium concedendi indulgentias pro quocumque opere pio ad tempus, quod annum non attingat; pro Ecclesiis vero aut Cappellis septem annorum ac totidem quadragenarum, quae scilicet ab iis acquirantur, qui rite confessi et S. Eucharistia refecti in eodem loco iuxta intentionem Ecclesiae oraverint [4].

202. II. Proprium est legatorum a latere,

a) ut ad probandam suam legationem literas Apostolicas exhibere non teneantur [5].

b) ut, Urbe egressi et Romano Pontifice non praesente, uti possint, licet provinciam nondum attigerint, insignibus legationis suae [6].

[1] Schmalzgrueber in tit. *de officio Legati*, n. 3.

[2] S. Congr. Episc. et Regular. apud Conc. Rom. anni 1725 in append. n. 5; et apud Giraldi *Expositio Iuris Pontif.* part. 1, sect. 308, n. 2 et seq.

[3] S. Congr. Conc. apud Giraldi part. 1, sect. 174, n. 25.

[4] Ferraris *Biblioth. iuris,* verbo *Legatus*, n. 46.

[5] Schmalzgr. tit. *de offic. leg.*, n. 9.

[6] Schmalz. l. c., n. 4, § 2.

c) ut ab eadem die possint absolvere quoscumque percussores clericorum, quod ceteris legatis nonnisi intra Provinciam, et quoad subditos tantum licet [1].

d) ut eorum adventu in Provinciam suam ceteri legati ab officio atque insignibus legationis suae abstinere debeant [2].

e) ut habeant iurisdictionem etiam in exemptos, exceptis casibus Summo Pontifici specialiter reservatis [3].

f) ut habeant ius conferendi beneficia eos intra limites, de quibus supra dictum est.

Ceterum de tota hac materia conferri possunt infra citatis auctores [4].

203. Expirat autem legatorum potestas hisce modis:

I. Legationis termino expleto, si ad tempus vel ad certum negotium peragendum commissa fuit [5].

II. Legantis idest Romani Pontificis voluntate (nam morte eius non expirat) [6]; si scilicet Legatum revocaverit, isque revocationem suam cognoverit [7]; vel simpliciter eidem successorem miserit, qui iam in Provinciam missus sit [8].

III. Legati facto, idest eiusdem

a) renunciatione, quae a Romano Pontifice acceptata fuerit;

b) egressu e provincia cum animo non redeundi, qui si desit potestas (et quidem contentiosa tantum), suspenditur sed non expirat [9];

c) morte [10].

[1] Schmalz. l. c. n. 4, § 6.

[2] Cap. 8 *de offic. leg.*; Schmalz. l. c. n. 4, § 4.

[3] Schmalz. l. c., n. 4, § 5; et simul confer. n. 6, § 2.

[4] Giraldi p. 1, sect. 308; Ferrar. *Bibl.*, verbo *Legatus*, ibique S. Congr. Conc. resolutiones; et Platus seu Tria in Synopsi privilegior. Cardinalium, n. 43, seq.

[5] Schmalz. n. 10, § 1 et 2.

[6] Schmalz. l. c., n. 11.

[7] Schmalz. l. c., n. 10, § 5.

[8] Tour *de auctoritate legatorum a lat.* lib. 13, § 2.

[9] Schmalz. l. c., n. 10, § 4.

[10] Schmalz. l. c., n. 10, § 6.

CAPUT IV.

DE ABBATIBUS AC DE VICARIIS AC PRAEFECTIS APOSTOLICIS.

204. Romani Pontificis vicariatum gerunt non modo qui potestate supraepiscopali gaudent nempe Patriarchae, Primates, Metropolitae ac Legati Romani Pontificis, sed etiam qui iurisdictione quasi episcopali donati sunt idest Abbates ac Vicarii ac Praefecti Apostolici. De his proinde ordo expostulat ut breviter agatur.

ARTICULUS I.

De Abbatibus.

205. Abbates Praelati inferiores dicuntur qui nempe Episcopi non sunt sed in dignitate inferiori constituti sunt cui ex concessione Apostolicae Sedis competunt quaedam iura episcopalia sive maiora, sive minora [1].

Iuxta Benedictum XIV [2] tres distinguuntur species Praelatorum inferiorum. Prima eorum est, qui praesunt certo generi personarum intra septa alicuius Ecclesiae, vel Monasterii, aut Conventus, quique una cum suis subditis ab Episcopi iurisdictione sunt exempti. Secunda species est eorum, qui proprium habent clerum et populum in ea regione situm, quae licet subtracta sit ab actuali potestate Episcopi, eius tamen dioecesi circumscribitur adeoque affecta est eiusdem habituali quadam iurisdictione, unde etiam improprie appellantur aliquando Abbates, vel Praelati nullius. Tertia species eorum est qui clerum habent et populum in propria quasi dioecesi existentem, quae a dioecesi cuiuslibet Episcopi omnino avulsa et separata est, quique proinde proprie dicuntur Abbates vel Praelati nullius.

[1] Card. PETRA Tom. V ad const. IV Callixti III, sect. 1, n. 2. Cfr. SEBASTIANELLI Praelectiones hoc loco.

[2] De Syn. dioec. Lib. 2, cap. 9.

206. Ad Abbates vere nullius quod pertinet hi sunt qui revera quasi episcopalem iurisdictionem habent. De his tria sunt quaerenda 1) quae sit legitima eorum origo 2) quae iurisdictio 3) quae onera. Iamvero de origine tenendum est Praelatos iurisdictionem acquirere posse vel titulo originis, vel titulo privilegii apostolici, vel tandem titulo praescriptionis. Quoad titulum originis notamus quod cum certum sit territorium Ecclesiae usque ab initio in dioeceses divisum fuisse, nil prohibet quominus ab initio Praelaturae vere nullius constitutae sint. Quod pertinet vero ad privilegium oportet privilegium sit claris verbis expressum ac certum cum de limitanda Episcoporum iurisdictione agatur quae in sui favorem iuris praesumptionem habet. Antiquitus etiam Episcopi cum capituli consensu, alicui Praelato iurisdictionem in Monasterium et personas aliter existentes concedere poterant qua ab Episcopo exemptos fiebat, at progressu temporis haec potestas ab Episcopis sublata est ita ut hodie hoc privilegium concedere, nonnisi ad Sedem Apostolicam pertineat [1]. Tandem Praelati nullius iurisdictionem obtinere possunt *praescriptione* non quidem ordinaria idest 40 annorum, sed praescriptione immemoriali [2]. Etenim romanorum iure cum ageretur de finibus praescribendis auctoritate publica constitutis praescriptio ordinaria non sufficiebat [3]; quod ius canonicum recepit.

207. De iurisdictione Abbatum vere nullius id pro regula generali statui potest, Praelatos vere nullius utpote veros Ordinarios ac Dioecesanos, exercere posse omnes actus, qui ad iurisdictionem episcopalem pertinent, iis exceptis, quae a iure expresse iisdem denegantur; eos vero, qui ad ordinem pertinent, attingere non posse, salvo quoad collationem Ordinum minorum et confirmationis privilegio apostolico. Concilium Tridentinum praecipit ut ab ordinationibus se abstineant sive subditorum secularium sive extraneorum licet dimissorias a proprio retulerint ordinario nisi privilegium

[1] C. 7 et 10 Tit. VII, Lib. V in VI.

[2] S. Congr. Concilii adprobante Clemente XI. Cfr. Card. PETRA l. c.

[3] L. 5 Cod. Tit. Finium regundorum.

apostolicum habuerint [1]. Unde sequitur 1) ob defectum manifestae exceptionis, immerito ab aliquibus dubitatum esse eos posse: *a*) matrimoniales et criminales causas cognoscere [2]; *b*) dispensare ab enuntiationibus matrimonialibus [3]; *c*) concedere facultatem audiendi confessiones et concionandi; *d*) aliquos casus sibi reservare; *e*) publicare iubilaea et indulgentias; *f*) vocare quemlibet Episcopum ad sacramentum Confirmationis conferendum itemque a quolibet Episcopo olea sancta recipere; *g*) plenam iurisdictionem exercere circa Monialium clausuram [4]. 2) Ob claram in iure exceptionem sequitur non posse: *a*) concedere literas dimissoriales ad ordines; *b*) Synodum cogere nisi probent expressum obtinuisse a Sede Apostolica privilegium, quod in usum deductum sit [5]. Talis est etiam praxis Sacrae Congregationis Concilii [6]: adeoque absque privilegio convocandi Synodum nequeunt, examinatores synodales eligere et concursum ad beneficia parochialia habere; si Praelatus privilegium habeat indicendi concursum pro vacantibus paroeciis non censetur data facultas convocandi Synodum dioecesanum, cum examinatores vel in concilio Provinciali vel in Synodo Episcopi vicinioris eligi possint. Quod et de deputatione oeconomi ad parochiam vacantem dicendum est [7]; *c*) indulgentias impertiri: *d*) concedere licentiam extrahendi reos a loco immuni, quae proinde a viciniori Episcopo petenda est; *e*) concedere literas monitoriales pro rebus amissis restituendis, quae tamen non a viciniore Episcopo, sed a Dataria petendae sunt; *f*) visitare privative Ecclesias saeculares in suo territorio seu quasi Dioecesi existentes, cum eiusmodi ius cu-

[1] Tridentinum, cap. 10, Sess. 25.

[2] Petra l. c., sect. 2.

[3] Petra l. c. ibique S. Congr. Concilii per Summum Pontificem approbata.

[4] Card. Petra in Constit. 4 Callisti III, Sect. 2.

[5] Garcias de beneficiis P. 2, cap. 2, n. 12. Petra Tomo 5, sect. 2, p. 129. Benedict. XIV lib. 2, cap. 11.

[6] Cf. Sebastianelli Praelectiones l. c.

[7] S. Congr. Conc. in Nullius Messanen. 5 Iulii 1738. Trident. cap. 18, sess. 24 de Reformatione.

mulative cum Episcopo viciniore habeant; *g*) exercere facultatem Episcopis tributam a Tridentino [1] absolvendi a criminibus occultis Summo Pontifici reservatis [2]; *h*) exercere iurisdictionem in Regulares, quam Episcopi utpote Sedis Apostolicae delegati exercent [3]. 3) Ob peculiare privilegium Abbates Regulares, qui in sacerdotio sunt et solemnem ab Episcopo benedictionem acceperunt, possunt suis subditis tonsuram et minores ordines conferre [4].

208. De oneribus in genere statui potest eadem iisdem incumbere quibus Episcopi ratione curae animarum tenentur, adeoque eos teneri obligatione: *a*) residendi; *b*) praedicandi quoad possunt per se; *c*) celebrandi Missam pro populo singulis diebus festis licet apostolico indulto sublatis [5]; *d*) visitandi suam quasi dioecesim, quod tamen onus commune est Praelatis nullius cum Episcopo vicino; hinc curandum eis est nequid Episcopi decretis (quae semper praeferenda sunt) contrarium decernant [6]; *e*) denique visitandi sacra limina [7].

209. De reliquis duabus Praelatorum inferiorum speciebus haec quoad legitimam eorum originem, iurisdictionem ac onera animadvertisse satis sit.

Origo tum ex apostolico privilegio, tum etiam ex praescriptione quadragenaria una cum titulo colorato deduci potest [8].

Iurisdictio non modo limitatur quoad actus, qui Praelatis etiam nullius interdicuntur, verum etiam quoad illos qui a Concilio Tridentino solis Ordinariis reservati sunt, adeoque Praelatis etiam nullius ea ratione permittuntur, quod veri censentur Ordinarii, quo quidem nomine, ii de quibus nunc agimus appellari nequeunt; Potestas horum praelatorum non differt a potestate superiorum Re-

[1] Cap. *Liceat* Sess. XXIV de Ref.

[2] FAGNANUS in cap. 21 de sent. excomm. n. 32.

[3] Gregorius XV in const. *Inscrutabilis* 5 febr. 1632.

[4] Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. X, de Ref.

[5] Leo XIII const. *In Suprema*.

[6] PETRA in const. Callisti III, sect. 1.

[7] Benedictus XIV const. *Quod sancta* 27 nov. 1740.

[8] PETRA l. c. n. 26.

gularium nisi peculiaribus privilegiis vel consuetudinibus legitime praescriptis innitatur.

Onera iis incumbunt eadem quae Praelatis nullius, exceptis visitatione ss. Liminum quae ultra Praelatos illos minime extenditur, visitatione locorum et beneficiorum quae Tridentinum ab Episcopo visitari voluit [1].

ARTICULUS II.

De Vicariis Apostolicis.

210. Vicariorum Apostolicorum duplex species est. Alii ab Apostolica Sede mittuntur ad regendam aliquam dioecesim, sede sive plena sive vacante, cum iurisdictione episcopali. Causa vero talis missionis varia est, at potissima ad unum e tribus hisce capitibus referri potest, videlicet : 1) cum Ecclesia iamdiu vacat; 2) cum Episcopus est ab aetate impeditus et fere inhabilis; 3) cum idem fuerit a iurisdictione suspensus. Alii in regiones mittuntur in quibus vel nullae constitutae sunt dioeceses, vel, iis etiam constitutis, Episcopi proprio titulo praefici non possunt. Porro de Vicariis Apostolicis in hac secunda acceptione disserimus et quidem de iis dumtaxat qui episcopali dignitate aucti sunt, ut plerumque accidit. Hinc nonnulla addimus de Praefectis apostolicis.

Videndum est 1) de potestate Vicarii Apostolici, 2) de obligationibus Vicarii Apostolici, 3) de Privilegiis Vicarii apostolici.

§ 1. — *De potestate Vicarii Apostolici.*

Videbimus 1) de natura iurisdictionis Vicarii Apostolici. 2) Quomodo iurisdictionem acquirant. 3) De extensione eorum iurisdictionis.

a) — *De natura iurisdictionis Vicariorum Apostolicorum.*

211. Iurisdictio Vic. Apostolici delegata est, etiamsi charactere episcopali donati sint. Quare rescriptum fuit [2] quod Vicarii Apostolici

[1] Cap. IV de Ref. Sess. VI, et cap. VIII, Sess. VII, et cap. XXI et IX Sess. XXIV.
[2] Collect. Decr. S. C. P. F. n. 50.

non gaudent ea iurisdictione quae canonum dispositione pertinet ad Episcopos Ordinarios neque ea qua Episcopi Ordinarii gaudent uti delegati Apostolicae Sedis. Hinc negantur Vicariis Apostolicis facultates quae pertinent ad Episcopos uti delegatos Apostolicae Sedis in Regulares. Imo declaratum est quod in proprio Vicariatu Vicarii Apostolici uti non possint nisi facultatibus quae illis concessae sunt a Sede Apostolica. Quaeritur an vocari possint Ordinarii? Benedictus XIV Vicarium Apostolicum Constantinopolitanum vocaverat *Ordinarium* [1]: verum videndum est an Bened. XIV Ordinarium illum vocaverit quia locum tenet Patriarchae latini Constantinopolitani ab Innocentio III constituti, vel propter speciales rationes favore Vicarii Apostolici Constantinopolitani. In *primo casu* omnes V. Apostolici essent vocandi *Ordinarii* qui in Sedibus iam erectis successerunt: in *secundo casu* esset privilegium illius Vicarii Apostolici. Ceterum Vicarii Apostolici Ordinarii vocari possent, non quia habent potestatem ordinariam, sed quia delegatione in genere ea fere omnia agere possunt quae potest Episcopus Ordinarius, vel etiam quia non modo extraordinario sed modo ordinario iurisdictionem in Vicariatu exercent. Et sane, in Litteris Encyclicis Sacrae Congreg. Sancti Officii die 20 Feb. 1888 [2] refertur quod Romanus Pontifex sanxit dispensationes matrimoniales committendas esse oratorum Ordinario vel Ordinario loci et appellatione Ordinarii intelligit Episcopos, Administratores, Vicarios Apostolicos, Praefectos etc.

b) — *De modo quo acquirunt Vicarii Apostolici iurisdictionem.*

212. In locis in quibus missiones concreditae sunt Ordinibus Regularibus vel institutis Ecclesiasticis, superior Ordinis vel Instituti candidatos proponit Sedi Apostolicae cuius est inter presentatos eligere: secus electio Vicarii Apostolici fit immediate a Romano Pontifice praevia consultatione Sacrae Congregationis Prop. Fidei:

[1] Cf. ZITELLI ap. h. t.

[2] Collect. n. 1472.

quod si agatur de Vicariatu noviter instituendo, adest instructio Sacrae Cong. Prop. Fidei circa modum servandum in informatione quae eidem sacrae Congregationi exhibenda est [1]. Notandum est quod Benedictus XIV in Constitutione *Gravissimum* die 10 Ian. 1755 constituit ut Romae coram eius auditore processus conficeretur super qualitatem personae quae in Vic. Apost. esset eligenda.

c) — *De extensione iurisdictionis Vicarii Apostolici.*

213. Tribus principiis determinari potest potestas Vic. Apostolici:

1) *Vicar. Apostolicus deputatus « cum facultatibus necessariis et opportunis » aequiparatur Episcopis Ordinariis ideoque gaudet potestate legifera, iudiciali et coactiva.*

2) *Vicarius Apostolicus quia potestatem ordinariam non habet, nec est Episcopus Dioecesanus, iurisdictionem in pluribus limitatam habet.*

3) *Vic. Apostolicus uti Delegatus Apostolicae Sedis specialibus facultatibus insignitur sive ex Rescriptis Sacrar. Congregationum sive ex facultatibus Formularum.*

214. *Ex 1° principio consequitur: a*) quod Vicar. Apostolicus non potest exercere iurisdictionem nisi intra limites proprii territorii in quibus tamen ipse exclusive iurisdictionem exercet [2]. Hinc ut aliquis teneatur legibus Vic. Apostolici, oportet quod sit de territorio et in territorio vel realiter vel fictione iuris. *b*) Vic. Apostolicus suis subditis etiam in alieno Vicariatu sacramenta administrat. *c*) Vic. Apostolicus visitat iudicialiter Ecclesias et Oratoria ac occasione sacrae visitationis potest Decreta ferre [3]. *d*) Ut Vicarius Apostolicus iurisdictionem exercere possit, oportet quod sit in territorio vel *realiter* vel *fictione* iuris: quare si profugus sit iurisdictionem nihilominus in suo Vicariatu exercet si cum Vicariatu posset communicare [4]. *e*) Vic. Apostolicus potest mutare stationes

[1] Collect. n. 15.

[2] Collect. n. 58, 72.

[3] Collect. n. 53, § 4.

[4] Collect. n. 57.

missionariorum [1]. *f*) Vic. Apostolicus potest sibi constituere Notarios Apostolicos [2], *g*) eligit Administratores Ecclesiarum [3], *h*) publicat Constitutiones Apostolicas et mandata S. Cong. Prop. Fid. [4]. *i*) Delegat Praedicatores ac modum praedicandi moderatur. *k*) Sunt Ordinarii Collatores Beneficiorum. *l*) Sunt naturales Inquisitores. *m*) De Consensu alterius Episcopi vel Vicarii Apostolici pontificalia in alieno vicariatu celebrat.

215. *Ex 2° principio consequitur: a*) Vic. Apostolicus non potest dare Indulgentias quas possunt Episcopi Dioecesani. *b*) Non fit eorum mentio in Canone Missae [5]. *c*) Non competit Vic. Apostolicis oratio quae dicitur Collecta et quae a presbyteris recitatur die Anniversarii Consecrationis Episcoporum Dioecesanorum [6]. *d*) Vicar. Apostolicus non potest erigere thronum [7]. *e*) Vic. Apostolicus non potest deferre Cappam magnam [8]. *f*) Ante Vic. Apostolicum Crux non defertur [9]. *g*) Nequeunt uti opera missionariorum aliorum Vicariatuum, nisi habeant licentiam S. Cong. Prop. Fidei [10]. *h*) Vic. Apostolicus tenetur sibi eligere Vicarium Generalem, si coadiutorem non habeat cum iure futurae successionis. Hoc statuit Benedict. XIV in Constit. *Ex sublimi* num. 161 ad Vic. Apostolicos Indiarum Orientalium et Occidentalium. Postea vero constitutione *Quam ex sublimi* ad omnes vicarios apostolicos id extendit [11]. Imo V. Apostolicus potest duos Vic. Generales sibi eligere [12]. Ex hisce patet quaenam sit differentia inter Vic. Gen. Vic. Apostolici et Vic. Generalem Epi-

[1] Collect. n. 62.

[2] Collect. n. 53, § 5.

[3] Collect. n. 56, § 10.

[4] Collect. n. 55, § 2.

[5] Collect. nn. 120, 122, 126, 127, 131, 139.

[6] Collect. n. 127.

[7] Collect. n. 126.

[8] Collect. n. 131.

[9] Collect. n. 139.

[10] Collect, n. 52, 72.

[11] Collect. n. 71.

[12] Collect. n. 164, 165, 166.

scopi Dioecesani. Differunt α) quia Vic. Generalis Vic. Apostolici, ut dictum est, iuris necessitate eligendus est; β) Vic. Generalis Vic. Apostolici habet iurisdictionem delegatam; γ) Vic. Generalis Vic. Apostolici ita etiam constitui potest ut in parte Vicariatus iurisdictionem exerceat; δ) eius iurisdictio a Vic. Apostolico pro arbitrio limitari potest. ε) Ab eius sententia ad Vic. Apostolicum appellatur quia cum Vic. Apostolico non constituit unum tribunal neque eandem iuridicam personam. ζ) Morte Vic. Apostolici, non cessat iurisdictio eius Vicarii Generalis ad quem pertinet gubernare Vicariatum illis facultatibus quae ad Vicarium Apost. pertinebant, exceptis omnino personalibus. *i*) Vicarius Apostolicus non gaudet iuribus quae ad Episcopum pertinent ratione legis Dioecesanae. *k*) Recolendum pariter est quod Constitutiones Pontif. non respiciunt Orientales nisi expresse de Orientalibus mentio fiat aut agatur de legibus dogmaticis aut ius naturale declaretur. *l*) Ex eo quod Vicarii Apostolici non sint Episcopi dioecesani sequitur, eis non competere quae ad Capitulum cathedrale pertinent, siquidem Ecclesia Cathedralis in Vicariatibus non extat. Hinc non poterunt canonicos honorarios nominare, nec capitularium insignia suis missionariis tribuere [1]. Neque ad eos pertinent facultates extraordinariae, quae a iure conceduntur Episcopis nominatim a Concilio Tridentino.

216. *Ex 3° principio:* Oportet in primis videre quaenam sint praecipue facultates Vicariorum Apostolicorum *ex Rescriptis* SS. Congregationum: secundo quid sint *facultates Formularum et quid de his in iure sit constitutum.* Rescripta alia respiciunt Episcopos indigenos, alia missionarios saeculares, alia missionarios Regulares.

217. I. Quoad Episcopos indigenos: Petitione Vic. Apostolici Tunchinensis a S. Congreg. Prop. Fidei rescriptum est [2]: 1) quod Episcopi indigenae nequeunt clericos ad sacros ordines promovere nisi in scriptis approbationem illius Vicarii Apostolici obtinuerint. 2) Episcopi indigenae nequeunt approbare presbyteros missionarios ad con-

[1] S. Cong. Prop. Fid. 27 nov. 1858.

[2] Collect. n. 55.

fessiones recipiendas aut ad praedicationem, nisi missionarii etiam Regulares litteras patentales Vicario Apostolico Europaeo exhibuerint. 3) Ius fabricandi processus de miraculis et martyribus, disponendi circa observantiam festorum et sacrorum rituum, publicandi litteras Apostolicas, Iubilaeum, Decreta SS. Congregationum Vicario Apostolico reservatur. 4) Facultates quae a Sacra Inquisitione conceduntur, Vicario Apostolico reservantur, qui tamen potest Episcopos indigenos delegare. 5) In dubio circa interpretandas litteras Apostolicas sententia V. Apostolici sequenda est, donec responsum obtineatur a Sede Apostolica. 6) Vic. Ap. Episcopos indigenos cogere potest ut Synodo dioecesanae interveniant, saltem per Procuratorem. 7) Vic. Apostolicus potest titulo missionis et absque dimissoriis ordinariorum clericos ad sacros ordines promovere in eius seminariis degentes, qui tamen consuetum iuramentum emiserint.

218. II. Quoad *Missionarios Saeculares.* 1) Missionarii tenentur exhibere literas patentales Vicariis Apostolicis, vel istis absentibus, eorum pro-Vicariis et ab iis petere licentiam pro facultatibus exercendis [1]. 2) Missionarii saeculares clerici qui a Sede Apostolica datis literis ad missiones destinantur Vicariorum Apostolicorum iurisdictioni, visitationi et correctioni omnimode omnes et singuli subsunt [2]. 3) Missionarii nequeunt discedere a missione sine licentia Vicarii Apostolici [3]. 4) Vicarius Apostolicus ius habet post 6 menses ab adventu novi missionarii eum subiiciendi examini super peritiam linguae illius loci: si in examine deficiat post alios 6 menses rursus missionarius examinatur et tandem si incorrigibilis sit, Vic. Apostolicus Sacram Congr. commonefacere debet [4]. 5) Vicarius Apostolicus ius habet ut a missionariis ratio ei reddatur de acceptis et expensis [5]. 6) Vicarii Apostolici possunt removere missionarios a

[1] Collect. n. 272, 280, 281, 311.
[2] Collect. n. 292.
[3] Collect. n. 295.
[4] Sollect. n. 312, 315, 327, 328.
[5] Collect. n. 310.

missionibus in casu urgentis necessitatis; tamen postea statim Sacram Congr. Prop. Fidei certiorem facere debent [1].

219. Quoad *Missionarios Regulares:* 1) Regulares quoad missionem accipi nequeunt sine Superiorum permissione, neque a missionibus removeri possunt, inconsulta S. Congr. de Prop. Fide [2]. 2) Non potest Vicarius Apostolicus Ecclesias a Regularibus eripere: tamen ex legitima causa aliquem missionarium Regularem removere potest, dummodo novus substituatur eiusdem ordinis deputandus a Superiore Regulari cum approbatione Vicarii Apostolici. 3) Non possunt Regulares *catechistas* voto obedientiae erga seipsos privative quoad Vicarios Apostolicos obstringere [3]. 4) Regulares Missionarii duplici subiectione ligantur i. e. Vicario Apostolico et Superiori Regulari: in conflictu prima praevalet; excepta interna disciplina regulari, regulares missionarii quoad omnia negotia et directionem missionum subsunt Vicariis Apostolicis [4]. Quare Regulares Missionarii qui in subsidium Episcoporum dati sunt, uti nequeunt facultatibus habitis a Sede Apostolica nisi sub dependentia et beneplacito Ordinarii [5]. 5) Notanda est etiam Constitutio *Firmandis* Benedicti XIV de iurisdictione Episcoporum quoad Ecclesias parochiales Regularium in eis exercentes [6]. Summus Pontifex instaurat praescriptiones Concilii Tridentini [7]. Constitutio duas habet partes: *in prima declaratur* quando Regulares Episcopis subiiciantur in casu; *in secunda quinam* eximantur. *Quoad 1^{am}*. 1) Bened. XIV ait: « quod Greg. XV constitutione *Inscrutabili* an. 1622 iam declaraverat quod iurisdictioni Episcoporum subsunt etiam Regulares quocumque modo curam animarum exercent vel sacramenta administrant, etiamsi de facto absque ulla auctoritate sese ingerant in iis quae concer-

[1] Collect. n. 305, 317, 320.

[2] Collect. n. 388, 389, 390.

[3] Collect. n. 391.

[4] Collect. n. 69.

[5] Collect. n. 285.

[6] Collect. n. 408.

[7] Sess. 25, cap. 2.

nunt eiusmodi curam atque administrationem ». 2) Benedict. XIV confirmat decisionem S. Congr. Episcoporum et Regularium qua dicitur quod Regulares parochi seu curati teneantur excipere et adiuvare missionarios quos mittat Episcopus ante eius visitationem ad populum docendum. 3) Confirmat decisionem Sacrae Congregationis EE. RR. qua declaratur posse Episcopum in Ecclesiis Regularium sive parochialibus sive non, sacramentum confirmationis administrare. 4) Enumerat Summus Pontifex quid visitet Episcopus in Ecclesiis parochialibus Regularium i. e. altare in quo servatur Eucharistiae, fontem baptismalem si adsit, pulpitum, sacrarium, cemeterium, turrim campanarum et omnia vasa sacra ac sacram supellectilem. 5) Quoad Parochi regularis personam non inquirit an servet disciplinam regularem vel non, sed de eius vita et moribus quoad officium parochiale, an servet residentiam etc. 6) Ad Episcopum ac ad Superiorum Regularem pertinet curare etiam poenis opportunis ut parochus regularis officia parochialia adimpleat: in conflictu praevalet Episcopus. 7) In parochianos inquirere pertinet exclusive ad Episcopum.

220. *In parte 2ª Constitutionis* dicitur quinam eximuntur a iurisdictione Episcoporum. Eximuntur 1) Abbates nullius et quasi nullius quoad monasteria et loca in quibus abbates vel regularium superiores iurisdictionen Episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent, salvis iuribus quae ex altera causa ad Episcopos pertinent. 2) Excipiuntur monasteria quae curam animarum exercent in quibus Superior Regularis et Generalis ordinariam et principalem sedem habet: parochiae tamen ab eo dependentes subiiciuntur visitationi Episcoporum. Item in parochianos iurisdictionem exercet Episcopus. Imo Episcopi consensus requiritur ut Superior Regularis valeat deputare parochum Regularem aut Saecularem. E contra Episcopus instare potest, implorata si opus sit etiam auctoritate Apostolicae Sedis ut parochus seu curatus removeatur. Declarat autem S. Pontifex quod monasteria in quibus Abbas Generalis seu Caput Ordinis sedem ordinariam habet, sunt vel quae uti talia recognoscuntur ordinis constitutionibus vel inveterata con-

suetudine, etiamsi actu Superior Generalis ibi non resideat: vel quae ab initio generalatus Generalis pro sua stabili residentia et officialium elegerit. Neque monasterium semel electum mutare iuvat. Notanda est etiam *Instructio Sacrae Cong. Prop. Fidei* an. 1848 die 30 Sept. *de dependentia Missionariorum Regularium a Vicariis Apostolicis aliisque missionum superioribus* [1]. In hac instructione S. Congregatio 1) monet missionarios debere literas patentales Vicario Apostolico ostendere, secus Vicarius Apostolicus eos prohibere potest ab exercitio ministerii. 2) Etiamsi missionarii petere debeant licentiam exercendi facultates, tamen Vic. Apostolicus licentiam sine gravi causa non denegat. 3) Clero saeculari deficiente, Regulares curam animarum exercere tenentur eosque V. Apostolicus cogere potest. 4) Missionarii Vicario Apostolico rationem reddunt de executione piorum legatorum; si eorumdem executores electi fuerint. 5) Quoad curam animarum exercendam ac parochiales functiones Vic. Apostolico subiiciuntur Superiores Regulares qui nequeunt Regulares removere a missionibus sine consensu Vicarii Apostolici. 6) Declarat Sacra Congregatio quod Missionarii Regulares, non exclusis Patribus Soc. Iesu, tenentur ad obedientiam et subiectionem Vicariis Apostolicis quoad omnia negotia et directionem missionis. Concludit S. Congregatio quod Regulares. omnes cuiuslibet Instituti, cuiuslibet societatis, inter quos Regulares nominatim a Sac. Congregatione etiam Patres Soc. Iesu comprehenduntur, excepta sola interna disciplina Regulari, sub iurisdictione Vicariorum Apostolicorum esse in iis quae missionem respiciunt. Et etiamsi teneantur vinculo obedientiae erga Superiores Regulares, tamen fortiori vinculo erga Vicarium Apostolicum uti Delegatum Ap. Sedis obligantur.

221. Quoad Regulares [2] praescribitur Vicarios Apostolicos ab omnibus et singulis religiosis cuiuslibet Ordinis Congregationis et Instituti etiam Soc. Iesu exigere posse et debere, ut suas patentes

[1] Collect. n. 417.

[2] Clemens IX in Const. *Speculatores*.

litteras seu alias quascumque eorum missionis, destinationis, constitutionis et deputationis exhibeant, iisque qui eas exhibere recusaverint, tamquam Sedis Apostolicae delegati prohibere, ne facultates sibi per litteras huiusmodi concessas exerceant. Regulares vero licentiam exercendi facultates petere tenentur ab iisdem Episcopis Vicariis Apostolicis, quam tamen ipsi denegare non debent, nisi in casu gravis causae cum Congregatione Fid. Prop. communicandae. Insuper praescriptum est, posse ab eis cogi Regulares ad curam animarum exercendam defectu sacerdotum saecularium: et regulares, qui titulo missionariorum curam animarum exercebunt, subiectos esse quoad ipsam et functiones parochiales, visitationi et correctioni Vicariorum Apostolicorum, aut Pro-Vicariorum. Nec sine licentia eorum, et multo minus contra eorum voluntatem licet ipsis aedificare et aperire Ecclesias in locis ubi ipsi vel alii missionarii alterius ordinis, seu presbyteri saeculares similiter missionarii Ecclesias habeant. Denique vi eiusdem Const. clementinae Episcopi Vicarii Ap. possunt tamquam Sedis Apostolicae delegati decidere quaestiones inter religiosos exortas, quas, si graviores sint, ad S. Sedem deferre tenentur; religiosi autem debent rationem reddere Vicariis reposcentibus piarum voluntatum, si deputati sint ad eas exequendas.

222. Porro recensitae normae declaratae subinde uberius ac instantius inculcatae fuerunt prout subortae difficultates ac dubitationes declarationes ipsas requisierunt. Hinc anno 1677 Sac. Cong. Fid. Prop. docuit teneri missionarios, non exclusis PP. Soc. Iesu, ad obedientiam Vicariis Apostolicis exhibendam quoad omnia negotia missionum directionem concernentia. Anno 1680 ad quodlibet submovendum dubium quoad dependentiam ipsam religiosorum a Superioribus regularibus, Apostolica Sedes decrevit quod quamvis ipsi quoad regularem disciplinam subdantur Ordinis Superioribus, attamen Superiores nequeunt eos a Missione removere absque consensu respectivi Vicarii Apostolici. Anno 1701 iterum confirmatum est, Missionarios relate ad administrationem sacramentorum et alia missionis officia, immediate subesse Sac. Congregationi Fid. Prop. vel

iis quibus eadem Sac. Congr. eos subiecerit, nimirum Vicariis Apostolicis. Anno 1702 instauratum est decretum iampridem latum, quo Missionarii regulares in sacramentorum administratione et animarum cura Vicariis Apostolicis subiiciuntur. Anno 1848 Congregatio particularis pro rebus sinensibus expresse declaravit probante Summo Pontifice, Missionarios regulares PP. Soc. Iesu inclusis, sola interna disciplina regulari excepta, quoad omnia negotia ad regimen Missionum spectantia sub dependentia esse Vicariorum Apostolicorum, additque quod cum Missionarii regulares duplici obedientiae vinculo obstringantur, nimirum erga Caput Missionis et erga Sup. Missionis, primum praeponderare et in casu conflictus praevalere semper debet. Tandem Summus Pontifex Leo XIII Constitutione *Romanos Pontifices* quae ad omnes missiones extendi mens eius est, confirmavit quae anteactis saeculis lata fuerunt decreta.

223. Memoranda est Constitutio Leonis XIII quae lata fuit die 8 Maii an. 1881 *Romanos Pontifices.* Constitutio nonnullas dirimit controversias inter Episcopos et Missionarios Regulares Angliae et Scotiae, sed haec constitutio ad alias missiones extensa est. Constitutio [1] tres habet partes: in *prima* parte S. Pontifex loquitur de exemptione familiarum Religiosarum in locis missionum a iurisdictione Episcoporum: in *secunda* parte loquitur de ministeriis a missionariis Regularibus exercendis: in *tertia* parte de bonis temporalibus et de usu in quem illa converti oporteat.

224. Quoad 1am: R. Pontifex declarat familias religiosas in locis missionum exemptas esse a iurisdictione Episcoporum et Vicariorum Apostolicorum, etiamsi in privatis domibus commorentur. Nec quoad numerum serventur conditiones quae exiguntur ex Decreto Urban. VIII et Innocentii X. Ea tamen excipiuntur in quibus Regulares iuris dispositione Episcopis subiiciuntur speciatim quoad curam animarum. Quaesitum est an Missionarii Religiosi teneantur interesse collationibus seu conferentiis. Responsum est Rectores

[1] Collect. n. 422.

missionum ad collationes interesse tenerentur quia uti parochi habentur: eorum Vicarii per se non tenentur, at S. Pontifex Leo XIII constituit ut collationibus interesse debeant non solum *Rectores* missionum sed etiam eorum *Vicarii:* imo *omnes religiosi missionarii* consuetis facultatibus instructi qui *hospitia* et *parvas* domus missionum incolant. Quoad obligationem conveniendi ad Synodum Dioecesanam declarat R. Pontifex Decreta Concilii Tridentini servanda esse. A Decretis Episcoporum quoad curam animarum, quoad Sacramentorum administrationem Regulares appellant ad Romanum Pontificem in *devolutivo* tantummodo quoad decreta quae de iure communi sive ordinario sive delegato Regulares respiciunt. Item in *devolutivo* appellant ab interpretatione Episcopi circa Decreta Synodalia. Quoad alia Decreta appellatio datur in *suspensivo.*

225. In *secunda parte* in primis quaeritur an Episcopus in dismembrandis parochiis debeat servare solemnitates ab Alexandro III et a Concilio Tridentino [1] constitutas. Summus Pontifex ait distinguendum esse inter *veras parochias* et *missiones:* in 1° casu forma Tridentini servanda est; in 2° casu serventur praescriptiones Concilii I Provincialis Vestimonasteriensis nempe quod liceat Episcopo de Consilio Capituli intra limites missionis novas Ecclesias condere, si necessitas vel utilitas populi fidelis id requirat, non obstante Deputatione Rectoris missionariorum; tamen subdit Summus Pontifex ut Consilium etiam Rectoris exquiratur, vel si missio Regularibus concredita sit Praefectus Ordinis audiatur salvo iure appellandi a Decreto ad Sedem Apostolicam in devolutivo. Quaesitum est *secundo* quinam in parochum novae parochiae nominandus sit, an Regularis vel saecularis? Summus Pontifex ait distinguendum esse: si quae noviter erigitur vera parochia sit, Regularis non est numerandus seu eligendus in parochum: secus autem etiam Regularis missioni praefici potest. Monet Romanus Pontifex quod Episcopus habeat potestatem visitandi Coemeteria, excepto Coemeterio particulari Religiosorum: item visitandi scholas pauperum in missionibus

[1] Sess. 25, cap. II, de Ref.

et parochiis sive Regularium sive Saecularium. Excipiuntur scholae et collegia in quibus Regulares iuvenes instituuntur secundum statutum proprii ordinis. Insuper Regulares sine licentia Episcopi nequeunt novas Ecclesias erigere, neque scholas, neque collegia: neque scholas erectas immutare, neque de loco ad locum transferre.

226. *In tertia parte* i. e. quoad bona temporalia Romanus Pontifex distinguit: vel bona, quae a fidelibus largiuntur, donantur *intuitu missionis*, vel *intuitu missionarii*. In 1° casu debent Religiosi qui bona recipiunt rationem reddere Episcopo accepti et expensi: hinc an. 1868 S. Congr. Prop. Fidei constituit ut bona missionum diligenter describerentur, secernendo ea quae sunt propria missionis ab iis quae ad sodalitia et ad singulos sodales pertinent. In praxi, ait Rom. Pont., attendendum esse ad voluntatem largitoris, in dubio autem praesumitur quod donatio parocho facta sit. Consuetudine inductum est, ut oblationes quae in Ecclesia ad altare fiunt vel pro administratione sacramentorum vel pro benedicendis nuptiis aut mulieribus post partum, pro exequiis et sepulturis aut aliis similibus functionibus ad parochum pertineant: reliqua vero ad Ecclesiam.

227. Quoad Patres Societatis Iesu nonnulla specialia decreta edita sunt, quae heic referre opportunum erit.

Primum decretum est anni 1851 die 12 augusti tenoris sequentis. Cum difficultates haud raro exoriantur circa litteras Apostolicas quibus presbyter aliquis Societatis Iesu ad Vicariatum Apostolicum regendum constituitur, Sacra Congregatio de Propaganda Fide censuit supplicandum SSmo Domino ut quae iam pro Vicariatu Mandurensi a S. M. Gregorio XVI Apostolicis Litteris in forma Brevis die 19 maii 1846 datis, atque alias deinde constituta sunt, generali decreto comprehenderentur. Statuta vero huiusmodi eo spectant ut quoties Apostolicae Litterae traduntur, quibus memoratae Societatis Vicarius Apostolicus, seu Vicarii Apostolici Coadiutor, Administrator, aut Delegatus Apostolicus ad Vicariatum regendum assumatur, quae sequuntur sancita intelligantur: 1) Dispensatio ac solutio locum habeat a regula Constitutionum Societatis,

sive obligatione de non admittenda accipiendaque ulla extra Societatem praelatione seu dignitate. 2) Quatenus electus in Societate Professus existat, solutum eo ipso intelligatur Votum per Sacerdotes Professos emitti solitum de non recusando consilio Praepositi Generalis Societatis vel eius delegati, in commissi sibi muneris exercitio, si quando ad alicuius Ecclesiae regimen eligantur. 3) Si in Vicariatu Apostolico, cuius cura committitur, existant alii presbyteri ipsius Societatis, electus habeatur etiam veluti Primarius Superior Regularis Presbyterorum Societatis, adeoque iuxta Instituti regulas eosdem moderetur ac regat. 4) In gubernio Missionis, et in administratione fundorum et pecuniarum quovis titulo obvenientium, omnia ex sententia Sacrae Congregationis de Propaganda Fide peragere debeat, ad Eamque singulis saltem trienniis de vero statu Missionis referre teneatur, tum circa spirituales, tum circa temporales res ipsam respicientes.

Cum praefatum decretum temporis lapsu non amplius fini responderet ob quem latum fuerat seu removendis difficultatibus, quae saepe exoriebantur, in Congr. Generali diei 23 febr. 1880 propositis dubiis: 1) An conveniens sit abrogare vel modificare Decretum 12 aug. 1851 relate ad missiones Soc. Iesu concreditas et quatenus Affirmative an 2) ipsis applicandae forent normae sancitae a Benedicto XIV in Const. *Apostolicum ministerium* edita pro missionibus Angliae, Emi PP. respondendum censuerunt: Ad I. *Negative* quoad 1am. partem, affirmative quoad 2am. et ad mentem. Mens est ut firmo remanente 4. Decreti articulo, expungantur 1, 2 et 3 et loco tertii articuli statuatur prout sequitur: Missionarii Societatis Iesu immediate gubernentur ab aliquo Superiore Regulari secundum Instituti leges a Praeposito Generali constituto et ab eodem revocabili, ita ut in iis quae mere ad vitam religiosam pertinent unice pendeant ab hoc Superiore; in iis vero quae totaliter sunt Ministerii Apostolici, totaliter regantur a Vicario Apostolico. Hanc autem ordinationem Sacra Congregatio ita intelligendam esse declaravit: Praepositus Generalis qui propter loci distantiam auctoritatem suam immediate exercere nequit, audita prius sententia Vicarii Apostolici

et Provincialis ad cuius Provinciam pertinet Missio, sibi substituat Superiorem regularem qui, uti reliqui Societatis Superiores, post triennium est mutandus. Huius Superioris auctoritas prorsus nulla est quoad ea quae respiciunt Vicariatus Apostolici regimen et administrationem. Hinc quae ad Seminarii et Cleri Saecularis disciplinam, quae ad Monialium curam, quae ad Ecclesiarum et Sacellorum erectionem et conservationem, quae ad piorum quorumcumque Institutorum regimen, item quae ad quasi parochialia religiosorum officia referuntur, uno verbo, tota gubernatio et administratio Vicariatus ad solum Vicarium Apostolicum pertineat. Superior autem Regularis habeat omnes facultates in Missione, quas Provincialis in Provincia sua quoad religiosam vitam exercere solet, et quamvis a Praeposito Generali sit constitutus, habeat tamen in exercenda sua auctoritate Provincialem uti Superiorem immediatum. Praeterea, licet in iis quae disciplinam religiosam spectant, tum pro Communitatibus tum pro singulis membris ipse directionem accipiat a suo Provinciali, tamen relate ad destinationem Missionariorum subest Vicario Apostolico. Attamen quia Superior Regularis iuxta morem Societatis rationes conscientiae excipere solet, eum Vicarius Apostolicus quando destinationes sunt faciendae in consilium adsciscit eiusque iudicio defert, in quantum fieri potest; quamvis penes ipsum Vicarium Apostolicum remaneat ipsa nominatio et collatio iurisdictionis. Ad 2. *Negative.*

In Congregatione vero Generali habita die 28 ianuarii 1886, propositis dubiis: 1) An interpretatio authentica dari deberet decisionibus latis die 4 aprilis 1880 et quatenus affirmative an declarandum. 2) A quo dependeant Missionarii Soc. Iesu tanquam religiosi, an scilicet a Superiore Regulari vel a Vicario Apostolico. 3) Cuinam ius competat immutandi eorum destinationes. 4) An iurisdictio super Collegiis vel Convictibus in eorum missionibus ad Superiorem regularem spectet vel ad Vicarium Apostolicum. 5) Cuinam spectet administratio bonorum temporalium ipsis Collegiis et Convictibus pertinentium vel Missionariis ex particularibus titulis provenientium, Eminentissimi Patres responderunt: Ad primum af-

firmative, ad secundum quatenus sunt religiosi subduntur Superioribus regularibus *vi voti* iuxta Constitutiones Societatis: in casibus vero a iure nominatim expressis, et generatim in iis, quae spectant curam animarum, et sacramentorum administrationem, subsunt Vicario Apostolico *obedientia canonica,* uti iam Clemens VIII sancivit, in Indiam missos religiosos, in concernentibus curam animarum Ordinario loci subesse, in reliquis vero non Ordinario loci, sed suis Superioribus subiectos remanere[1]; ad 3m. Tum ad ministeria Missionariorum curam animarum concernentia, tum ad curanda pia Instituta, quae sunt in Vicarii Apostolici potestate, ut Seminaria, Catechumenatus, Hospitalia, scholae populares, et his similia, destinatio personarum, quas Superior regularis praesentat, et collatio iurisdictionis pertinet ad Vicarium Apostolicum ideoque etiam harum personarum revocatio et translatio pertinent ad Vicarium Apostolicum et ad Superiorem regularem iuxta normas statutas a Bened. XIV, in Bulla *Firmandis* § 11 idest: « Eveniente autem casu quo vel Episcopus vel Superior regularis aliquem ex praedictis Parochis ab exercitio curae removendum, eademque privandum esse iudicaverint, quoniam huiusmodi Parochus sine praevia Episcopi approbatione, ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis sint amovibiles, dubitatum propterea fuit, an Episcopus posset ad huiusmodi remotiones procedere, sine Superioris regularis consensu, et an remotionis causas eidem adducere, easque verificare deberet, tum etiam an regularis Superior ad similem remotionem et privationem suo iure deveniens, consensum Episcopi exquirere suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur. Qua de re, supradicta Congregatio Concilii decrevit, huiusmodi Parochus tam ab Episcopo, quam a Superiore regulari aeque iure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse, nec unum alteri causas iudicii sui aperire, multoque minus probare et verificare debere. Id quod a nobis in omnibus approbatur et confirmatur ». Ad 4m Quoad Collegia et Collegiorum Scholas atque Convictus in quibus Religiosi viri secundum Ordinis sui praescripta iuventuti

[1] Clemens VIII. Const. VI id. nov. 1601 *Religiosorum quorumcumque.*

instituendae operam dare solent, et recta ratio postulat, et S. Sedes vult firma atque integra privilegia Regularibus concessa manere, adeoque tum regimen eorum Institutorum, tum personarum in iis destinatio, ad Superiores regulares spectat iuxta Societatis constitutiones, et quatenus opus sit facto verbo cum Sanctissimo; ad 5m Quoad administrationem redituum ex operibus Religiosorum provenientium statuitur: 1) Administratio redituum Collegiorum et Convictuum, item retributionum quae singulis cum dispensatione Apostolica ex stipendiis missarum, et iuribus stolae vel ex industria personali proveniunt, ad Superiores Regulares pertinet. 2) Vicarius Apostolicus permittitur statuere Cathedraticum quod sibi solvatur, antea a S. Congregatione approbandum. Ex pensionibus vero Cappellanorum militarium quod honestae eorum sustentationi superest a Superiore regulari totum tradatur Vicario Apostolico. 3) Proventus de quibus dictum est, non extra missionem, sed in operibus missionis impendendi sunt, ad hunc finem Superior regularis singulis trienniis S. Congregationi rationem de iis reddere tenetur.

228. Tandem potestas Vicariorum Apostolicorum ex Facultatibus Formularum dignoscitur.

Facultates Formularum: De his videndum est 1) *De concessione Facultatum.* 2) *De Renovatione Facultatum.* 3) *De Usu Facultatum.* 4) *De Cessatione Facultatum.*

229. I. *De Concessione Facultatum.* — Notandum est primo quod initium temporis constituti e. g. quinquennii quoad facultates conceduntur *non a die datae,* sed a die receptionis computatur [1]. Quod si agatur de missionariis qui mittuntur ad missiones, facultates incipiunt a die quo perveniunt ad loca missionis [2]. Quaeritur an *facultates formularum* ita concedantur Vicariis Apostolicis ut suis coadiutoribus aut pro-Vicariis subdelegari possint. Responsum est affirmative, illis exceptis quae exigunt characterem Episcopalem. Imo subdelegatis coadiutoribus et Vicariis competit ius communi-

[1] Collect. n. 166, 176.

[2] Collect. n. 271.

nicandi subdelegatas facultates ceteris missionariis [1]. Oportunum est autem ut missionariis in scriptis facultates communicentur [2]. Imo rescriptum est quod hae facultates communicari possunt etiam missionariis qui tempus constitutum suae missionis expleverint, dummodo maneant in missione [3].

230. II. *De Renovatione Facultatum.* — Rescriptum est 1) quod non renovantur facultates nisi exhibitis novissimis Decretis eorumdem concessionis [4]. Aliquando tamen ipso iure renovantur facultates, quoties scilicet absque culpa missionarii qui tempore opportuno renovationem petiit, antiquae facultates cessaverunt e. g. ob lapsum temporis quin novae obtentae sint. Hoc enim in casu facultates confirmatae intelliguntur [5]. Imo expresse declaratum est quod posteaquam petitio renovationis facta est, facultates renovatae intelliguntur. Haec renovatio intelligenda est, tum quoad facultates ordinarias, tum quoad extraordinarias. Insuper renovatio intelligitur facta pro eodem numero casuum [6].

231. III. *De Usu Facultatum Formularum.* Si in Formulis Facultatum positum sit ut nullo modo uti possit extra fines suae Dioecesis, hoc est ita intelligendum ut facultates exerceri possint cum subditis in dioecesi existentibus actu quo conceditur gratia. Haec clausula non subintelligitur nisi expressa sit vel aliter constet de mente Summi Pontificis vel nisi subiecta materia illam exigat [7]. Nec obstat quod Episcopus actu quo dispensat sit extra dioecesim, dummodo in dioecesi adsint subditi qui dispensantur [8]. Cum missionarii in genere missiones proprias versus iter agunt vel revertuntur, possunt in locis per quos transeunt sacramenta administrare paro-

[1] Collect. n. 153, 155.
[2] Collect. n. 157.
[3] Collect. n. 147.
[4] Collect. n. 144.
[5] Collect. n. 148.
[6] Collect. n. 154.
[7] Collect. n. 176.
[8] Collect. n. 158.

chi licentia, quin requiratur approbatio ex parte Episcopi illius territorii. Imo neque parochi licentia necessaria est in casu gravis necessitatis. Missionarii in exilio facultates exercere possunt, habita licentia Ordinarii, nisi difficilis sit accessus ad Ordinarium vel Ordinarius deficiat [1]. Mortuo Episcopo vel V. Apostolico eaedem facultates exercentur ab eius coadiutore, vel V. Generali, Capitulari vel Gubernatore aut Administratore [2].

232. IV. *De Facultatum Cessatione.* – Si Facultates concessae sint ad beneplacitum Sanctitatis Suae 1) cessant morte Romani Pontificis [3]; 2) cessant Facultates adveniente tempore etiamsi adhuc casus maneat, vel expletis casibus, etiamsi tempus non advenerit, nisi tamen adveniente tempore novae facultates petitae non sint; 3) cessant si datae sunt personaliter, ita ut industria personae electa sit, morte Vicarii Apostolici.

§ 2. — *De Obligationibus Vicarior. Apostolicor.*

233. Relate ad residentiam, V. Apostolicus potest residere quocumque loco ubi adsunt eius missionarii. Non potest venire Romam nisi habeat licentiam Propagandae Fidei, et relate ad visitationem *ad limina* potest eligere Procuratorem in Urbe Roma: debet instituere consilium missionariorum relate ad alienationem bonorum ecclesiasticorum: omnia quae dicta sunt de Episcopis in hac re, iterum dicenda sunt relate ad Vicarium Apostolicum. Unde obligationes V. Apost. possunt reduci ad *praedicationem, residentiam* [4], *visitationem Vicariatus et SS. Liminum etc.* Vicarii Apostolici lege residentiae tenentur sicut omnes animarum rectores. Imo, ut ait S. Congregatio Prop. Fidei, si ubique locorum Pastores animarum pro officii sui ratione continenter in medio gregis vivere oportet, ad id potiori etiam titulo illi tenentur quibus animarum cura deman-

[1] Coll. n. 151.

[2] Collect. n. 143, 146.

[3] Collect. 149.

[4] Trid. Synod. Sess. VI, c. 1 de Ref. et sess. 23, de Ref. c. 1; Benedict. XIV, const. *ad Univ. Christianae Reipublicae statum,* die 3 Sept. 1746.

data est in locis Missionum. Hinc S. Congr. in generalibus comitiis diei 21 Ianuarii anni 1861 expedire censuit « in memoriam revocarentur praedictorum Praesulum canonicae sanctiones circa Pastorum residentiam nec non decreta quae circa eiusdem obligationem edita sunt pro locis Missionum, ne quis videlicet imposterum dioecesim aut districtum cui praeest vel ad tempus relinquat absque praevia licentia eiusdem S. Congregationis » [1]. Quae tamen intelligenda sunt non absolute sed de omnibus casibus in quibus nulla sit causa canonica discedendi ut declaravit S. C. Prop. Fidei anno 1861 [2]. Vicarii Apostolici Vicariatum vel per se vel per delegatum visitare tenentur. S. Congregatio Prop. Fidei anno 1669 petitionibus Vicarii Apost. Tunchini rescripsit: « che giudizialmente possono visitare tutti gli oratorii, cappelle, chiese ed altri luoghi pii e provvedere a quello che giudicheranno necessario pel servizio di Dio, con darne poi parte a questa S. C. ». Vicarii Apostolici uti in generalibus Comitiis anno 1876 Sacr. Congr. Prop. Fidei decrevit, sacra Limina visitare tenentur non vi Constitutionis Sixti V., sed ratione officii. Quae tamen Sacrorum Liminum visitatio etiam per procuratorem in urbe degentem saltem quolibet decennio [3] fieri debet [4] specialiter singulis vicibus visitationis faciendae constituendum. Vicarii enim Apostolici neque praetextu visitandi sacra Limina, S. Sede inconsulta, creditas Missiones per se relinquere pollent. Vicarii Apostolici habita ratione temporis a Sixto V. pro Episcopis statuti, vel frequentius relationes de statu suarum missionum ad S. Congregationem P. Fidei transmittere tenentur. Iam anno 1759. S. Congr. duos proposuit libellos quibus datis certis interrogationibus unusquisque qui de officio tenebatur adamussim responderet. At cum haec S. Congreg. praescriptio diligenter non servaretur, an. 1858 S. Congr. Prop. Fidei decretum emisit quo antiquam obligationem

[1] Collect. Prop. Fid. n. 103.

[2] Collect. Prop. Fid. n. 105.

[3] Collect. n. 101.

[4] Collect. n. 110 et nn. 82, 96, 99, 109.

confirmavit [1]. Quod etiam an. 1843, et 1844 et 1849, confirmatum est et declaratum [2] ut saltem quolibet quinquennio Vic. Apost. de statu suarum missionum relationem transmittere tenentur. An. vero 1861 et 1877 S. Congr. P. Fidei instructionem dedit qua quaestiones proponuntur quibus Vic. Apost. in relatione ad S. Congr. transmittenda respondere debent [3].

Attamen Vicarii Apostolici quolibet anno ad S. Congregationem Prop. Fidei catalogum conversorum, baptizatorum et sacramentorum quae quisque in sua Missione administraverit mittere debet [4], et in genere quolibet anno S. Congregationem certiorem facere de iis quae notatu digna in Vicariatu evenerint [5].

234. Ulterius iam anno 1764 S. Cong. Prop. Fidei decrevit ut Synodi sive congressus ecclesiasticae disciplinae servandae apprime utiles quam frequentissime haberentur, ibique dubia et caeterae spirituales necessitates expendantur. Imo S. Congregatio declaravit nulli umquam dubio responsuram quod sibi privatim fieret a quocumque missionario antea nisi ad Synodos vel congressus de quibus agitur fuerit allatum vel saltem scripto adprobatum vicariorum apostolicorum sive etiam Coadiutorum auctoritate ubi synodi praedictae aliquo intercedente obstaculo habere non poterant [6]. Haec convocandi Synodos obligatio anno 1845 et anno 1869 confirmata fuit [7].

235. Insuper ut studium doctrinae moralis foveatur ac opinionum difformitas quantum possibile est amoveatur optimum erit consilium, ait S. Congregatio, ut collationes ad casus morales discutiendos ac absolvendos constituantur [8].

236. Vicarii apostolici missam pro populo celebrare non tenentur

[1] Collect. n. 97.

[2] Collect. nn. 98, 99, 101, 105.

[3] Coll. n. 104 et 109.

[4] Collect. n. 88.

[5] Collect. n. 88.

[6] Collect. n. 91.

[7] Collect. n. 100 et 108.

[8] Collect. n. 108.

neque ex iustitia neque ex charitate; tamen ex charitate decet ut id faciant, ut declaravit S. Congr. Prop. Fidei anno 1803[1] et an. 1866 quo responsum est vitandam esse locutionem *teneri ex charitate*, dicendum vero esse *decere ex charitate*[2].

237. Vicarii Apostolici praeterea ex antiquioribus et prudentioribus inter missionarios ad eorum sententiam in difficilioribus audiendam consilium sibi constituunt, curare debent ut ex christianis indigenis probati clerici instituantur ac sacerdotio initientur, diligenter curare debent ut scholae ubique erigantur ac impedire ne catholici tradant acatholicis filios suos erudiendos[3]. De scholis praesertim notanda est instructio quam S. Congr. Prop. Fidei dedit anno 1868 circa scholas et collegia mixta quaeque in collectanea sub n. 479 refertur. Vicarii Apostolici utpote administratores bonorum sive mobilium sive immobilium ad Missiones pertinentium a singulis Missionariis exigere debent ut ratio eis reddatur oblationum ac bonorum omnium quae intra fines Vicariatus oblata fuerint, nec non piorum operum executione quae iisdem fuerint adnexa[4].

238. Quoad autem munus praedicandi quae de Episcopis dioecesanis iure vigeat, recolantur.

239. Tandem si Vic. Apostolicus neque coadiutorem cum futura successione habeat, neque Vic. Gener., Vic. ex Clero sive saeculari sive regulari sibi constituere debet, qui post Vicarii Apostolici obitum utpote delegatus Ap. Sedis Vicariatus regimen assumat. Ad ipsum non modo potestas propria Capitularis Vicarii competit, sed ea etiam qua Vicarius Apostolicus pollebat iis exceptis quae characterem Episcopalem exigunt, at necessitate urgente et calices et patenas, et altaria portatilia cum sacris oleis ab Episcopo benedictis consecrare potest[5]. Imo S. Pont. Pius VI. die 23 ian. 1786. pro Sinis et Indis tulit decretum quo Vic. Ap. facultatem conces-

[1] Collect. n. 93.

[2] Collect. n. 205. Cf. n. 323 et 325.

[3] Col. n. 467, 474, 476, 480, 469, 471, 478, 479, 480, 481, 482.

[4] Passiva in Collect.

[5] Ben. XIV in const. *Ex sublimi*. Collect. n. 161, 162.

sit non unum tantum sed duos [1] pro-Vicarios eligendi qui defuncto aut absente Vic. Apostolico omnimodam iurisdictionem habeant. Decedente uno ex hisce pro-Vicariis plena iurisdictio in altero consolidatur. Quod si unus fuerit electus Vicarius, hic moriturus alterum in suum locum deputare et substituere potest quoties per S. Sedem Vicariatui non fuerit provisum. Ceterum quando duo Pro-Vicarii deputati fuerint non simul et cumulative iurisdictionem exercere possunt sed prius qui prior fuerit nominatus et in eius defectum alter. Quod si contingat neminem V. Apostolicum (qui Coadiutore caret) nominasse, vel nominatos desiisse, senior Missionarius Europaeus, videlicet qui prior ex Europa in provinciam ingressus est ac longiori tempore animarum ministerio fuerit mancipatus ipso iure tamquam Apostolicae Sedis delegatus Vicariatus administrationem suscipiat [2]. Quod si contestatio sit super iuribus plurium Missionariorum ad administrandum Vicariatum Apostolicum vacantem, vel si persecutio contra Pro-Vicarium saeviat, vel ad eumdem accedere sit periculosum, Vic. Apostolico viciniori facultates necessariae conceduntur quin tamen delegati apost. nomen assumat [3]. Caeterum bene monet cl. Zitelli tota Vicarii Ap. obligatio in suo munere exercendo continetur et absolvitur duplici hoc officio: efficiendi nimirum 1) ut catholicam fidem ubi radices egit conservent et fidelium quos invenerint curam gerant; 2) ut infidelibus Christum annuntient, haereticos vero et schismaticos ab erroribus suis ad gremium catholicae Ecclesiae revocent.

§ 3. — *De privilegiis Vicariorum Apostolicorum.*

240. Nonnulla tantummodo delibabimus. Vicariis Ap. competit; 1) Privilegium altaris viatici; 2) privilegium celebrandi vel indicendi cappellanis suis ut in domestico sacello sacrum faciant pro suo vel familiae commodo ante auroram vel post meridiem; 3) privilegium sibi eligendi Confessarium etc. etc. In genere Vic. Apostolicis ea competunt privilegia quibus Episcopi titulares etiam ornantur.

[1] Collect. n. 163.

[2] Collect. n. 164, 165, 166. Cf. n. 168.

[3] Collect. n. 167.

ARTICULUS III.

De Praefectis apostolicis.

241. Apostolica Sedes evangelii praecones in aliquam orbis regionem mittens, eorum unum ceteris praeficere consuevit eidemque opportunas facultates concedere cum sacerdotibus sibi subiectis pro suo arbitrio et pro rei necessitate communicandas, quo missionis prosperitati consulatur.

Porro missiones istae, *apostolicae* appellatae sunt, quique iis praesidebat Praefectus apostolicae missionis dictus est, qui paullatim brevitatis gratia, Praefectus apostolicus nuncupari coepit.

Enimvero Praefecti Apostolici regiones ut plurimum nacti sunt in quibus nullus erat Episcopus, quandoque vero vel Praelatum aliquem ritus orientalis vel subinde Episcopum latini ritus propriam dioecesim habentem, aut titularem, apostolica tamen vicaria potestate insignitum, invenerunt, quibus demum accessere Delegati apostolici. Hinc duplex Praefectorum Apostolicorum species distinguenda est. Sunt enim qui, cum territorium proprium habeant, veri missionis Superiores sunt, seu loci quasi ordinarii, quorum auctoritas quibus finibus contineatur, litteris Sac. Congregationis Fid. Prop. est definitum.

Sunt alii quorum praefectura territorio continetur alicui Episcopo subiecto, quo in casu Episcopi ipsius congrua ratio haberi necesse fuit in facultatibus quae eisdem Praefectis concedi solent, aut saltem in eorum exercitio. De his agentes inquiremus 1) an et quatenus Praefecti Apostolici in facultatibus exercendis Episcopi consensu indigeant; 2) quibus limitibus facultates ipsae coerceantur; 3) an et quatenus earum facultatum usus ab Episcopis dependeat.

Antequam ad primum caput veniamus, e re erit tria principia praestituere hac in quaestione prae oculis habenda. Primum est, in collatione harum facultatum Romanum Pontificem supremae aucto-

ritatis actum exercere voluisse, atque adeo independentem ab Episcopis. Secundum est, poenas constitutas esse contra eos, qui quolibet praetextu impedire audeant quominus ii qui talibus facultatibus instructi sunt, imposito sibi munere fungantur Sac. Congr. Fid. Prop. 26 April. 1647. Tertium est, si forte Episcopi absque iusta causa in prohibendis missionariis ab harum facultatum exercitio persistant, posse missionarios illis uti et interim Sac. Congregationem ea de re certiorem reddere (Instr. data die 14 Ian. 1726).

242. His praemissis, notandum est, teneri missionarios ut primum ad missionum loca perveniunt, litteras patentes et facultates, (non vero suorum Superiorum obedientias) Episcopis vel eorum Vicariis aut ministris etiam ordinariam potestatem ex privilegio apostolicae Sedis habentibus ostendere, ut constet de eorum legitima missione. Hoc pluries a Sac. Congr. Fid. Prop. decretum est et nominatim die 26 Aprilis 1647.

Quoad consensum vero Episcopi, Formula IV, quae Praefectis conceditur, cautum est, ut consensus ipse sit necessarius ad sequentes facultates a missionariis exercendas: 1) ad facultatem bis in die sacrum celebrandi; 2) ad ministranda sacramenta parochialia; 3) ad indulgentias conferendas 40 horarum, quae porro nonnisi diebus ab Episcopo approbatis indici possunt. Non requiritur autem huiusmodi consensus ad exercitium aliarum facultatum et nominatim facultatis dispensandi a votis, ab impedimentis matrimonialibus, ab abstinentia, nec ad ministrationem sacramentorum non parochialium.

Ad alterum quod attinet Sacra Congregatio Fid. Prop. ad Episcoporum iurisdictionem tutandam conveniens duxit quibusdam limitibus facultates ipsas coarctare, quae propius ad auctoritatem episcopalem referuntur.

Hae porro limitationes vel in ipsa Formula prostant vel variis decretis subinde latis continentur. Limitationes formula contentae huc recidunt, ut non possint exerceri nisi in *foro interno* facultates matrimoniales quae sunt collatae in numeris IV, V, VI, VII ut facultas calices et altaria mobilia (vulgo *portatilia*) consecrandi ex-

erceri nequeat sine Episcopi permissu , nisi in locis in quibus vel non sunt Episcopi, vel distant duas dietas, vel sedes episcopali vacat.

Aliorum porro Decretorum vi restringitur ad forum internum facultas dispensandi ab irregularitate et absolvendi a casibus Romano Pontifici reservatis. Sac. Congr. Fid. Prop. 13 Martii 1837. Non licet missionariis absolvere a casibus quos sibi Episcopus reservavit. Sac. Congr. Fid. Prop. decretis latis ann. 1664, 1725, 1860, 1765 et luculentius an. 1838, quum proposito dubio utrum missionarii latini possint absolvere orientales a casibus, quos sibi reservavere orientales Ordinarii absque speciali eorumdem consensu et utrum missionarii latini possint absolvere orientales a censuris latis ab Ordinariis orientalibus: Sac. Congr. die 11 Decemb. respondit: *Negative.* Heic vero notandum, nihil referre ad rei substantiam quod ageretur de orientalibus; rationes quippe speciales allatae tunc sunt, quae respectu fidelium orientalium missionariis potius favere videbantur. Ad haec: non possunt absque speciali consensu Ordinariorum excipere confessiones monialium, sed servari in hoc debet Constitutio Greg. XV. *Inscrutabili.* Ead. Sac. Congr.. decr. cit. Denique in generalibus comitiis habitis die 21 Sept. 1840 decretum fuit, non posse missionarios in privatis domibus sacrum facere, ubi ecclesiae et oratoria publica inveniuntur, vel in iisdem mulieres audire confitentes, exceptis casibus infirmitatis, decrepitae aetatis, vel surditatis.

243. Superest inquirenduman et quatenus Praefecti et missionarii subiecti sint Episcopis in earumdem facultatum exercitio. Porro quoad facultates ad quas exercendas Episcopi consensus exquiritur, iuxta Const. Greg. XV. *Inscrutabili* missionarii in functionibus parochialibus visitationi et correctioni Ordinariorum omnino subsunt. Huius autem dependentiae modus magis determinatus invenitur in solutione quorumdam dubiorum quae an. 1786 proposita sunt, ad decidendam quaestionem exortam inter Patriarchalem Vicarium Constantinopolitanum et Minores Conventuales. Quaerebatur enim: 1. An et quomodo Vicarii Apostolici seu Ordinarii locorum, visitare possint paroecias regularium missionariorum apostolicorum,

in suis territoris existentes; 2. An designatio seu nominatio Praelati missionum sufficiat ad communicandam institutionem *authorizabilem* missionariis, qui munere parochorum fungi debent, an potius teneantur eumdem titulum ab Ordinariis locorum in quibus id muneris sit exercendum recipere; 3. An Vicarii Apostolici seu Ordinarii locorum ita designatos (ad munus Parochorum) possint antea examini subiicere; 4. An et quomodo iidem possint semel admissos ad curam animarum exercendam, removere, vel eorum facultates in Sacramentorum administratione cohibere; 5. An Vicarius Patriarchalis Constantinopolitanus potuerit visitationi peragendae instructionem praemittere, cui Parochi omnes respondere teneantur.

Porro Sac. Congr. Fid. Prop. die 19 decemb. eiusdem anni respondit: Ad 1. *Affirmative* in omnibus iuxta Constit. Bened. XIV quae incipit *Firmandis;* Ad 2. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam; Ad 3. *Negative:* Ad 4. *Affirmative* in omnibus dummodo gravis et urgens causa adsit statim S. Congregationi communicanda. Ad 5. *Affirmative* quoad ea in quibus visitationi eiusdem subditi sunt. Cf. Append. III et IV quoad exemptionem Regul.

244. Circa vero exercitium aliarum facultatum quibus exercendis Ordinarii consensus non exquiritur, Episcopi praeter inspectionis ius quoad sacramenta non parochialia ut inspiciant an ea iuxta Ecclesiae leges ministrentur, possunt etiam si gravis urgens adsit causa statim S. Congregationi aperienda, earumdem usum vel limitare vel suspendere.

Ceterum utriusque speciei Praefecti tenentur relationem Sacr. Congr. transmittere de statu missionis eisdem concreditae et curare pro viribus ut fides propagetur prout de Vicariis apostolicis diximus.

TITULUS III.

De Episcopis.

245. Quae de Episcopis agenda sunt in tria capita dividi possunt, nempe de Episcopis Ordinariis, de Episcopis titularibus, ac tandem de Episcopis Regularibus.

CAPUT I.

DE EPISCOPIS ORDINARIIS.

246. Tota disquisitio de ordinariis Episcopis ad quatuor capita reduci facile potest inquirendo: 1) quam ipsi potestatem habeant: 2) quibus fruantur privilegiis; 3) quibus oneribus subsint; 4) quaenam eis propria sint emolumenta.

Antequam vero primam quaestionem aggrediamur, generalia quaedam principia praemittere operae pretium est, quae pro oculis habenda sunt ab iis qui iurisdictionem exercent.

247. Episcoporum potestas duplex est, ordinis et iurisdictionis [1]. Quae ordinis est, characterem episcopalem postulat, nempe consecrationem, atque adeo inseparabilis ab Episcopo est ac nemini communicabilis. Eam igitur potestatem ita Episcopus retinet, quamvis haereticus, excommunicatus, depositus sit, ut, si catholicae communioni restituatur, nova consecratione minime indigeat. Porro ad hanc ordinis potestatem pertinet administratio sacramenti ordinis et confirmationis; et quoniam haec sacramenta a solo Episcopo conferri possunt, cetera etiam a presbyteris, recte in Episcopatu dicitur esse plenitudo Sacerdotii. Pertinet etiam ad eam consecratio altarium et ecclesiarum, olei tum infirmorum tum catechumenorum, et chrismatis, item consecratio calicum et patenarum etc. [2].

[1] Cfr. quae fusius de potestate ordinis ac iurisdictionis in opere *Elementa iuris pubblici ecclesiastici* dicta sunt. Solieri: *Elementa iuris pubbl. eccl.*

[2] Haec propria sunt potestatis ordinis iuris ecclesiastici, cuius obiectum sunt sacramentalia.

248. Altera episcopatus potestas, de qua nobis agendum est, quaeque iurisdictionis dicitur, spectat ad externam dioecesis politiam seu administrationem, et ab Episcopo per Summum Pontificem confirmato, quamvis nondum consecrato, exerceri potest. Haec in duas species dispescitur, in *ordinariam* et in *delegatam*. Ordinaria, quae cohaeret officio, profluit ex lege vel consuetudine, et munus proprium est, quocirca mandari alteri potest, nisi lex vetet, et vel universa mandari potest [1] dummodo in officio suo alium non substituat, nisi forte substituat ad modicum tempus id est ad duas tresve hebdomadas [2]. Diximus nisi lex vetet, ut hodie Parochis vetat iurisdictionem delegare ad confessiones sacramentales excipiendas. — Delegata ab eo mandatur qui ordinariam habet, et datur ab homine ac subdelegari nequit.

Ordinariam Episcopi potestatem nonnulli una generali regula comprehendunt, aientes posse Episcopos in sua dioecesi quidquid Summus Pontifex potest in tota Ecclesia, iis exceptis, quae eidem expresse reservata sunt. Ab eiusmodi tamen regula cavendum esse recte docet Benedictus XIV *de Syn. dioec.* L. IX, cap. I; quandoquidem plura sunt, quae Romano Pontifici non sunt reservata et tamen vel natura sua, cum supremam exigunt potestatem, vel quod ab eo constituta sunt, cui superior est auctoritas, minime subiiciuntur Episcoporum iurisdictioni [3]. Verum dici potest Episcopum omnia posse quoad suae dioeceseos gubernationem iis exceptis quae, iure superiori prohibentur. Quare omissa eiusmodi regula, ordinariae iurisdictionis species distinguendae sunt, ac regulae de iis tradendae.

Iurisdictio ecclesiastica, sive ordinaria sive delegata, pro duplici respectu distingui debet, scilicet ratione *fori*, unde dividitur in iurisdictionem *fori interni*, quae in confessione sacramentali [4], et in iurisdictionem *fori externi*, quae extra sacramentum exer-

[1] S. Congr. Conc. *12 Sept. 1874.*

[2] Cf. R. P. D. Ioseph D'Annibale *Summula Theol. Mor.* P. I. p. 53.

[3] Cf. cl. Ioseph D'Annibale *Sum. Theol. Mor.* P. I, p. 69.

[4] Melius iurisdictio fori interni illa est que ad bonum individuorum directe ordinatur; fori externi quae primo bonum publicum procurat.

cetur. Tum etiam ratione modi, unde alia dicitur *voluntaria,* quae sine strepitu forensi in volentes tantum, alia *contentiosa* quae iudiciali processu forensique strepitu in quoscumque ac proinde etiam in invitos exercetur. Hac nemo potest uti in causa propria; illa potest, vel *indirecte,* ex. gr. si Episcopus in sua dioecesi dispenset ab aliquo ieiunio, ipse quoque potest ea dispensatione uti vel *directe,* veluti si ex iusta causa hodie se ipsum dispenset a ieiunio vel ab horis canonicis [1]. Verum in casu de vera dispensatione non ageretur. Et ipsa quoque Sacra Congreg. Conc. censuit Episcopum, qui in aliquod reservatum incurrit, posse Confessarium a quo absolvatur deputare. Excipe si resistat natura rei de qua agitur aut lex, veluti seipsum a censuris absolvere, vel beneficium sibi conferre. Pertinent igitur ad potestatem Episcopi omnes eiusmodi species iurisdictionis.

249. Iamvero regulae communes quae ipsas moderantur, hae sunt:

1) Iurisdictio, quaecumque sit, exerceri nequit ab Episcopo, nisi in proprios subditos, scilicet in illos qui tales sunt vel domicilio vel *quasi* domicilio, vel ob aliquam actionem, quae praecipue consistit in delictis et contractibus intra dioecesim initis; in foro autem interno per occasionem etiam simplicis transitus. Quoad collationem Ordinum subditi constituuntur quadruplici ratione scilicet vel *a*) ratione veri domicilii, nam quasi domicilium excluditur, vel *b*) ratione verae et minime fortuitae originis, vel *c*) ratione triennalis cum Episcopo cohabitationis et familiaritatis, vel *d*) ratione pacificae possessionis beneficii intra eius dioecesim.

2) Iurisdictio contentiosa exerceri extra proprium territorium non potest absque consensu superioris loci et litigantium [2]. Voluntaria autem potest, saltem valide, et, si publice non exercetur neque cum proprio dignitatis apparatu (quo pertinent ex. gr. omnes actus episcopales qui cum mitra et baculo fieri debent), etiam licite [3].

[1] Reiffenst. h. t. n. 160.

[2] Cap. 2, de Const. in 6.

[3] Giraldi *Exp. Iuris Pont.* Part. 2 ad Cap. V. Sess. VI. Conc. Trid. Reiffenstuel tit. de off. et potest. iud. deleg. n. 9.

Quocirca exerceri debet intra dioecesim propriam tum ratione Episcopi iusdicentis, tum ratione eius in quem iurisdictio ipsa exercetur. Uterque autem debet esse in dioecesi sive realiter, sive per fictionem iuris. Erit autem Episcopus intra dioecesim per fictionem iuris, quando impeditur exercere iurisdictionem suam in propria dioecesi, in quo casu ut ea utatur in alia, petere debet consensum Ordinarii loci ad quem confugit [1]. Pariter ille in quem iurisdictio exercetur censetur praesens per fictionem iuris in dioecesi, cum indebita subtractione inde recessit, quo pertinent ex. gr. violatio legis residentiae quoad eos, qui habent beneficium residentiale, vel cum quis ligatus censura vel praecepto e dioecesi recedit. Censetur denique praesens per fictionem iuris qui a dioecesi per fraudem recedit ad legem aliquam eludendam. Haec tamen regula communiter restringitur ad duos casus a iure expressos, id est ad eludendam legem tridentinam quoad solemnitates matrimoniales [2] et ad evadendam legem reservationis alicuius peccati quoad confessionem sacramentalem [3].

3) Tertia regula communis est ut Episcopus, ad iurisdictionem valide exercendam, ea potiatur actu seu vere et in se, seu saltem iuxta mentem et permissionem Ecclesiae. Hoc accidit tum in iis qui titulum habent coloratum una cum errore communi, id est totius populi, coniunctum [4], tum in iis qui, licet excommunicati aut suspensi sint, denunciati tamen non fuerint, exceptis notoriis clericorum percussoribus et notoriis haereticis. Unde sequitur, Vicarios quoque Episcoporum qui excommunicati aut suspensi denun-

[1] Antonelli *de loc. legal.* L. 2, Cap. 15, n. 206. Benedictus XIV *de Syn. dioec.* L. 1 et 5.

[2] Urbanus VIII, Const. *Exponi,* 14 Aug. 1626; Bened. XIV, Const. *Paucis,* 19 Martii 1758.

[3] Clemens X, Const. *Superna,* 22 Maii 1670; S. Cong. Conc. 16 Sept. 1649 apud Bened. XIV *de Syn.* L. V, n. 8.

[4] Titulus causam significat, ac dividitur in *verum, coloratum* et *putativum.* Verus dicitur, cui nihil deest ut ius de quo agitur transferre possit. Coloratus, cui specie tenus nihil deesse videtur, sed revera occulto vitio laborat adeoque nihil

ciati sint, aut qui notorii sint clericorum percussores, privari ad tempus sua iurisdictione [1], quandoquidem unum est Vicarii et Episcopi tribunal; licet non prohibeantur matrimoniis assistere, cum eiusmodi actus non sit iurisdictionis [2]. Contra Vicarii Episcoporum qui sint notorii haeretici, privantur omnino sua iurisdictione. In priori casu seu in casu suspensae iurisdictionis in Episcopis, exercitium ipsius devolvitur ad Rom. Pontificem; in casu vero posteriori, privationis iurisdictionis, iurisdictio Episcopi devolvitur ad Capitulum, quemadmodum accidit sede vacante [3]. Sequitur etiam, Episcopos, quorum excommunicatio et suspensio denunciata nominatim non est et qui sciunt se carere titulo verae iurisdictionis, licet habeant titulum coloratum cum errore populi coniunctum, valide quidem exercere iurisdictionem, si aliud non obstet, illicite tamen id facere, saltem si ultro se ingerant [4]. Adeoque si Episcopi praedictis censuris innodati ordines conferunt, irregularitatem incurrunt et subditi qui tales eos noverint notitia facti, possunt impune eorum iurisdictioni non parere [5].

4) Quarta regula communis est ut quidquid contrarium est Constitutionibus superiori auctoritate firmatis, et quidquid est reservatum superiori auctoritati, id episcopalem iurisdictionem regulariter excedat, salvis exceptionibus in iure probatis.

His praeiactis, ad singulas species ordinariae potestatis gradum facientes agemus, primo de potestate fori externi, deinde de potestate fori interni.

transfert. Putativus qui falso subesse creditur. Hinc si quis ab Ordinario paroeciam rite obtinuit, *verus;* si simoniace, *coloratus;* si nullimode obtinuit sed aliis falso persuasit sibi collatam fuisse, *putativus* titulus erit. Error autem communis est, si eo loco ubi aliquis iurisdictionem exercet ea praeditus esse publice existimetur, seu facti errore seu iuris, dummodo hic sit probabilis.

[1] Barbosa *de off. et potest Episc.* All. 54, n. 146.

[2] Barbosa *de off. et potest. Ep.* P. 2, all. 32, n. 119.

[3] Fagnanus in Cap. *Quia diversitatem* de conc. praeb. n. 24 et seq.

[4] Suarez *de censur.* Disp. 26 sect. 2.

[5] Suarez loc. cit.

ARTICULUS I.

De Potestate Episcopi in foro externo.

250. Potestas, seu iurisdictio fori externi, salvis exceptionibus quas in regulis generalibus modo memoravimus, plenissima est in Episcopis, adeoque omnes eius partes complectitur, i. e. potestatem tum legiferam, tum iudicialem, tum coactivam quoad personas, tum administrativam quoad res. Distinctis paragraphis de his quatuor agemus.

§ 1. — *De potestate legifera.*

251. Cum Episcopus Dioecesis suae princeps et pastor sit, imprimis quidquid est legiferae potestatis, id in eius iurisdictione continetur, adeoque competit Episcopo: 1) Leges ferre pro sua dioecesi in iis omnibus quae pertinent ad suum officium, quod est in divino cultu promovendo et conservando et in ovibus sibi creditis pascendis in ordine ad finem ecclesiasticum [1]. Leges Episcopales tamen prohibentur habere nimis gravem et immodicam sanctionem [2]. Unde etiam sequitur eidem competere ius utcumque mutandi, sive abrogandi, sive dispensationibus relaxandi tum proprias, tum antecessorum leges, dummodo superioris auctoritate, ex. gr. Romani Pontificis, non fuerint communitae, aut iuramento proprio firmatae, secus si munitae fuerint iuramento antecessorum. Item sequitur eidem competere ius abrogandi particulares consuetudines suae dioecesis, si forte Ecclesiae bono officiant. Qua in re prudenter se gerere debet, praesertim si adsit praeiudicium tertii [3]. Non potest autem universales consuetudines abrogare, quippe quae ad ius commune pertinent [4]. Insuper sequitur, eidem competere: 2) Ius par-

[1] Barbosa *de off. et potest. Ep. Comp.* P. 2, n. 49.

[2] Bened. XIV, cap. 23, Lib. X, *de Syn. dioec.*

[3] S. Cong. Conc. *in Leopol.* 13 iulii 1763.

[4] Bened. XIV, *de Sacr. Mis.* L. III.

ticularia praecepta ferendi in personas sibi subditas, et denique 3) potestatem dispensandi a iure communi iis in casibus, in quibus ius ipsum commune id patitur, scilicet: *a*) si expresse eidem facultas dispensandi conceditur; *b*) si nulla facta mentione neque Episcopi, neque alterius cuiuspiam, simpliciter dicatur « dispensari posse »[1] vel « nisi fuerit dispensatum » vel « donec dispensetur », exceptis dispensationibus matrimonialibus[2], vel si dispensandi sint ipsimet Ordinarii qua tales; *c*) si ita consuetudine sit introductum, et ex hoc capite Episcopi dispensant in legibus latis in Synodis Provincialibus, nempe in dioecesi quisque sua; *d*) quoties non est facilis recursus ad Rom. Pontificem et periculum grave est in mora[3]; *e*) in dubiis, maxime in dubio an res egeat dispensatione, vel an adsit causa sufficiens ad dispensandum: quamobrem si postea apparuerit dispensationem Roman. Pontif. revera fuisse necessariam, sufficit tamen ea quae ab Ordinario data fuit[4]; *f*) denique in casibus qui vel frequenter occurrunt et saepe dispensatione egent, vel in casibus levioribus seu qui sub levi obligant, aut fere quotidianis, ut in vigiliis, festis, horis canonicis, etc. Possunt extra ordinem dispensare a ieiuniis singulos ex legitima causa, universos ex gravissima et urgente necessitate et singulis vicibus dumtaxat, ex. gr. ad vitanda scandala[5]. Facultas dispensandi pluribus in casibus data praesumitur qui videri possunt apud Bouix De Episcopo Tom. II, pag. 92; Ferraris Biblioth. ad verbum *Dispensatio*.

252. Competunt Episcopo omnia quae ad rectum Dioecesis regimen pertinent, adeoque Vicarios suae iurisdictionis sive Generales pro tota dioecesi, sive Foraneos pro certa dioecesis parte creare: parochos, praevio concursu, iuris ordine servato, et rectores ecclesiarum instituere, qui quidem cum Vicarii Episcopi sint, poterunt ipsi vel per

[1] Barbosa in Cap. 5 *de elect.*

[2] Cf. cl. D'Annibale *Sum. Theol. Moral.* in Proleg. n. 231.

[3] De potestate Episcopi dispensandi ab impedimentis dirimentibus matrimonium; vide tractatum *de matrimonio*.

[4] Suarez; Lugo.

[5] Bened. XIV, Const. *In Suprema.*

se vel per alium ea gerere quae sunt parochorum, dummodo eis nihil detrahant ex redditibus sive certis sive incertis, ex oblationibus, obventionibus, etc. [1]; potest oeconomos, si id necessitas ferat, eisdem apponere; potest particulares causas sive negotia iis delegare, prout sibi melius visum fuerit, quos capaces duxerit esse; potest suos subditos ad ecclesiasticos ordines promovere, pias confraternitates instituere, nequit autem erigere duo sodalitia eiusdem Instituti in eodem oppido vel civitate.

255. Poterit operam exigere suorum clericorum in dioecesis bonum, in specie autem e Capitulo Cathedralis Ecclesiae duos canonicos assumere ad suum servitium. Poterit beneficia ecclesiastica conferre, salvis reservationibus et iuribus devolutionis, concursus praeventionisque [2], nec non iuribus alteri quaesitis; item nova beneficia erigere, abolere, dividere, unire, exceptis exemptis et perpetuo reservatis, et salvis interim iuribus tertio quaesitis. Verum Episcopus non potest unire beneficia mensae suae, vel Capitulo cathedralis Ecclesiae, nec fabricae, nec sacristiae [3], idque ne in synodo quidem, neque potest beneficia parochialia unire monasteriis, dignitatibus etc., vel iis beneficiis, quae curam animarum non habent, eoque minus ea convertere in beneficia simplicia, nec libera beneficiis iuris patronatus, nisi aut patronus suo iuri renunciet aut conveniat

[1] Cf. BERARDI *I. E. U.* Tom. I, Diss. 4, Cap. I.

[2] Iure *Praeventionis* Summus Pontifex confert beneficia nondum vacantia, cum scilicet vacaverint. Iure *Concursus* confert beneficia, quae regulariter ab aliis conferri deberent, cum quibus proinde eo in casu veluti concurrit, ita ut qui prior fuerit in conferendo, praevaleat, et si dubium sit atque insuper neuter ex nominatis possessionem ceperit (nam in dubio melior erit conditio possidentis), pro dignitatis praerogativa Romanus Pontifex praevalebit. Iure *Devolutionis* R. Pontifex tum confert beneficium, cum Episcopus ei immediate subiectus collationem intra tempus a iure statutum conferre neglexit, vel beneficium indigno contulit. *Reservatio* denique ius speciale est, quo Summus Pontifex collationem aliquorum beneficiorum, quae regulariter ab aliis conferri debuissent, sibi privative vindicat sive ad vinculum unitatis fovendum ac retinendum, sive ad aliquos reprimendos abusus. De his confer tractatum de beneficiis.

[3] S. Cong. Conc. *in Cornetana* 24 Febr. 1872.

alternis praesentare[1], aut nisi aliter alicui paroeciae provideri non possit[2]; nec beneficia diversae dioecesis inter se[3]. Heic vero notandum est, suppressiones, divisiones, uniones odiosas esse et considerari tamquam alienationes; unde sequitur eas, ut ratae sint, fieri non debere nisi ex magna et evidenti Ecclesiae necessitate vel utilitate, vocatis omnibus quorum interest, cumque consensu tum Capituli cathedralis Ecclesiae, nisi Episcopus tamquam Delegatus Sedis Apostolicae procedat, vel aliud consuetudine inductum sit, tum eorum quorum iura ex abolitione, divisione, unione forte laederentur. At vero si evidens necessitas urgeat, licet Episcopo his etiam et Capitulo invito, atque, in parochiis dividendis propter locorum distantiam, invito Parocho, providere necessitati. Haec vero quae de divisione et consensu Capituli diximus, observanda sunt etiam in dismembratione, quando scilicet aliqua bona seu redditus alicuius ecclesiae vel beneficii separantur alterique beneficio vel ecclesiae applicantur. — Poterit Episcopus indulgentias intra limites a iure positos impertiri, gratias ac privilegia quae non sint contra ius commune, aut contra Romani Pontificis reservationes elargiri, pias preces (collectas vocant) missae sacrificio addere, aut etiam ieiunia indicere, veniamque praedicandi tribuere. Poterit anthenticare reliquias. Qua quidem in re caveat Episcopus: 1) ne temere ac sine matura consideratione procedat. Hinc Tridentina Synodus sess. XXV decrevit ut Episcopi ad id negotii in consilium adhibeant theologos aliosque viros pios. Quod si aliqua gravior quaestio inciderit, controversiam non dirimat antequam Metropolitani et comprovincialium Episcoporum in Concilio

[1] Leo Thesaur. *For. eccl.* lib. II. 16, 14 ex S. Cong. Conc.

[2] Conf. Zipaeus *De excess. prael.* Cons. 5.

[3] Praeter haec quae ratione *personae* reservata sunt, ratione *beneficii* reservantur Ecclesiae cathedrales; monasteria concistorialia quae 200 florenos valore excedunt; maiores dignitates cathedralium et primae Collegiatarum quae 10 florenos valore excedunt, Prioratus et aliae dignitates conventuales etc. Ratione vero *temporis* reservantur beneficia quae vacant (incipiendo a Ianuario) mensibus alternatim sumptis, si collator sit Episcopus et in dioecesi resideat, binis autem ex tribus quibusve quoad reliquos collatores, quae tamen reservatio cessat per id tempus quo Sedes Apostolica vacat, et alia de quibus cf. Ferraris V. *Beneficium*.

Provinciali sententiam exquisierit; 2) deinde debet Episcopus advertere an reliquia quae sibi authenticanda exhibetur talis sit, qualem deceat publico cultui et venerationi proponi, sunt enim aliqua in quibus indecens esset sanctos venerari; 3) debet advertere an reliquia sit sancti canonizati vel beatificati, solus enim Romanus Pontifex potest approbare seu licentiam dare, ut publicae venerationi exponantur reliquiae sancti nondum canonizati vel beatificati; 4) debet advertere an sufficienter constet de identitate reliquiae, scilicet quod ea sit sancti et eius sancti cuius esse dicitur, ita ut prudenter operari censeatur, seu certitudine deducta ex solido fundamento non quidem prorsus convincente et infallibili, sed excludente dubium practicum de opposito, quamvis compossible cum scrupulo, suspicione ac formidine veritatis [1]. Inter praecipua huiusmodi fundamenta censetur traditio seu diuturna Ecclesiae veneratio, testimonium personarum piarum, quae sint fide dignae omnique exceptione superiores. Sufficit etiam unius testimonium, scriptura quae simul cum reliquiis reperiatur, miracula quae per ipsam fiant vel facta fuerint.

234. Denique poterit Episcopus ea omnia agere quae ad oves suas rite pascendas divinumque cultum tuendum pro temporis locorumque circumstantiis necessaria iudicabit. Quare Episcopi est administrare omnia sacramenta. Quoad poenitentiae sacramentum vide inferius de Episcopi potestate in foro interno. Quoad Eucharistiae sacramentum Episcopus in necessitatis casu sacerdotibus binandi licentiam concedere valet [2], ac missarum eleemosynam Episcopus determinat. Contra Tridentini dispositionem [3] missarum onera reducere ex constitutione Urbani VIII *Cum saepe* 21 Ianuarii 1625 ab Innocentio III confirmata ad Sedem apostolicam reservatum est. Ex decreto S. Congr. Concilii [4] quicumque ad onera missarum implenda obligatur in fine anni suis Ordinariis rationem reddere cogitur,

[1] Bellarm. T. 2, lib. 2 *de SS. reliq.* Cap. 4.

[2] Lucidi de visitatione sacrorum P. 1, Vol. 2, pag. 392.

[3] Cap. 4, Sess. XXIV de Reform.

[4] *Vigilanti* 25 Maii 1893.

et quae reliqua sunt Ordinario tradantur. Episcopi prohibent quominus Ecclesiarum rectores sacerdotes peregrinos sine eius licentia ad missam celebrandam admittantur. Quod a Concilio Chalcedonense statutum [1], Innocentius III confirmavit [2], ac Tridentinum instauravit [3]. Quae dispositio etiam regulares afficit quoad sacerdotes saeculares vel alterius ordinis regulares. Ex Episcopi licentia in ecclesiis saecularibus vel regularibus dioecesis Eucharistiae sacramentum adorandum exponitur, vel ad tempus servatur, exceptis parochialibus, ecclesia Cathedrali, vel regularibus ecclesiis, ordinum proprie dictorum in quibus de iure Eucharistiae sacramentum servatur. Ecclesiae regularium votorum simplicium Episcopi licentia indigent ut in iis ad tempus Eucharistiae sacramentum servetur, nisi aliter veniam a Sede apostolica obtinuerint [4]. Sacramenta confirmationis et ordinis conferre ad Episcopum exclusive pertineat [5] de his remissive ad librum secundum de rebus. Ad instar sacramentorum Ecclesia instituit sacramentalia ex quibus nonnulla sunt Episcopis reservata sicuti benedictiones liturgicae maiores et solemniores, veluti benedictiones campanarum, vasorum sacrorum et abbatum. Si de abbatibus nullius agatur eorum benedictio (quae vocatur improprie consecratio) ad Episcopum viciniorem pertinet. Episcopo negligente vel renuente ius supplet, cum statutum sit abbati hac de causa non benedicto licet suos monachos benedicere ac alia agere quae ad suum pertinent officium [6]. Sacramentalia autem quae per consecrationem conficiuntur, Episcopo reservata sunt cum sacramenta ordinis ac confirmationis imitentur: quare ungere Reges, consecrare altaria, ecclesias, Episcoporum est.

[1] Can. 13.

[2] Cap. 3, tit. 22, libr. 1 Decretal.

[3] Cap. 16, Sess. 23 de Reform.

[4] Card. Petra ad constit. I. Urbani IV, n. 31.

[5] Trid. cap. 7, sess. 13.

[6] Lib. 1, Tit. X, cap. 1 in Decret.

§ 2. — *De potestate iudiciaria.*

255. Quoad potestatem iudiciariam generalis regula est, ad Episcopum pertinere cognitionem ac definitionem in sua dioecesi omnium causarum ad forum ecclesiasticum spectantium, salvo iure appellationis ad Superiorem. Haec tamen regula, licet generatim vera sit, suas tamen habet quoad singula membra exceptiones. Sane, sunt causae quae ab Episcopis nequeunt iudicari. Huiusmodi autem habentur: 1) causae maiores, cuiusmodi sunt causae fidei, de quibus scilicet dubium sit aliquod, quo proinde in casu Episcopi nequeunt rem definire, sed tantum in foro externo ea possunt indicere precario iudicio, quae submovendis scandalis necessaria sint [1]. Tales etiam sunt causae difficiliores, ad quas scilicet recte dirimendas declaratio Principis necessaria est, et causae difficilioris executionis, quae nimirum absque vi et auctoritate Supremi in Ecclesia Principis expediri nequeunt. Causae denique graviores quaeque iurisdictionem in totam Ecclesiam quodammodo involvunt, ex. gr. canonizatio sanctorum. 2) Huc etiam pertinent causae Romano Pontifici reservatae, quaeque spectant ad potestatem mutandi et corrigendi Missale ac Breviarium, approbandi, reformandi, abolendi Ordines religiosos deque eorum causis iudicandi. 3) Tandem huc pertinent causae Episcopi propriae [2], vel ad ecclesiam Episcopi seu potius ad eius mensam spectantes, quae tamen agi possunt coram eiusdem Vicario, adiuncto per ipsum Episcopum iudice, cui reus conventus confidat, si forte Vicarius eo quod unum cum Episcopo tribunal constituat, allegatus fuerit ut suspectus [3]. Extra iudicium autem Episcopus non modo potest, verum etiam debet in rebus notoriis res ad suam mensam pertinentes tueri. Rectius etiam est [4], ut Episcopus alteri deleget causas, quae ad suam Ecclesiam perti-

[1] Zacharias, *Antifebr. vind.* diss. 5, cap. 1; Benedictus XIV *de Synod. dioec.* L. 7, cap. 8.

[2] Fagnanus in Cap. *Nosti* de elect.

[3] Fagnanus l. c.

[4] Fagnanus in eod. Cap. *Nosti* de elect.

nent et non ad eius mensam, quia facile allegari potest ut suspectus.

256. Contra vero sunt causae quarum cognitio ita ad Episcopum pertinet, ut etiam ab eius decretis non liceat appellare in *suspensivo*, sed vel in *devolutivo* tantum, vel per recursum omnino extraiudicialem ad Romanum Pontificem. Huiusmodi autem causae generatim pertinent ad decreta edita in visitatione, ad ea decreta quae spectant ad cultum divinum, curam animarum, administrationem sacramentorum, correctionem et coercitionem morum et ad quaecumque Episcopus extraiudicialiter decernat. Nominatim autem istae causae enumerantur a Benedicto XIV in Const. *Ad militantis* diei 30 Martii 1742, cuius summa est appellationes cum inhibitione prohiberi: 1) in causis, quarum executio a Concilio Tridentino demandata est Ordinariis, appellatione remota; 2) a decretis circa cultum divinum et celebrationem missae; 3) a decretis circa ritus ecclesiasticos; 4) a decretis circa curam animarum et sacramentorum administrationem; 5) a deputatione vicariorum cum assignatione congruae in parochialibus unitis, etc.; 6) a visitatione parochialium sic unitarum etiam exemptarum et decretis quoad cultum divinum et curam animarum; 7) a provisionibus capiendis pro meliori ecclesiarum parochialium servitio et regimine; 8) a correctione parochorum et coadiutorum, aut vicariorum deputatione; 9) a translationibus beneficiorum et decretis pro ecclesiarum instauratione; 10) a provisionibus adversus curatos non residentes; 11) a denegatione, suspensione aut limitatione facultatis audiendi confessiones; 12) a distinctionibus et institutionibus parochiarum; 13) a deputatione oeconomi, indictione concursus et provisione parochiarum; 14) a decretis circa praedicationem verbi Dei vel publicas lectiones; 15) a visitatione et correctione omnium pertinentium ad curam animarum et sacramentorum administrationem; 16) a decretis et provisionibus ad monialium clausuram earumque regimen spirituale et temporale; 17) a visitatione dioecesis etiam quoad monasteria in quibus regularis observantia non vigeat et decretorum exsecutione. A decretis circa vitam et honestatem clericorum, etc.; 18) ab exa-

mine instituendorum et confirmandorum in beneficiis ecclesiasticis; 19) a denegatione promotionis ad ordines et a suspensione ob occultum crimen; 20) a praefixione termini pro punitione in casibus punitionis regularis sive intra sive extra claustra degentis; 21) a provisionibus et poenis contra concubinarios; 22) a privatione privilegii fori, etc.; 23) ab approbatione vel reiectione tituli quoad promovendos ad ordines; 24) a convocatione capituli; 25) ab institutione et divisione distributionum quotidianarum; 26) ab exsecutione piarum dispositionum; 27) a visitatione locorum piorum, collegiorum, confraternitatum, etc.; 28) a decretis super reddenda ratione administrationis bonorum fabricae aut cuiusvis loci pii; 29) ab examine, remotione vel suspensione notariorum scribentium in causis ecclesiasticis; 30) ab erectione seminarii, praefixione taxae, unione beneficiorum aliisque ad seminarii regimen pertinentibus; 31) a decretis super reddenda ratione administrationis gestae sede vacante; 32) a censuris earumque absolutionibus; 33) ab exsecutione eorum omnium, quorum exsecutio Ordinariis est demandata.

257. Quem autem iudiciorum ordinem, quam formam tenere Episcopi debeant, tum sacris canonibus, tum aliis decretis quorum canonibus ipsis facta fuit accessio, late est constitutum [1]. Cum vero quae iura praescribunt quoad modum procedendi in causis criminalibus clericorum, quae frequentius agitari solent, summatim perstricta inveniantur in Tit. X, Cap. II et III Concilii Plenarii Baltimorensis, a S. Sede nuperrime recogniti, operae pretium est praecipua ex iis heic adnectere ut normam aliquam suppeditent ceteris locorum Ordinariis.

a) — *De Modo procedendi Extraiudicialiter.*

258. Quando ad aures Episcopi pervenit aliquo in loco peccari vel praecepta clero imposita negligi, Episcopus inquirere tenetur, utrum

[1] Etiamsi ut opus perficiatur addere constituimus tractatum de iudiciis, attamen iudicamus non esse omittendum quod hic de modo procedendi extraiudicialiter ac iudicialiter innuit clarissimus Zitelli.

abusus vel delictum quod ad eum defertur vere existat ac cuius naturae et gravitatis sit, ut in conscientia iudicare possit, utrum ulla omnino et quae remedia adhibere debeat. Inquisitio, quam instituet, erit aut generalis aut specialis: generalis, quando abusus vel delictum tantum sine delinquentis nomine ad Episcopi notitiam venit; specialis, quando una cum abusu vel delicto etiam nomen delinquentis ad eum delatum est. Episcopus hanc inquisitionem instituit vel ipse per se, vel per alium virum ecclesiasticum ab ipso deputatum. Si testes examinandi sunt, eos secreto et singillatim examinet. Ceterum vero curet, ut tum testium depositiones, tum informationes aliaeque huiusmodi probationes scripto tradantur, et in Curia serventur, ut si opus sit ad ulteriora procedere possit et ut auctoritati ecclesiasticae superioris gradus, in casu legitimi recursus totius rei rationem reddat.

259. Hac inquisitione peracta, Episcopus iudicat, utrum probationes, vel saltem indicia in aliquo pretio habenda sufficienter adsint, quae eum ad ulterius procedendum contra inquisitum adigant. Si ulterius procedere debet, et natura ac gravitas abusus vel delicti de quo inquiritur sinit, non statim ad processum iudicialem transeat, sed modo extraiudiciali media adhibeat praevenientia, quae praecipue sunt: Exercitia spiritualia, Monitiones et Praeceptum. Secreto igitur inquisitum ad se arcessat; quae contra eum exstant accusationes ipsi pandat, qui tamen originem notitiae et deponentes eidem notos faciat; modo paternae correptionis [1] eum moneat, ut ad sensus meliores redeat. Si vero eum arcessere nolit, per epistolam vel per interpositam personam monitiones paternas ipsi mittat, sine ulla tamen comminatione poenae. Si inquisitus accedat et ad accusationem destruendam pervenerit, vel etiam si ab incepto desistere promittat et malum reparare, ac reapse satagat ut promissa exequatur, nihil ultra est agendum. At si non accedat, vel aliter monitiones paternas spernat, Episcopus monitiones canonicas adhibebit.

[1] Matt. XVIII, 15-17.

Omnino curet, ut monitiones canonicae servata forma legali adhibeantur. Numero igitur fiant tres, sex dierum spatio explendae, hoc est, biduo inter unam et alteram intercedente, et modo ut illarum executio ex aliquo actu pateat. Quod si monitiones in irritum cedant, Ordinarius iubet per curiam delinquenti analogum praeceptum intimari, ita ut in hoc explicetur, quod ipse vel facere vel vitare debeat, addita respectivae poenae ecclesiasticae comminatione, quam si praeceptum transgrediatur, incurret.

1. Actus iniunctionis praecepti signatur a partibus praesentibus, et a delinquente etiam, si velit. 2. Vicarius Generalis iusiurandum testibus imponere potest de secreto servando, si prudenter a rei natura, de qua agitur, id requiratur.

Quod si accusatus ne praeceptum quidem observet, relicta via extraiudiciali, tunc ad processum iudicialem deveniendum est.

b) — *De modo procedendi Iudicialiter.*

260. Processum iudicialem Episcopus instruere debet, vel ob inobservantium praecepti, vel ob communes reatus, vel ob ecclesiasticarum legum transgressionem, eumque summarie et sine strepitu conficiat.

Processus ex officio instruitur, vel accepto supplici libello vel accusatione, vel nuncio quoquo modo ad Curiam perlato, et usque ad terminum perducitur eo consilio, ut omni studio ac prudentia veritas detegatur, ac tum de crimine, tum de reitate vel innocentia accusati causa eliquetur.

Instat igitur Procurator Fiscalis, ut processus instruatur; Episcopus autem dat ipsi mandatum causam agendi et processum promovendi.

Compilatio processus (seu processus informativus) committi potest probo ac perito viro ecclesiastico, cui assistat Actuarius, qui sit Cancellarius dioeceseos. Vir ita deputatus nominatur Auditor, vel etiam Actorum Redactor.

Si causa agatur de reatibus communibus, aut de legum ecclesiasticarum transgressione, fundamentum processus, i. e. ratio bene

fundata cur processus instituatur, erui potest iam ex facti expositione Episcopo vel Procuratori Fiscali data, quando factum ad ipsos primo delatum est. Quae expositio authenticis informationibus vel confessione extraiudiciali, vel testium depositionibus, etiam extraiudicialiter factis, ita confirmetur, ut appareat processum solido fundamento inniti et calumniam excludi. Transgressio vero praecepti ex ipso decreto et actu intimationis factae deducitur.

261. Ad admittendam vero rei culpabilitatem necessaria est probatio legalis, quae iis momentis constare debet, quibus veritas vere demonstrata elucescat, vel saltem moralis convictio inducatur, quocumque rationabili dubio oppositi remoto. Legalis probatio autem praecipue efficitur ex depositionibus testium. Ergo Iudex vel Auditor nunc testes citabit et examinabit[1]. Si praeter iusiurandum de veritate dicenda, etiam iusiurandum de secreto servando a testibus requiritur, sciendum, eos hoc ulteriori iureiurando teneri usque ad legalem depositionum publicationem, non amplius.

262. Ubi id omne, quod ad veritatem factorum constituendam et culpam accusati probandam pertinet, absolutum fuerit, imputatus intimatione scripta ad examen vocatur. Cavendum est ne vocetur antequam omnia collecta fuerint, quae facti existentiam atque im-

[1] Personae quae examini subiiciendae sunt, separatim audiantur. Testes, ad probationem, sive ad defensionem, si legalia impedimenta id non prohibeant, audiantur praestito iuramento de veritate dicenda, et si res postulet, etiam de secreto servando. Itaque antequam testificentur, cum de veritate tum de secreto iurent. Eo magis de officio fideliter adimplendo et de secreto, pro rei, de qua agitur, exigentia, servando omnes iuramento obstricti sint oportet, qui in instructione processus ex suo munere partem aliquam habeant. Testes qui in locis longe dissitis vel in aliena dioecesi degunt, mediante auctoritate ecclesiastica loci in quo manent, examinentur, in quem finem specimen factorum transmittetur: quae quidem auctoritas in responsione normas superius expositas observabit. Si indicentur testes, qui de factis vel circumstantiis ad meritum causae substantiales spectantibus interrogandi essent, nec examinari possint, vel quia non licet aut decet eos citare in iudicium, vel quia rogati adesse recusent necesse est id in actis commemorare, eorumque deficentia suppletur testimoniis aliorum, qui vel de relato vel aliter rem de qua quaeritur noverint.

putati culpam ostendant. In intimatione, nisi prudentia obstet, accusationes contra reum perlatae per extensum referuntur, ut ad responsionem se praeparare possit, et quidem in scriptis. Attamen, si ob accusationum qualitatem, vel alia de causa, haud expediat ut in intimatione exprimantur, in hac satis erit innuere ipsum ad examen vocari, ut in causa de qua contra eum fit inquisitio sese defendat.

263. Quod si ad examen accedere recuset, iterum fit intimatio, atque in ea congruum tempus peremptorium praefinitur, intra quod reus coram tribunali se sistere debeat, eique significatur, si non pareat, contumacem esse iudicandum; quam intimationem, si haud probato legitimo impedimento transgrediatur, ut contumax de facto habebitur. Animadvertendum, quamvis contumacia argumentum reitatis maximum quidem suppeditet, quod confessioni comparatur, nihilominus reitatem contumacis non esse praesumendam, sed legaliter probandam, eodem modo ac si contumax in curia adesset. Verum si ad examen accedat, audiatur, et ubi inductiones alicuius valoris exhibeat, eae quantum fieri potest, accurate discutiantur. Dein accedendum est ad contestationem delicti et argumentorum quae prostant, ut inquisitus et culpabilis habeatur et in poenas canonicas incurrisse censeatur.

264. Itaque coram accusato legendae sunt testium depositiones, et conclusiones ex iis deductae. Inquisitus, ubi ex his noverit, quae in actis contra ipsum relata sunt, ad ea respondere potest, ac, si velit, utetur iure defensionis a se ipso in scriptis peragendae. Nomina autem testium durante processus confectione non prodantur, sed tantum publicato processu, ut possint exceptiones contra eos fieri. Potest etiam alios testes, praeter iam examinatos, producere, qui ab Auditore examinandi sunt. Responsa, exceptiones, etc. accusati scripto tradantur a Cancellario. Tota depositio ipsi legatur, ut ipse sua manu, quae reposuit, subscribat; deinde subscribent Iudex et Cancellarius.

265. Absoluto processu (informativo), Redactor Actorum summarium praecipuorum argumentorum quae ex ipso elucent, conficiat et Iudici tradat, qui illud Procuratori Fiscali quam primum transmittet.

Episcopus, instante Procuratore, diem pro causa in Curia proponenda designat. Qua die causa proponetur, inquisito fiet facultas defensionem suam per alium sacerdotem suo nomine in scriptis exhibendi. Reus igitur ipse comparere non tenetur, sed potest; debet autem Defensorem aut ipse sibi deputare, aut ab Episcopo ex officio designatum accipere, qui defensionem ante causae ipsius propositionem scripto exhibebit Procuratori Fiscali.

Defensione peracta, Procurator processum eiusque Summarium ad Episcopum mittit, qui, ubi in plenam causae cognitionem devenerit, diem constituet, in qua sententia dicenda sit.

Praestituta die, ab Episcopo vel Vicario Generali, praesente Procuratore Fiscali et Defensore, sententia pronunciatur, eiusque pars dispositiva Cancellario dictatur, expressa mentione facta, si damnationi sit locus, sanctionis canonicae quae contra imputatum applicatur.

Sententia reo intimetur (vel eius Defensori), qui potest ad auctoritatem superioris instantiae appellationem interponere [1].

In casibus dubiis diversisque in praxi difficultatibus Ordinarii Sacram hanc Congregationem consulant, ut contentiones ac nullitatem actorum devitent.

[1] In appellatione observentur normae expressae in Const. sa. me. Benedicti XIV *Ad militantis* diei 30 martii 1742 ac ceterae indictae a S. C. Episcoporum et RR. decreto diei 18 decembris 1835 et epistola circulari diei 1 aug. 1851. Porro intra terminum decem dierum a notificatione sententiae interpositio appellationis fieri debet, quo elapso tempore sententiae executio locum habet. Appellatione vero interposita, continuo Curia ad auctoritatem ecclesiasticam superioris instantiae omnia acta causae in suis authographis, idest processum, eius summarium, defensionem ac sententiam mittere debet. Haec porro superioris instantiae auctoritas, appellatione cognita, appellanti iniungit, ut intra triginta dies defensorem deputet, qui ab ipsa probandus est. Eo termino peremptorio frustra elapso, censetur reus beneficio appellationis renuntiasse, quam propterea iudex gradus superioris peremptam declarat. In appellatione a sententia Curiae episcopalis ad metropolitanam, archiepiscopus in causa cognoscenda ac definienda eadem procedendi methodo utetur, quae superius indicatur.

§ 3. — *De potestate coactiva* [1].

266. Quoad potestatem coactivam Episcopus, generatim loquendo, ea omnia potest in ordine ad finem ecclesiasticum, quae in eius potestatis notione continentur. Hinc praeter crimina quaelibet quoad clericos, potest etiam inquirere et punire crimina quoad laicos, sed privative ea solum quae sunt ecclesiastica, ut haeresis, simonia etc. Potest iure praeventionis inquirere et punire crimina mixti fori, cuiusmodi sunt delicta venerea, usura etc. Potest inferre poenas delinquentibus non modo ecclesiasticas, verum etiam corporales, excepta sanguinis poena, invocata si opus fuerit potestate saeculari.

Nominatim vero indicere potest etiam adversus Parochos suspensionem *ex informata conscientia* ab ordinibus iam susceptis, causa criminis occulti minime indicata [2]. Ut autem in eadem infligenda cum maiori qua potest cautela et securitate procedant Ordinarii catholicarum missionum, S. Congr. Prop. Fid. per Instr. die 20 octob. 1884 editam sequentia statuit:

1. Suspensio ex informata conscientia, non secus ac illa, quae per iudicialem sententiam infligitur, personam ecclesiasticam a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis exercendis interdicit.

2. In hoc praecipue ipsa differt a iudiciali suspensione, quod adhibetur tamquam extraordinarium remedium in poenam admissi criminis; ideoque ad eiusdem impositionem non requiruntur nec formae iudiciales, nec canonicae admonitiones. Satis erit proinde, si Praelatus hanc poenam infligens, simplici utatur praecepto, quo declaret se suspensionem ab exercitio sacrorum officiorum, vel ecclesiasticorum munium indicere.

3. Huiusmodi praeceptum semper in scriptis intimandum est,

[1] De potestate coactiva fusius in tractatu de delictis et poenis nobis agendum erit.

[2] Concilium Trident. Sess. XIV, Cap. I *de Reform.* Benedictus XIV Const. *Ad militantis* 3 martii 1742, § 23.

die et mense designato; ideoque fieri debet vel ab ipso Ordinario, vel ab alia persona de expresso ipsius mandato. In eadem tamen intimatione exprimendum est, quod eiusmodi punitio irrogatur in vim Tridentini decreti Sess. XIV, Cap. I *de Reform.*, ex informata conscientia, vel ex causis ipsi Ordinario notis.

4. Debent insuper exprimi partes exercitii ordinis vel officii, ad quas extenditur suspensio; quod si suspensus interdictus sit ab officio, cui alter in locum ipsius substituendus est, ut puta oeconomus in cura animarum, tunc substitutus mercedem percipiet ex fructibus beneficii in ea portione, quae iuxta prudens Ordinarii arbitrium taxabitur: at si suspensus in hac taxatione se gravatum senserit, moderationem provocare poterit apud curiam Archiepiscopalem, aut etiam apud Sedem Apostolicam.

5. Exprimi item debet tempus durationis eiusdem poenae. Abstineant tamen Ordinarii ab ipsa infligenda in perpetuum. Quod si ob graviores causas Ordinarius censuerit eam imponere non ad tempus determinatum, sed ad suum beneplacitum, tunc ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum iurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis.

6. Suspensioni ex informata conscientia iustam ac legitimam causam praebet crimen, seu culpa a suspenso commissa. Haec autem debet esse occulta, et ita gravis, ut talem promereatur punitionem.

7. Ad hoc autem ut sit occulta requiritur, ut neque in iudicium, neque in rumores vulgi deducta sit, neque insuper eiusmodi numero et qualitati personarum cognita sit, unde delictum censeri debeat notorium.

8. Verum tenet etiam suspensio, si ex pluribus delictis aliquod fuerit notum in vulgus; aut si crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, deinceps post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.

9. Prudenti arbitrio Praelatorum relinquitur suspensionis causam, seu ipsam culpam, delinquenti aut patefacere, aut reticere. Partes alioquin pastoralis sollicitudinis et charitatis eorumdem erunt, ut si istiusmodi poenam suspenso manifestare censuerint, ipsa ex pater-

nis, quas interponent, monitionibus, nedum ad expiationem culpae, verum etiam ad emendationem delinquentis, et ad occasionem peccandi eliminandam inserviat.

10. Meminerint vero Praesules, quod si contra decretum, quo irrogata fuit suspensio, promoveatur recursus ad Apostolicam Sedem, tunc apud ipsam comprobari debet culpa, quae eidem praebuit occasionem. Consultum idcirco erit, ut antequam haec poena infligatur, probationes illius, quantumvis extraiudicialiter et secreto colligantur, ita ut eo ipso, quod cum omni certitudine culpabilitatis in punitione inferenda proceditur, si deinceps causa examinanda est apud Apostolicam Sedem, probationes criminis in eas difficultates haud impingant, quae ut plurimum occurrunt in istiusmodi iudiciis.

11. A decreto suspensionis ex informata conscientia non datur appellatio ad tribunal superioris ordinis. Postquam idcirco Clericus intimationem suspensionis habuerit, si nihilominus appellationem interponere, eiusque obtentu in altari ministrare, seu quovis modo suum ordinem solemniter exercere praesumat, statim incidit in irregularitatem.

12. Semper tamen patet aditus ad Apostolicam Sedem; et in casu quo Clericus absque sufficienti ac rationabili causa se hac poena multatum reputet, recurrere poterit ad Summum Pontificem. Interim tamen in vigore permanet decretum suspensionis usque dum ab ipso Pontifice, vel a S. Congregatione, quae de recursu iudicare debet, non fuerit rescissum aut etiam moderatum.

13. Ceterum cum istiusmodi poena sit remedium omnino extraordinarium, quod praesertim ad expiationem criminum absque formis iudiciariis adhibetur; prae oculis habeant Praelati id quod sapientissime admonet Summus Pontifex Benedictus XIV in suo tractatu *de Synodo Dioecesana* [1] quod nimirum reprehensibilis foret Episcopus, si in sua Synodo declararet, se deinceps ex privata tantum scientia, cum poena suspensionis a divinis, animadversurum in Clericos, quos graviter deliquisse compererit, quamvis eorum

[1] Libro XII, Cap. VIII, n. 6.

delictum non possit in foro externo concludenter probari, aut illud non expediat in aliorum notitiam deducere.

§ 4. — *De potestate administrativa.*

267. Penes Episcopum est cura et quasi tutela bonorum ecclesiasticorum. Hinc debet ipse pro legum civilium diversitate modum determinare quoad tutiorem conservationem et transmissionem ad successores bonorum ecclesiasticorum, statutumque modum ad praxim deducere.

Episcoporum officium est, quando Ecclesiae suae possessionem ingrediuntur, accuratum inventarium ita conficere bonorum Ecclesiae, ut ea secernantur a bonis Episcoporum propriis. Expediens etiam erit si procuratorem unum (vel plures) constituat, cuius erit domus episcopalis in temporalibus administrationem habere ex ipsius Episcopi sententia et arbitrio, curam gerere reddituum et bonorum ad ipsum pertinentium, eidemque statis temporibus omnium sibi commissorum districtam reddere rationem, ut non modo illa dissipari non sinat, sed testis sit rectae administrationis et dispensationis. Quae quidem eo spectant, ut non solum bonorum ecclesiasticorum administrationi consulatur, verum etiam ut studiosius Episcopi spiritualibus officiis, quae episcopalis muneris propria sunt, toto animo vacent.

Ceterum in administratione gerenda Praesules servare debent ius commune circa ea quae fieri debent cum consilio vel cum consensu Capituli seu Consultorum, qui loco Capituli sunt, potissimum quoad venditiones et hypothecas de quibus mox loquemur. Neque Episcopis, eoque minus Parochis aut aliis viris ecclesiasticis fas est mensas argentarias tenere. Quoad administrationem in singulis missionibus, libros rationum, inscriptis titulis activis aeris missionis et operum piorum, nec non libros dati et accepti earum Rectores accurate servent. Hi autem libri examinentur et probentur a viris ab Episcopo designatis, et prospectus rationum, ab iisdem viris atque a Rectore obsignatus, apud curiam asservetur. Episcopus vel viri ab Episcopo designati exigant quotannis administrationis ratio-

nem a Rectoribus missionum. Omnino prohibendi sacerdotes ne nomine suae congregationis ecclesiam suam aere alieno gravent sine expressa et in scriptis exarata licentia Ordinarii, idque ubi commiserint, pro rei gravitate, servatis servandis, ab Episcopo puniantur. Moneat autem Episcopus sacerdotes ne maioris momenti debita contrahant nomine etiam proprio, ac efficaciter provideat, ne ecclesiae aere alieno obstringantur et ut securitati consulatur, si forte sacerdotes dent aliquid mutui suis ecclesiis. Denique praecipiant Episcopi ut quoties sacerdos possessionem suscipit alicuius missionis, inventarium redigatur bonorum missionis et ad curiam episcopalem mittatur, ut missionis bona numquam misceri cum Rectoris bonis contingat.

268. Ad bona vero locorum et operum piorum administranda efficiat Episcopus ut eligantur probi, prudentes ac industrii viri, qui administrationem non ingrediantur, nisi prius iurent se munus fideliter administraturos atque in fine anni rationem reddituros [1]. Sciat insuper pecuniarum summas quascumque mutuo dare, vel illis ad proprium commodum uti, etiamsi aliquandiu sint otiosae, administratoribus piorum locorum vetitum esse in Cap. *Cum laicis* de reb. Eccl. non alien. Quae vero pecunia non otiosa relinquenda est sed occupanda, ea quam tutissime deponatur deturque opera ut emendis bonis stabilibus, certis censibus aliisque modis occupetur [2]. Denique caveat Episcopus ne Administratores locorum piorum bona et redditus ipsorum in alios usus praeter eos qui a testatoribus vel fundatoribus fuerunt praescripti convertant, sub poenis a sacris canonibus et Conc. Trid. taxatis [3], neque conniveat nimis in sumptibus quos minus necessarios noverit. Episcopo subduntur loca pia dioeceseos sive erecta fuerint cum auctoritate Episcopi, quaeque religiosa a nonnullis dicuntur, sive absque eius auctoritate. Loca religiosa potestati Episcopi subduntur in cuius territorio versantur

[1] Clement. *Quia contingit* de relig. domib., § *Ut autem.*

[2] S. Pius V. Const. *Cum primum.*

[3] Sess. XXII, cap. XI, de Reform.

nisi fuerint exempta. Talia sunt Monasteria, Coenobia Regularium, loca quae sub immediata Regum protectione sunt, quique Reges in limine erectionis hanc obtinuerint protectionem [1], similiter talia sunt loca hac clausula exemptionis fundata, quod tamen non excludit in Episcopo ius inspectionis ratione administrationis [2]; hospitalia et alia loca religiosa ordinum militarium ac hospitaliorum [3]. Loca autem pia sine Episcoporum auctoritate erecta, etiamsi Episcoporum visitationi non subiiciantur, tamen Episcopus ius habet visendi an fundatoris voluntas servetur, ac bona iuxta fundatoris intentionem applicentur ac quolibet anno administrationis rationem excipiendi ius habet [4].

269. Ad loca pia profecto pertinent Seminaria. Antiquitus clerici in gymnasiis instituebantur quae apud Ecclesias Cathedrales et Collegiatas erecta erant; gymnasiis Academiae saeculo 8° successerunt donec Tridentinum Concilium [5] Seminaria erigenda decrevit. Quilibet Episcopus suum saltem seminarium habere debet; si alia sint in dioecesi, haec ab illo in omnibus pendere debent. Seminarium pauperum filios accipit ac gratis alit, divitum filii admittuntur at suis expensis aluntur. Seminaristae aetatis sint saltem 12 annorum, legitime nati, sciant legere ac scribere, ac talis indolis ut spem exhibeant se ecclesiastico ministerio inservituros esse. Admissi in Seminario primam tonsuram recipiant ac clericalem habitum induunt. Caetera quae Seminaria respiciunt in libro de Rebus exponemus.

270. Quoad alienationes quae vocantur bonorum ecclesiasticorum, quae quidem materia quotidiani est usus, a proposito alienum none rit pauca hic inserere. Et primo quidem in hac materia ecclesiis admodum favorabili, ecclesiae nomine intelliguntur loca quaecum que pia ad Dei cultum vel salutem animarum, vel aegrorum

[1] Trid. Sess. 25, cap. 9, de Reform.

[2] Trid. loco cit.

[3] Trid. loc. cit.

[4] Arguitur ex cap. 9 Trid. cit.

[5] Sess. 23. cap. 18, de Reform.

aut pauperum solatium instituta. Ad haec: alienationis prohibitae nomine venit hac in re quicumque contractus, quo res locorum piorum utcumque distrahantur, sive id fiat per donationem, venditionem, permutationem, constitutionem pignoris, hypothecae, ususfructus, usus, aut alterius servitutis, transactionem, cessationem litis, compromissum, unionem cum alia ecclesia, concessionem in feudum, emphyteusim, locationem *ultra triennium*, et quamcumque aliam pactionem, sive dominium directum, sive utile tantum transferatur. Absque beneplacito apostolico, quidquid in contrarium veteres Doctores senserint, non amplius locari vel vendi possunt res *antiquitus* alienari aut in feudum vel emphyteusim dari solitae, nec vendi vel locari redditus ecclesiasticae pensionis, nec ad tempus quidem, *repraesentata pecunia*, seu recepto simul et semel pretio [1].

Iamvero vi Extravagantis *Ambitiosae*, quae hodie post Constitutionem *Apostolicae Sedis* ubique locorum observanda est, vetantur alienationes rerum et bonorum ecclesiasticorum. Et primo prohibentur alienari res immobiles seu solo cohaerentes, ut fundi, praedia, domus, etc. quibus accensentur iura incorporalia iurisdictionis, servitutum, potestas piscandi, pascendi, lignandi etc., census item annui, si ministrorum sustentationi, vel fabricae conservationi in perpetuum sunt destinati. Excipiuntur tamen res immobiles perexigui momenti, et ecclesiae propter impensas faciendas absolute inutiles, etiam noxiae aut quae plus incommodi quam commodi afferunt, ex. gr. domus ruinosae. Secundo alienari vetantur res mobiles pretiosae, quae servando servari possint, ut thesauri ecclesiae propter intrinsecum pretium aut antiquitatem aestimabiles, bibliothecae, etc.

Omnia autem praedicta alienari possunt, si duo concurrant, causa sufficiens, et debitae solemnitates. Causa triplex est, necessitatis, vel utilitatis, vel pietatis; ex. gr. ad solvenda debita, ad maiores proventus procurandos, ad redimendos captivos etc.

[1] S. Cong. Ep. et Reg. an. 1840.

Solemnitates sunt: 1) Consensus praevius Capituli collegialiter congregati, si Episcopus alienet quod ad ecclesiam cathedralem, imo etiam ad mensam suam episcopalem pertinet. Si Praelatus res ecclesiae collegiatae aut conventualis distrahat, necessarius est consensus illius Collegii aut Conventus. 2) Auctoritas Superioris, scilicet Romani Pontificis, ita enim decretum est a Gregorio X Cap. *Consultissimo* 2. de reb. eccl. non alienand. in 6. et a Paulo II in cit. Extrav. *Ambitiosae* [1]. Excipiuntur in hac Const. locatio ad

[1] In Instructione Sac. Cong. Fid. Prop. diei 30 Iulii 1867 (*) pro alienatione bonorum ecclesiasticorum sequentia decreta sunt:

1. In venditione bonorum ecclesiasticorum, permittatur eorumdem aestimatio a probis peritis scripto facienda; audiantur omnes interesse habentes; constet de evidenti Ecclesiae necessitate vel utilitate: vendantur favore maioris oblatoris et non minori pretio quam quod a praedictis peritis fuerit aestimatum; pretium ab emptore integre solvatur in actu stipulationis, et collocetur in frugifero, tuto ac licito investimento; quod si non erit in promptu, deponatur pretium in aliqua capsa publica, vel apud aliquam personam spectatae probitatis et idoneitatis, recepta tamen cautione scripto exarata, penes ipsum Patriarcham vel Episcopum ecclesiae, ad quam pertinent bona vendita, accuratissime custodienda.

2. In permutationibus praemittatur aestimatio fundorum a probis peritis scripto facienda; audiantur omnes interesse habentes; constet de evidenti Ecclesiae utilitate; et in contractus stipulatione expresse reservetur hinc inde regressus ad primaeva iura in casu evictionis. Quod si valor fundi ecclesiastici superest valorem fundi qui ab ecclesia in permutationem recipitur, ea pecuniae vis quae ad peraequationem contractus est necessaria, ecclesiae persolvatur in actu stipulationis, et collocetur in honesto, tuto ac licito investimento; atque interim deponatur uti supra in capsa publica, vel apud personam spectatae probitatis atque idoneitatis.

3. In contractibus emphyteuticis ineundis praemittatur aestimatio peritorum; audiantur omnes interesse habentes; constet de evidenti Ecclesiae utilitate; canon ab emphyteuta persolvendus non sit minor, quam qui a peritis statutus fuerit; stipulatio scripto consignetur cui descriptio fundi ac topographica eiusdem tabula adiiciatur; praestet emphyteuta hypothecariam inscriptionem super alio idoneo suo fundo, aut saltem hoc deficiente cautionem idonearum personarum pro securitate canonum trium annorum; atque in ipsa stipulatione obligationem emittat pro se suisque heredibus ac successoribus valituram, numquam utendi qualibet praesenti

(*) In Collectanea sub numero 1629: Cf. Collectaneam Caput 3 de bonis ecclesiasticis, a numero 1610 ad n. 1638.

triennium et alienationes pro quibus facultates habent Ordinarii vi Canonis *Terrulas* ita se habentis: « Terrulas aut vineolas exiguas et Ecclesiae minus utiles, aut longe positas, parvas, Episcopus sine consilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat potestatem ». Notandum autem est quod facultates istae, quas Ordinarii habent vi Canonis *Terrulas*, nequeunt exerceri nisi cum valor fundi modicus sit, seu infra 25 scutata aurea de camera, quae aequivalent libellis italicis 235: nisi tamen loci consuetudo induxerit ut dictus valor etiam modicus habeatur quando scutata 50 monetae romanae non excedat. Concurrere etiam debet iusta causa Ordinariorum iudicio comprobata [1]. Non possunt autem Vicarii Capitulares iis facultatibus uti circa bona mensae episcopalis vacantis et vacantium ecclesiarum et beneficiorum. Neque itidem Ordinarii pos-

vel futura lege seu privilegio affrancationis canonis, et melioramenta omnia solo cedendi.

4. Si agatur de Ecclesiae bonis oppignorandis, vel de aere alieno contrahendo, necesse est, ut prius audiantur omnes interesse habentes, et constet de vera et gravi Ecclesiae necessitate; quae si vere intercedat, cavendum est, ut debitum illud cum primum fieri poterit, ecclesia ipsa dimittat, eaque de causa imponatur eidem singulis in casibus obligatio contractum debitum extinguendi annuis ratis ab ipso Episcopo praefiniendis; ad quem effectum determinati aliqui ecclesiae eiusdem redditus erunt assignandi, ac singulis vicibus deponendi in capsa publica, vel penes honestam atque idoneam personam, ut suo tempore investiri possint.

5. Cum vero Ecclesiae pecuniam investiri contingat, duo imprimis diligentissime curanda erunt: primum ut a contractibus ineundis longe procul sit quaevis usuraria labes, secundo ut Ecclesiae indemnitati cautum sit: ideoque non collocetur eiusdem pecunia nisi apud honestas et idoneas personas, quae praestent hypotecariam inscriptionem, vel saltem idoneam cautionem; omnesque huiusmodi contractus publicis tabulis pro recepto regionum more consignentur.

6. Denique in locationibus bonorum ecclesiasticorum cavendum est, ut locationes praedictae fiant iusto pretio, atque ut annuae responsionis solutio non fiat anticipate in praeiudicium successorum. Non licebit autem ecclesiastica bona locare ultra triennium; poterit autem Ordinarius, si specialem ab Apostolica Sede super alienatione bonorum ecclesiasticorum facultatem obtinuerit, permittere ut locationes praedictae fiant etiam ultra praedictum tempus, dummodo non excedat novennium.

[1] Cf. Petra *Comm. in Const. Ap.* T. V., Sect. 2, n 39.

sunt vi citati canonis concedere in emphyteusim perpetuam fundos valorem 25 aureorum excedentes [1]. Pretium divenditarum rerum vi supradicti canonis, debet favore Ecclesiae occupari, hoc est, ut vulgo loquimur, investiri, prout caverit is qui alienationem permisit, et si is nil caverit, collocandum erit more boni patrisfamilias. Non licet autem eo praedia meliorare, ex. gr. ex prato olivetum facere, meliorationes enim accessiones sunt et facile depereunt. Licet vero nova aedificia construere, vel antiqua reponere, vel reparare. Census autem redimere, regulariter non licet. Insuper limitationem patitur dispositio eiusdem canonis in eo quod illius vi non potest alienari pars modica magni praedii Ecclesiae. Porro contractus initi cum reservatione Apostolici beneplaciti, sunt generatim validi, si tamen non sit tradita possessio.

271. Denique quoad locationes notandum est quod cum vetitum sit in locationibus triennalibus pactum adiicere ut renovatae per subsequens triennium censeantur, nisi a loco pio in exitu primi triennii conductori denuncietur cessatio ; ubi nihilominus hoc pactum fuisset adiectum absque beneplacito apostolico, suam vim haberet locatio pro primo triennio, a iure enim inhibetur tantum pactum renovationis [2]. Attamen nec valeret locatio pro primo triennio, quando mente contrahentium locatio inita fuisset ad plura triennia, puta ad sexennium, tamquam unicus contractus, tum enim ea non haberetur tamquam constans distinctis locationibus triennalibus, sed ut unus actus individuus. Duplex vero ad id internoscendum suppetit norma ; prima quando pro omnibus annis conventa fuit unica pensio, altera quando absque ulla interposita renovationis lege, subsequens triennium intelligitur incipere a die primae locationis finitae. Tandem locatio fieri nequit absque beneplacito Apostolico anticipatis solutionibus in detrimentum successorum. Et si contingat ut locati boni possessor sequestratione fructuum ibi adhuc pendentium gravetur, conductor nimis tempestivae solutionis

[1] S. Cong. Epp. et Reg. in Instr. data an. 1760.

[2] Garcia *de Benef.* P. 2, Cap. 1.

damna experiatur necesse est, sive agatur de oneribus beneficii implendis, sive de aliis beneficiariis obligationibus [1].

272. Si alienationes absque iusta causa fuerint factae, nullius sunt roboris. Si ex iusta causa, sed solemnitatibus praetermissis, valent in foro conscientiae, in externo claudicant prout contractus qui cum minoribus ineuntur. Quod si absque iusta causa et solemniis iuris alienatio vetita in Extrav. *Ambitiosae* fiat, contrahentes excommunicationem, nulli tamen reservatam, iocurrunt ex Const. *Apostolicae Sedis.* Attamen cum in citata Extravaganti non omnium ecclesiarum rerum interdicatur venditio, sed immobilium dumtaxat, et ea solum venditio, qua dominium transfertur et hypothecae et locationes ultra triennium, consequitur memoratae censurae obnoxios non fieri, qui ex. gr. vel aedes destruunt, vel grandiores arbores caedunt, vel aliquid furantur [2]. Neque omnes alienantes eidem excommunicationi subiacent, sed ii solum quibus administratio earum rerum credita est, neque omnes qui eas recipiunt, sed recipere *praesumentes,* non vero consentientes, consulentes, faventes, adeoque nec delegatus Apostolicus qui decretum vel auctoritatem interponit in detrimentum Ecclesiae. Nec denique ii qui quaesita subinde alienant aliis, non enim administratores sunt. Excommunicationem vero incurrunt cum alienatio perfecta fuerit ultro citroque, adeoque si alienatio inita fuerit sub conditione suspensiva, ea pendente non incurritur [3].

ARTICULUS II.

De potestate Episcopi in foro interno.

273. De hac potestate notabimus ad Episcopum pertinere: 1) approbationem confessariorum sive saecularium sive regularium [4] ad sacramentales confessiones intra suam dioecesim, examine instituto

[1] Concil. Trid. Sess. 25, cap. 11, de Ref.

[2] S. Univ. Inq. 9 Martii 1870.

[3] Cf. R. P. D. D'Annibale, *Summ Theol. Moral.* l. 2, pag. 540.

[4] Bened. XIV de Synodo dioecesano Lib. IX, cap. 16, n. 6; Constitut. apostol. 30 Maii 1753 Benedicti XIV.

vel secus, prout melius iudicaverit, et quidem adhibendo limitationes quas opportunas duxerit, cum facultate revocandi ad examen qui approbati fuerunt, dummodo nova causa intercedat, si approbati fuerint a semetipso, sed etiam sine nova causa, si a praedecessoribus [1]. Excipitur si alio modo idonei iudicentur veluti Vicarius Generalis, parochus, Canonicus Poenitentiarius [2]. 2) Reservationem casuum, id est absolutionis a certis aliquot gravioribus criminibus opere externo consummatis [3], sive extra synodum, sive intra [4], quod rectius est, servatis tamen aequi finibus, ita ut reservet pauca, in quibus iusta causa intercedat ex. gr. proclivitas in populo ad ea perpetranda. Caveat tamen ne casus illos reservet, quibus adnexa est excommunicatio maior a iure imposita, nisi forte propter frequens scandalum aut aliam causam necessariam [5]; nec quidquam praecipiat quod periculum inferat violandi sigillum confessionis, ex. gr. ut sibi in genere manifestetur quaenam graviora peccata in aliquo certo loco frequentius committantur [6]. 3) Pertinet ad Episcopum dispensare in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex occulto delicto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum; et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in dioecesi per se ipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere. Haec vero potestas quam Tridentinum Concilium concedit iis qui episcopali iurisdictione potiuntur, exulat in locis in quibus Concilium ipsum numquam fuit receptum, siquidem onerum et favorum par est ratio. Non item ubi prius receptum, postea repudiatum

[1] Bened. XIV, Notif. 86.

[2] Cap. 15, Sess. XIII de Reform. Concil. Trid.

[3] S. C. EE. RR. 20 Nov. 1602 monuit Epipcopos ut se abstineant a sibi reservandis casibus mere internis vel Papae reservatis.

[4] Trident. Sess. XIV, cap. 11.

[5] Bened. XIV. *De Synodo dioec.* l. V, Cap. 4, n. 4.

[6] Bened. XIV, l. c., n. 3.

est [1]. Si quaeratur an Episcopi vi Capitis *Liceat* absolvere possint a casibus occultis S. Sedi reservatis post Concilium Trid., responsio exigenda est ad Constitutionem *Apostolicae Sedis* a Pio IX 12 Oct. 1869 editam, quae sic habet: *Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Trid. Synodo Episcopis concessam Sess. 24, Cap. 6* De Reform. *in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.* Unde patet, posse Episcopos absolvere a casibus occultis S. Sedi reservatis post Conc. Trid., exceptis iis, qui speciali modo Apostolicae Sedi reservati sunt per eamdem Constitutionem, nec non duobus aliis, qui sunt: 1° Interdictum contra Universitates, Collegia et Capitula ab ordinationibus Pontificis pro tempore existentis ad futurum Concilium oecumenicum appellantia; 2° Casus personae falso denuntiantis sacerdotem de crimine sollicitationis in sacramento poenitentiae.

ARTICULUS III.

De potestate Episcopi delegata.

274. Praeter ordinariam potestatem habent Episcopi potestatem delegatam, cuius limites ex apostolicis litteris, quibus ipsa conceditur, dimetiendi sunt. Ad hanc potestatem delegatam pertinent in primis facultates Formularum, seu facultates sive ordinariae, sive extraordinariae, quae ipsis a S. Congr. Fid. Prop. concedi solent, in quarum usu servandae sunt regulae, quas ipsa delegatae iurisdictionis natura postulat aut permittit, dummodo non satis constet, aliam esse mentem delegantis i. e. Apostolicae Sedis et Sacrae Congregationis a qua facultas immediate procedit. Quoad has notasse sufficiat, eas cessare elapso tempore ad quod concessae sunt. Ad dubium tamen Vicarii Apostolici Tongkini occidentalis num post ela-

[1] De Lugo *de Fide,* disp. 23, n. 54. Cf. R. P. D. D'Annibale, *Summ. Theol. Mor.* Vol. 2, pag. 255.

psum tempus, ad quod conceduntur facultates (Formularum), etiam valeant casu quo sine sua culpa earum prorogatio dilata fuerit, Sacra Congr. Fid. Prop. die 16 Ian. 1797 respondit, valere usque ad novae prorogationis impetrationem. Hoc tamen responsum non suffragatur Episcopo, qui omiserit prorogationem tempestive postulare. — Cessant etiam facultates concessae ad certum casuum numerum, numero illo exhausto, tempore licet nondum elapso, aut elapso tempore, numero licet nondum exhausto [1]. Cessant quoque (cum ex mente S. Sedis certo sint personales), vacante per mortem Episcopi sede episcopali, i. e. non transeunt ad successorem ne pro tempore quidem per quod aut pro numero ad quem praedecessor, si superstes foret, eis adhuc uti posset: imo ex mente S. Sedis cessant quocumque modo Episcopus officium suum amiserit. Sede autem per mortem Episcopi vacante, attendenda sunt quae infra dicemus in Cap. IV. Notandum vero per mortem Pontificis eas facultates non cessare.

275. Ad haec: facultates istae gratis sunt exercendae, et absque speciali indulto subdelegari non possunt.

Quando vero in Formula additur Episcopum facultatibus uti non posse *extra fines suae dioeceseos*, significatur subditum quidem esse debere in dioecesi, cum eius favore Episcopus utitur facultate sibi concessa, non vero Episcopum [2].

Sed caput potissimum in quo delegata Episcopi potestas se exserit illud est, quod ad exemptos et praesertim ad religiosos viros

[1] S. Congr. Fid. Prop. 10 Aug. 1841.

[2] S. Univ. Inq. 2 Maii 1877. Igitur vi istius clausulae personae, quarum favori facultates exerceri possunt, in dioecesi Episcopi qui facultate instructus est, vel sacerdotis cui ea fuit delegata, domicilium vel quasi domicilium habere debent. Vagorum etiam favori exerceri possunt. Sunt haec probe attendenda a missionariis, quibus facultates communicantur, ne in tribunali poenitentiae iis utantur erga peregrinos ad ipsos accedentes. Notandum tamen est quod ille, in cuius favorem facultas aliqua exercetur, debet existere in dioecesi facultatem habentis eo momento quo ipsi ea impertitur, non vero eo momento quo ipse data sibi facultate utitur. S. Univ. Inq. Fer. IV, 22 Nov. 1865 ad 2. et 3. Ab hac regula nonnulli excipiunt

se refert, de quo paulo fusius disserendum est. Porro quamvis legibus Episcopi, qui in sua dioecesi generalis pastor est, subsint quotquot illius dioecesim incolunt, cuiuscumque sint status et conditionis, per leges tamen canonicas aliqua capitula et regulares ab Episcoporum iurisdictione exempti sunt. Haec autem exemptio, dum regulares liberat a subiectione quoad Ordinarium, eos reservat iurisdictioni immediatae ac privativae Sedis Apostolicae [1]. Quamobrem nefas est regularibus semet subiicere Ordinario in iis, in quibus exempti sunt.

Enimvero ut monasteria hoc exemptionis privilegio uti possint, religiosorum numerus in monasterio degentium requiritur a iure statutus. Quare hoc privilegio non fruuntur monasteria, quae erecta sunt per Italiam et insulas adiacentes ante Const. Urbani VIII diei 21 iun. 1625, quae actu non habent sex regulares probatae vitae, quornm regularium saltem quatuor sacerdotali charactere insigniti et in aetate 40 annorum constituti sunt. Si vero sermo sit de monasteriis post tempus illud erectis, necesse est ut habeant ex Const.

facultatem retinendi ac legendi libros prohibitos: his tamen adhaerendum non putamus, tum quia facultates personales sunt, ideoque personam quocumque comitantur, tum quia, ut diximus, requiritur tantum ut is, in cuius favorem facultas exercetur, in dioecesi sit eo momento quo datur, non vero eo momento quo data facultate utitur. Libros autem prohibitos ab Episcopo non suo, in huius dioecesi tenere et legere prohibetur. Ceterum clausula haec: *nec iis uti possit* etc., non est subaudienda in facultatibus quae Episcopis a S. Sede conferuntur, nisi fuerit expressa, vel aliter constet de mente Summi Pontificis, vel nisi subiecta materia eam requirat, subaudienda vero est in facultate dispensandi super impedimento mixtae religionis. Iamvero ex dictis consequitur: 1) Ordinandos qui instituuntur in aliquo seminario dioecesis non suae, ibique de consensu suorum Ordinariorum ad ordines promoventur, dispensari non posse neque in temporibus ordinationum, neque in irregularitate, neque in aetate etc.; oportet igitur ut in propria dioecesi ordinentur ibique a proprio Episcopo dispensentur, aut ut alteruter Episcopus speciale ad hunc effectum indultum habeat a S. Sede. 2) Episcopum vi iurisdictionis ordinariae in interstitiis, vel in votis non reservatis, vel in abstinentia, vel irregularitate in casibus a iure ipsi concessis dispensantem, posse sua uti potestate erga subditos suos, quin vel ipse vel ii in dioecesi sua actu existant.

[1] Bonif. VIII. Const. *Sacer Ordo vester*, 16 Ian. 1298.

Innocentii X duodecim regulares, quorum saltem octo sacerdotes existant.

Animadvertendum tamen est 1) mentem S. Sedis in subiiciendis Ordinario parvis regularium virorum conventibus, non eo spectare ut Ordinarius cum iis agat perinde ac si essent sacerdotes saeculares; sed omnino *ut in parvis regularium virorum conventibus pie et religiose vivatur* (quae verba sunt Decr. Innocentii X). Idcirco eos *omnimodae iurisdictioni Ordinarii loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegati, plane in omnibus subiecit ac subditos esse declaravit.* Itaque eumdem plane finem habet regularium exemptio ab Ordinariis ac eorumdem subiectio, custodiam nempe disciplinae regularis. Animadvertendum 2) quoad conditionem certi numeri religiosorum, exceptas esse parvas domos in locis missionum, quas ab Ordinariis exemptas esse declaravit Constitutio *Romanos Pontifices* edita a Leone PP. XIII, praeterquam in casibus a iure nominatim expressis et generatim in iis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem. Quinam vero sint casus in quibus ex iure exempti, Episcoporum iurisdictioni subiiciantur, et quinam ii in quibus ab eodem sunt immunes, quadruplex docebit appendix heic subiecta.

Appendix I.

Quae Concilium Tridentinum Episcopis permittat in exemptos tamquam Ap. Sedis delegatis.

1. Possunt compellere Abbates qui negligunt instituere lectionem sacrae scripturae in monasteriis, ubi commode fieri potest [1].

2. Metropolitani possunt compellere Abbates monasteriorum nullius dioecesis in eorum provinciis non curantes ut praedicetur in ecclesiis parochialibus, quae ab istis monasteriis dependent [2].

[1] Cap. I, Sess. V de Reform.

[2] Cap. II eiusd. Sess., § *Si quae.*

3. Item Episcopi procedere debent iuxta iuris dispositionem locive consuetudinem contra praedicatores, etiam exemptos, si haereses praedicaverint [1].

4. Deputare debent idoneos vicarios in ecclesiis curatis, possessis ab exemptis in casu non residentiae, ad tempus permissae, illisque assignare congruam fructuum portionem [2].

5. Possunt quemlibet clericum saecularem, ac regularem extra monasterium degentem visitare, punire et corrigere, si deliquerit [3].

Quod etiam locum habet quoad regulares translatos ad alterum ordinem, nisi in hoc sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneant iuxta Cap. XI eiusdem Trid. Sess. XIV de Ref. ut declaravit Bened. XIV [4].

6. Metropolitani possunt monachos, qui capitulis generalibus non subsunt, quique congregationes, quae talia capitula habent, praesidesque, vel visitatores facere negligunt, pro praedictis causis convocare: quod si dicti monachi, metropolitano instante, memorata exequi non curent, subduntur episcopis, in quorum dioecesibus eorum monasteria sita sint [5].

7. Debent episcopi in monasteriis exemptis monialium, etiam regularibus subiectarum, restituere clausuram, si violata fuerit, et conservare non violatam [6].

8. Debent gubernare monasteria monialium Sedi Apostolicae immediate subiecta, in quorum dioecesibus sita sunt [7].

9. Item visitare capitula, quocumque modo exempta, quoties expediens iudicabunt [8].

10. Item examinare uniones perpetuas a quadraginta annis ci-

[1] Ibid. § *Si vero*.

[2] Cap. II, Sess. VI de Reform.

[3] Cap. III, Sess. VI de Ref.

[4] Const. *Pontificia commendatione*, 27 Maii 1746.

[5] Cap. VIII, Sess. XXV de Reg.

[6] Cap. V, ead. Sess. XXV de Reg.

[7] Cap. IX, eadem Sess.

[8] Cap. IV, Sess. VI de Ref.

tra factas, et quae per subreptionem, vel obreptionem obtentae fuerint, irritas declarare [1].

11. Item visitare ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas, singulis annis, opportunisque remediis providere, ut quae reparatione indigent, reparentur, quaeque debitis obsequiis defraudantur, minime defraudentur [2].

12. Convenire debent exemptos coram se in causis mercedum et miserabilium personarum, etiamsi habeant iudicem a Sede Ap. deputatum in partibus, sicut et in aliis causis, si talem iudicem non habuerint [3].

13. Summarie cognoscere debent per se ipsos, de subreptione et obreptione gratiae, quae super absolutione criminis publici, de quo inquirere coeperunt, vel remissione poenae, ad quam condemnaverunt, cum falsis precibus impetrata sit [4].

14. Item possunt et debent corrigere quoscumque clericos exemptos, alias sibi subditos, etiam extra visitationem [5].

15. Dividere debent tertiam partem fructuum, convertendam in distributiones inter eos, qui divinis officiis intersunt, servata debita proportione personarum et horarum, ceterosque non interessentes iisdem distributionibus privare [6].

16. Debent commendata beneficia, quaecumque sint, etiam exempta, visitare, et iubere circa ea, quod necessarium iudicabunt, nisi sint in monasteriis, quae sunt capita Ordinum, vel quae istis subsunt [7].

17. Augere debent sacerdotum numerum in parochialibus ecclesiis, in quibus maior requiritur, et parochias erigere, cum distantia vel difficultas locorum id postulat [8].

[1] Cap. VI, Sess. VII de Ref.

[2] Cap. VIII, Sess. VII de Ref.

[3] Cap. XIV eiusdem Sess. VII.

[4] Cap. V, Sess. XIII de Ref.

[5] Cap. IV, Sess. XIV de Ref.

[6] Cap. III, Sess. XXII de Ref.

[7] Cap. VIII, Sess. XXI de Ref., et Cap. XX, Sess. XXV de Reg.

[8] Cap. IV, ead. Sess. XXI.

18. Item unire ecclesias cuiuscumque generis propter paupertatem, ceterasque causas a iure probatas [1].

19. Item summarie cognoscere de dispensationibus a Sede Apostolica gratiose commissis, executioni dandis scilicet sine plena causae cognitione, an subreptitiae, vel obreptitiae sint, sicuti et de commutationibus ultimarum voluntatum [2].

20. Item dare parochis imperitis (alias honestae vitae), coadiutores pro tempore, hisque assignare fructuum partem pro sufficienti victu, alios vero parochos turpiter et scandalose viventes castigare, et si in nequitia perseverent, etiam beneficiis privare [3].

21. Debent ultimarum voluntatum dispositiones summarie et extraiudicialiter cognoscere, antequam earum commutationes executioni demandentur [4].

22. Item transferre beneficia simplicia ex ecclesiis collapsis, quae ob paupertatem instaurari nequeunt, in matrices, aliasve ecclesias, cum suis oneribus, licet sint iuris patronatus; ecclesias autem parochiales collapsas reficere debent ex quibuscumque illarum fructibus, et his deficientibus, parochianos congruis iuris remediis ad illas restaurandas compellere, invocato ad hoc brachii saecularis auxilio. Quod si propter nimiam eorumdem parochianorum egestatem id fieri nequeat, debent modo supradicto transferre [5].

23. Possunt examinare notarios, quacumque auctoritate creatos, idoneosque non repertos, ab officio privare perpetuo vel ad tempus quoad causas ecclesiasticas et spirituales [6].

24. Debet Episcopus vicinior visitare ecclesias saeculares nullius dioecesis, si id constet: alioquin visitari debent ab eo, qui semel in concilio provinc. a Praelato loci illius electus fuerit [7].

[1] Cap. V, Sess. XXI.
[2] Cap. V, Sess. XXII.
[3] Cap. VI, Sess. XXI.
[4] Cap. VI, Sess. XXII.
[5] Cap. VII, Sess. XXI.
[6] Cap. X, Sess. XXII.
[7] Cap. IX, Sess. XXIV.

25. Possunt Episcopi in omnibus his, quae ad visitationem, morumque correctionem spectant, ordinare, moderari, punire, et corrigere, quae pro utilitate dioecesis necessaria videbuntur [1].

26. Episcopis subiiciuntur exempti propter officia in honorem tantum data [2].

27. Possunt cognoscere de subreptione, vel obreptione facultatum Apostolicarum, quibus conceditur, ut ab ingredientibus in beneficia iura temporalia exigantur, si haec in usus pios non convertantur [3].

28. Debent suspendere, quoadusque eis videbitur, a beneficiis clericos publice concubinarios privareque tertia parte fructuum beneficiorum suorum, si moniti concubinas non dimittunt [4].

29. Debent episcopi revocare patronatus alicui beneficio acquisitos a quadraginta annis citra ex augmento, seu ex nova constructione, vel ex simili causa, si repererint ob evidentem beneficii necessitatem, non esse constitutos, licet Apostolica auctoritate constituti sint [5].

Appendix II.

Casus alii in quibus regulares subiiciuntur Episcopis.

1. Regulares subiiciuntur Episcopis quoad visitationem correctionem et iurisdictionem, si animarum curam exerceant personarum saecularium, quae non sunt de monasteriorum familia; sicuti et quoad examen vicarii etiam amovibilis, per ipsos in propriis ecclesiis parochialibus constituendis. Excipiuntur tamen monasterium Cluniacense cum suis limitibus, et monasteria, in quibus Abbates, et capita Ordinum residere solent: atque ea, in quibus superiores

[1] Cap. X, ead. Sess.

[2] Cap. XI, ead. Sess.

[3] Cap. XIV, eadem Sess.

[4] Cap. XIV, Sess. XXV de Ref.

[5] Cap. IX, Sess. XXV de Ref., § *Similiter quoque.*

iurisdictionem episcopalem in parochos et parochianos habent: qualia sunt loca nullius dioecesis, in quae loca, aut personas non intendit Tridentinum episcopi iurisdictionem minuere, sed tantum non augere [1].

Circa hanc subiectionem videnda est Const. Bened. XIV. *Firmandis* 8. Idus Martii 1744. in qua § 11, declarat etiam, quod si Episcopus dictum parochum, seu vicarium removendum esse iudicaverit, removere possit absque superioris regularis consensu, sicuti Superior eiusdem, episcopi consensu non requisito.

2. Quoad accessum ad synodum dioecesanam, tam si non subdantur capitulis generalibus, quam si curam gerant ecclesiarum parochialium, aliarumve saecularium, etiam annexarum [2].

3. Quoad saecularium confessiones audiendas, etiam sacerdotum, atque monialium sibi subiectarum: sicuti et quoad punitionem pro fractione sigilli sacramentalis [3]; nec non quoad deputationem confessarii extraordinarii iisdem sibi subiectis monialibus per eorum superiores exhibendi duobus aut tribus vicibus in singulos annos [4], si neglexerint exhibere: in quo casu liberum est episcopo etiam exhibere quemlibet presbyterum saecularem, vel alterius ordinis regularem, quemadmodum exhibere possent et ipsi Superiores [5].

4. Quoad praedicationem verbi Dei: in propriis quidem ecclesiis, si praedicaverint sine episcopi benedictione; in alienis vero, praeter suorum Superiorum licentiam, si sine eiusdem episcopi approbatione [6].

5. Quoad ordines recipiendos, tam circa aetatem, quam circa interstitia et examen subeundum [7].

[1] Cap. XI, Sess. XXV de Regul.

[2] Eodem Trid. cap. II, Sess. XXIV de Ref.

[3] Eod. Triden. Sess. XXIII, cap. XV, et ex Constitut. Gregorii XV *Inscrutabili* 5 Feb. 1622, et Clem. X *Superna* 11 Kal. Iul. 1670.

[4] Iuxta Trid. Cap. X, Sess. XXV de Reg.

[5] Const. Bened. XIV *Pastoralis curae* § *Sane*, die 5 Aug. 1748.

[6] Eod. Trid. cap. II, Sess. V et cap. IV, Sess. XXV de Reform. ac dictis const. Gregorii et Clementis.

[7] Eod. Trid. cap. XII, Sess. XXIII de Ref.

6. Quoad quaestorum officium exercendum [1].

7. Quoad punitionem, si vagentur extra claustra sine suorum Superiorum mandato, in scriptis obtento: ac si missi ad universitates, studiorum causa, non habitent in conventibus: quemadmodum si scandalose extra claustra delinquentes, instante episcopo, puniti non fuerint a suis Superioribus intra terminum, ab eodem episcopo praefigendum, de qua punitione certiorari debet [2].

Ita etiam carcerari possunt, si comprehensi in delicto, timeatur de fuga [3], et recte mittendi sunt ad suos Superiores una cum probationibus, etiam non compilato processu [4]. Item puniri possunt, si incesserint sine socio, vel de nocte, aut indecenter vestiti, ac etiam publice deferentes arma [5].

Pari modo puniri possunt [6] si deliquerint in propria ecclesia, ianuis apertis, ut scandalo fuerint populo [7].

Circa punitionem scandalose viventium extra claustra, vide notanda in hac ead. Appendice post numerum 58 § Circa tamen.

8. Quoad accessum ad publicas supplicationes ex mandato Episcopi, exceptis Regularibus viventibus in strictiori clausura [8].

Exceptis etiam iis, quorum monasteria distant a civitate ultra medium milliare [9].

9. Quoad compositionem controversiarum exortarum inter unum et alterum ordinem regularem, ac inter eosdem regulares et clericos saeculares appellatione remota, circa praecedentiam in pro-

[1] Cap. I, Sess. XXI de Reform.

[2] Cap. IV et XIV, Sess. XXV de Reform.

[3] Cap. VIII eiusd. Sess.

[4] Decr. Congr. Conc. relato a Fagnan. in cap. 19, *Grave gerimus*, de offic. ordin. n. 69.

[5] Congr. Episc. et Regul. *in Andrien.* 15 Decemb. 1584, et in *Ravennaten.* 12 Septemb. 1594 ac Congr. Conc. in *Turritana* 3 Febr. 1635.

[6] Cap. XIV, Tridentin.

[7] Declaratione eiusdem Congr. ad Dubium in Posit. 442 ad d. cap. 14.

[8] Trid. cap. XIII, Sess. XXV de Regul.

[9] Declaratione Gregorii XIII, ut notatum legitur in libris publicis Cong. Conc. ad cit. cap. XIII, teste Fagn. ad cap. 17, *Nimis prava*, de excess. Praelat. n. 11.

cessionibus publicis, in tumulandis defunctis, in deferenda umbella, aliisque similibus [1].

10. Quoad observationem dierum festorum ex eiusdem episcopi praecepto observandorum [2].

11. Quoad censurarum publicationem faciendam ex mandato dicti episcopi in eorum ecclesiis, earumdemque censurarum observationem, etiam si mendicantes sint [3]. Nec illis suffragatur confirmatio privil. a Pio V concessa, cum redacta sit ad terminos Conc. Trid. [4].

12. Quoad observantiam interdictorum, quae episcopus promulgaverit [5], quo declaratum fuit, teneri ad illorum observantiam milites Hierosolymitanos, ac ex cit. Giennen. et Ventimilien.

13. Quoad solemnem, aut publicam expositionem SS. Sacramenti absque episcopi licentia [6].

14. Quoad retentionem lampadis accensae ante tabernaculum SS. Sacramenti [7], nec sufficit illam accensam retinere in choro [8].

15. Quoad observanda, et evitanda in celebratione missarum, etiam in ecclesiis suorum ordinum [9].

16. Quoad appositionem insolitae imaginis in eorum ecclesiis, novarum reliquiarum expositionem, ac novorum miraculorum publicationem sine episcopi approbatione [10].

[1] Eod. cap. XIII.

[2] Cap. XII. eiusdem Sess. XXV.

[3] Cit. cap. XII, Trid., et cap. 8 Episcop. de priv. in 6.

[4] Decr. Cong. Concil. in *Giennen. Observat. interdicti.* mense Nov. 1584 (lib. 4 decr. pag. 7) et *Ventimil.* Dec. 1586, ad 18 (lib. 5, pag. 72).

[5] Cit. cap. 12 et Clementina I de sen. excomm. et ex decr. Congr. Conc. in *Caesaraugustana interdicti* 11 Iun. 1695.

[6] Decreto Congr. Conc. relato a Fagnan. in cap. 19, *Grave,* de offic. Iud. ord. n. 77, et pluribus decretis Congr. Episc. et Reg. ac Conc. relatis a Lucio Ferraris *Prompta Biblioth.,* verb. *Eucharistia,* n. 57.

[7] Trident. in decreto de evitand. in celebrat. Miss. Sess. XXII.

[8] Decreto Congr. Rituum 21 Aug. 1699.

[9] Cit. Trid. dec. et Congr. Conc. *in Vercellen.* 21 Martii 1643.

[10] Trid. in decreto de Invoc. et venerat. etc. Sess. XXV.

17. Quoad publicationem indulgentiarum [1].

18. Quoad facultatem absolvendi a casibus ipsi episcopo reservatis [2].

19. Quoad ingressum superiorum intra clausuram monialium iisdem subiectarum absque necessitate, et hac interveniente, si ingressi fuerint sine praesentia Episcopi, vel alterius ecclesiasticae personae, ab eo ad hoc specialiter delegatae [3].

20. Quoad dictum ingressum plusquam semel in anno ex causa visitationis: sicut et quoad introductionem occasione huiusmodi ingressus plurium sociorum sui Ordinis, quam duorum, si agatur de Superiore generali et plusquam unius si agatur de Superiore alio a generali. Item quoad sumptionem refectionis intra eamdem clausuram, quae interdicta est, tam superiori visitanti, quam eius sociis [4].

21. Quoad electionem Abatissae monialium, iisdem regularibus subiectarum, cui episcopus interesse potest, vel per se, vel per alium, si velit [5].

22. Quoad punitionem, etiam sub poena excommunicationis, privationisque vocis activae et passivae, ferendae sententiae, etiam contra equites Hierosolymitanos, propter accessum et locutionem eis interdictam sub mortali culpa, licet per quodcumque modicum temporis spatium, et ob quamcumque honestam causam, cum quibuscumque monialibus, aliisque intra earum monasteria degentibus, sine legitima licentia [6]. Cuius autem Superioris licentia requiratur, dicetur infra in fine huius Appendicis § Quod spectat.

[1] Eodem Trident. cap. IX, Sess. XXV de Reform.

[2] Const. Clementis X *Superna* § 7, 11. Kal. Iun. 1670.

[3] Const. Greg. XIII *Dubiis* 23 Decembr. 1581, et Alexandri VII *Felici* 13 Kal. Novembr. 1664.

[4] Cit. Alexandri const. *Felici*.

[5] Const. Gregorii XV. *Inscrutabili* 5 Febr. 1622.

[6] Decretis Congr. Episcop. et Regul. iussu Sixti V editis 9 Maii 1590, et Urbani VIII 12 Kal. Decembr. 1623, ac Congr. Conc. cum approbatione Clement. IX sub die 11 Maii, et 16 Nov. 1669 atque in Spoletana *Accessus ad monasteria,* 26 Maii 1672 ac in Bergomen. 21 Maii 1678.

23. Quoad pernoctationem confessarii monialium in domo, quae per parietes et tecta non sit penitus distincta, et separata ab earum monasteriis [1].

24. Quoad exploratioeem voluntatis puellae, tam ante habitus susceptionem, quam ante professionem, sub poena suspensionis abbatissae monialium eis subiectarum, arbitrio Episcopi infligendae, si ante meusem de futura professione eum certiorem non fecerit [2].

25. Quoad invaliditatem renunciationis, vel obligationis novitiorum, etiam in favorem causae piae, ante duos proximos professioni menses sine episcopi licentia exaratae: ac etiam quoad compulsiones per censuras ecclesiasticas, tam, ne quid de novitii, novitiaeque bonis detur monasterio ante illius professionem, quam ut, si quid datum fuerit, eis ad saeculum redeuntibus restituatur [3].

26. Quoad deductionem causarum faciendam ante quinquennium a die professionis computandum, nedum coram superiore regulari, sed etiam coram Episcopo a religioso volente habitum dimittere, vel cum eo a religione discedere praetextu nullitatis professionis [4].

27. Quoad executionem decretorum Conc. Trid. de Ref. circa regulares, etiam exemptos [5].

28. Quoad executionem voluntatis testatorum, et redditionem rationis, si ipsis regularibus commissa fuerit executio [6].

29. Quoad visitationem confraternitatum, in eorum ecclesiis erectarum, et redditionem rationis propter administrationem dictarum confraternitatum, et hospitalium [7].

[1] Cit. const. Alexandri VII.

[2] Cap. XVII et XVIII, Sess. XXV de Regul., et ex decretis Congr. Conc. in *Limana* 19 Nov. 1625, in *Burgen.* 4 Decembr. 1627, in *Derthonen.* 16 Dec. 1545

[3] Cap. XVI eiusdem Sess.

[4] Cap. XIX eiusdem Sess.

[5] Cap. XXII eiusdem Sess.

[6] Clementina *Religiosi de testamen.* Adeatur Fagnan. in cap. *Tua notis,* n. 19 et 49.

[7] Cap. VIII et IX, Sess. XXII de Ref. et ex Decreto Congr. Conc. relato a Fagnano loc. cit., n. 47.

30. Quoad erectionem confraternitatum sine consensu episcopi [1].

31. Quoad constructionem oratoriorum, vel cappellarum in locis non exemptis sine licentia Episcopi, et celebrationem missarum in iisdem, aliter constructis, quocumque tempore, et potissimum tempore generalis interdicti [2], sicuti et quoad punitionem propter celebrationem missae in oratoriis privatis *domicellorum* diebus exceptis, vel postquam eadem die fuit ibidem iam celebrata unica missa, in Apostolico indulto concessa [3].

Quemadmodum propter erectionem altaris portatilis, in domo privatorum, ut ibi celebrent, et Viaticum ministrent religioso infirmo sine Episcopi, vel parochi licentia [4].

32. Quoad declarationem de incursu in excommunicationem, si absque licentia Episcopi, vel parochi ministraverint laicis infirmis, etiam hospitantibus in eorum conventibus, viaticum, et extremam unctionem [5].

33. Quoad punitionem propter sollicitationem in confessione, sicuti si docuerint poenitentes non teneri ad denunciationem confessarii sollicitantis [6].

34. Quoad causas fidei [7].

35. Quoad iudicium subeundum, si degunt extra monasteria, ratione delicti, contractus, et rei, de qua agitur: item quoad co-

[1] Const. Clementis VIII *Quaecumque* 7 Decembr. 1604, § 2.

[2] Cap. 4 *Auctoritate* de priv. in 6.

[3] Decreto Congr. Conc. in *Neapolitana* 30 Maii 1699, et ex decreto Clement. XI de Oratoriis privatis, *Quoniam Sancta* 15 Decembr. 1703.

[4] Decreto Congr. Conc. in *Messanen.* 28 Sept. 1698.

[5] Clementina I *Religiosi* de priv., et etiam pluribus declarationibus Congr. Conc. in *Nullius* 19 Sept. 1637 in *Crem.* 27 Febr. 1645 in *Ripana* 3 Febr. 1694, et in *Neap.* 5 Iunii 1710.

[6] Greg. XV *Universi dominici* 30 Augusti 1622, et Ben. XIV *Sacram. Poenit.* 1 Iun. 1741.

[7] Trid. cap. II Sess. V. de Reform., et ex const. Pauli V *Romanus Pontifex* 1 Sept. 1606, et ex cit. const. Gregorii XV.

gnitionem causarum civilium mercedum, et miserabilium personarum; sed quoad delictum excipiuntur, si certum ab Apostolica Sede iudicem obtinuerunt ex Trident. [1]

36. Quoad cognitionem et definitionem causarum, quae cognosci debuissent ab eorum iudicibus conservatoribus, si his ausi fuerint aliter uti, quam iuxta formam praescriptam a Gregorio XV [2].

37. Quoad absolutionem a suspensione incursa ob benedictionem nuptialem datam sponsis alterius parochi sine huius licentia [3].

38. Quoad denunciationem publice faciendam ab episcopo, quoties ei constiterit, regulares incurrisse censuras, quae ipso facto incurruntur; dummodo haec denunciatio animarum saluti profutura videatur [4].

39. Quoad violationem immunitatis ecclesiasticae [5].

40. Quoad offensionem ipsi episcopo a regularibus etiam S. Ioannis Hierosolymitani illatam, et quoad impedimentum iurisdictionis praelatorum, ne munus suum exequantur [6].

41. Quoad laesionem ministrorum, et officialium curiae episcopalis [7].

42. Quoad praestanda Episcopo debita obsequia, et baldachini erectionem in eius accessu ad illorum ecclesias, pro ibi celebrandis pontificalibus: quod si facere renuant, potest idem Episcopus absque alia monitione interdictum ecclesiae indicere, et denuntiare [8].

43. Quoad punitionem delicti commissi contra personas infra

[1] Cap. XIV, Sess. VII, et cap. 1 *Volentes* de privil. in 6.

[2] Const. *Sanctissimus* 20 Sep. 1621.

[3] Trid. cap. VII, Sess. XXIV de Ref. matrim.

[4] Clementina I *Religiosi* de privil.

[5] Const. Greg. XIV *Cum alias* 24 Maii 1591, et Bened. XIII *Ex quo* 6. Id. Iunii 1725, et ex decreto Congr. Immunitatis 3 Februar. 1637 et in *Papien.* 28 Iulii 1736.

[6] Decreto Congreg. Conc. approbato a Gregorio XIII relato a Fagnan. in cap. *Grave gerimus* de Offic. ordin., n. 79.

[7] Decr. Congr. Episc. et Regul. 27 Martii 1692.

[8] Decr. Congr. Conc. in *Venafrana Interdicti* 26 Ian. 1697.

septa, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem monasteriorum monialium, ipsi regularibus subiectarum [1].

44. Quoad coercitionem per censuras propter benedictionem ecclesiasticorum, et sacrorum paramentorum ab ipsis factam pro usu aliarum ecclesiarum [2].

45. Quoad prohibitionem, ne in eorum ecclesiis canantur cantilenae, et laudes idiomate italico [3].

46. Quoad spectantia ad venerationem eorum, qui cum sanctitatis opinione, vel fama martyrii ex hac vita migrarunt [4].

47. Quoad punitionem asserentium, Beatam Virginem conceptam esse cum peccato originali [5]. Ubi tamen advertendum est, post dogmaticam definitionem Immaculatae Conceptionis Beatae Virginis, causam hanc ad fidei causas esse revocandam.

48. Quoad punitionem propter missae celebrationem, et exceptionem confessionis sacramentalis, antequam promoti fuerint ad sacrum presbyteratus ordinem [6].

49. Quoad receptionem in eorum ecclesiis parochialibus missionariorum, quos episcopus miserit, tamquam praenuncios visitationis a se explendae [7].

50. Quoad punitionem (et quidem privative quoad ipsorum superiores) propter tonsionem, aut falsificationem, aut adulterationem monetarum : necnon propter falsificationem, aut adulterationem ce-

[1] Const. Greg. XV. *Inscrutabili* 5 Febr. 1622.

[2] Decreto Congr. Rituum in decretis generalibus emanatis 27 Sept. 1659 et 20 Iul. 1660 confirmatis, et approbatis ab Alexandro VII.

[3] Decreto eiusdem Congreg. in *Novarien.* 7 Augusti 1628, in *Hispalen.* 3 Septembris 1695 et 24 Novembr. 1696.

[4] Const. Urbani VIII *Caelestis Hierusalem* 5 Iul. 1633.

[5] Const. Greg. XV *Sanctissimus* 24 Maii 1622 et Alexan. VII *Sollicitudo* 8 Dec. 1661.

[6] Const. Greg. XIII *Officii* 6 Augusti 1574, Clementis VIII *Etsi alias* 1 Decembr. 1601, Urbani VIII *Apostolatus officium* 23 Maii 1628 ac Bened. XIV *Sacerdos in aeternum* 20 Apr. 1744.

[7] Const. Bened. XIV *Firmandis* § 5, 6 nov. 1744.

dularum montis pietatis, et mensae nummulariae S. Spiritus; sicuti et si has sic falsificatas, et alteratas expenderint [1].

51. Quoad punitionem, (et privative quoad eorum superiores), propter assistentiam praestitam in celebratione matrimonii sine praevia Episcopi, sive parochi contrahentium licentia [2].

52. Quoad munus exorcizandi, sive in eorum, sive in aliena ecclesia, sive extra, sive intra conventum absque Episcopi licentia, sub poenis ab eodem infligendis [3].

53. Quoad punitionem, si libros de rebus sacris, aliosque impresserint, vel imprimi fecerint sine nomine auctoris, aut illos venderint, vel apud se retinuerint absque episcopi, et suorum superiorum examine, et approbatione [4].

54. Quoad taxationem numeri in monasteriis monialium eisdem subiectarum, faciendam [5].

55. Quoad erectionem novorum conventuum tam virorum, quam mulierum [6].

56. Quoad iudicium ferendum super praetensa nullitate professionis, una cum eorum superiore locali tamquam coniudicibus; et si agatur de monialibus, una cum superiore monasterii, cui universum illius regimen commissum est [7].

[1] Const. Urbani VIII *Superna* 13 nov. 1627 et Ben. XIV *Ad curam nostram* 31 oct. 1756.

[2] Const. Greg. XV *Inscrutabili*, 5 feb. 1622.

[3] Decreto Cong. Episcop. et Reg. 22 februarii 1625 et const. Ben. XIV *Magno cum animi nostri* § 34, 2 iunii 1751.

[4] Iuxta decretum Concilii Lateranensis V innovatum, et confirmatum a Trid. Sess. 4, in decreto de edit. et usu Sacror. Libror., et ex const. Leonis X *Inter sollicitudines* IV maii 1515 ac Urban. VIII *Sanctissimus* 18 sept. 1625.

[5] Iuxta cap. III, Sess. XXV *de Reg.* quae ex decr. Cong. Conc. relato a Fagnano in cap. 19 *Grave gerimus* de Offic. ordin. n. 52, pertinet ad episcopum simul cum eorum superiore, ex const. Greg. XIII *Deo Sacris* 30 decemb. 1572.

[6] Cit. cap. III, Sess. XXV Trid., et const. Clem. VIII *Quoniam* 26 augusti 1603 Greg. XV *Cum alias* 17 aug. 1622, et Urbani VIII *Romanus Pontifex* 28 augusti 1624.

[7] Cap. XIX, Sess. XXV *de Reg.*, et const. Ben. XIV *Si datum* 4 martii 1748

Quamvis nomine superioris intelligatur superior localis conventus in quo reclamans assignatus est de familia, et non supremus ordinis [1], deduci tamen potest causa coram provinciali, vel generali si ita ordinis constitutiones disponant [2].

57. Quoad poenam subeundam, centum nempe ducatorum, si die sabbati maioris hebdomadae pulsaverint in eorum ecclesiis campanas, antequam pulsaverit campana cathedralis, vel maioris ecclesiae [3].

58. Quoad omnimodam iurisdictionem, ut subiectionem apostatarum et etiam legitime eiectorum [4].

Circa tamen Episcopi facultatem puniendi religiosos intra claustra viventes et extra quomodolibet delinquentes, attendenda sunt animadversa a P. Gaudentio de Ianua [5]. « Nihilominus pro Regularibus omnibus absque distinctione inter mendicantes si intra claustra vivant, quamvis extra claustra quomodolibet delinquant, quod subsint iurisdictioni et punitioni propriorum Superiorum privative, nisi quatenus, negligentibus Superioribus sontes punire scandalosos, iurisdictio ad Episcopos devolvatur in terminis Concilii Tridentini, adest Motus proprius Bened. XIII editus quidem ad dirimendas lites, quoad hoc inter Neapolitanum Nuntium et Abbatem generalem pro tempore Montis Virginis, sed pro omnibus Regularibus et Episcopis ex altera parte vigorem eumdem praeseferens, ut evidens erit legenti. In praedicto autem Motu proprio haec leguntur: Ex auctoritate nostra ap. declaramus et decernimus privilegia concessa dicto Rm̃o Nuntio per eundem Clementem VIII non aliter intelligi posse et debere, quam de facultate procedendi contra *cuiuscumque*

quod Trid. decretum Cong. Conc. teste Fagnan. loc. cit. n. 72, declaravit locum habere, tam si professus nullitatem allegat, quam si religio velit illum expellere, tamquam nulliter professum.

[1] Cong. Conc. in *Maten.* et *Romana* 7 apr. 1629.

[2] Reiff. Lib. III, tit. 31 *de Reg.* § 7, n. 197.

[3] Const. Leonis X *Dum intra* 19 dec. 1516. § 14.

[4] Constitut. Urbani VIII *Sacra Congregatio* 21 sept. 1624.

[5] Tom. II *de visit. Praelat. Reg.*, cap. 4, Dub. 10, n. 46.

Ordinis Regulares exemptos, qui tamen sint devii et errantes, et extra claustra in delicto deprehendantur, nullam propterea ipsi competiisse neque competere facultatem procedendi *privative* neque *cumulative* contra *Monachos* et *Regulares degentes in conventibus et monasteriis sub obedientia Abbatum aliorumque Superiorum,* et cum aliis requisitis per Concilium Tridentinum praescriptis, respectu enim istorum *totam iurisdictionem privative spectare ad Superiores regulares,* etiam *monachi seu Regulares extra claustra ita notorie* deliquerint, ut populo *scandalum publice oriatur.* Iuxta dispositionem Concilii Tridentini in supra relato capite et in casu negligentiae Superiorum regularium esse locum praefictioni termini, sicut ab Episcopo ita etiam a R. Nuntio, ut eo transacto, iurisdictio ad ipsum devolvatur iuxta censuram Concilii praedicti. Nec in Constitutione Clementis XII *Romanus Pontifex* 7 kal. apr. 1732, legitur hic Motus proprius revocatus, utpote Concilio Tridentino omnino conformis ».

An autem liceat Episcopo contra eosdem Regulares procedere per censuras excommunicationis, suspensionis et interdicti respective localis quam personalis in iis casibus, in quibus ei indulta legitur facultas eos puniendi, non levis est controversia inter DD. Verior sententia est, ut per eas procedere possit in iis dumtaxat casibus, in quibus vel a Tridentino vel a Constitutionibus apostolicis sacrarumque Congregationum decretis, expressa eidem tributa legitur facultas procedendi per censuras [1].

Quod spectat ad locutionem cum monialibus videtur hodie eam impertiri posse indiscriminatim ab Ordinariis [2].

[1] Passerinus *de statu homin.* T. III, p. 189, art. 10.

[2] Gaudentius T. I, cap. 4, dub. 11.

Appendix III.

Casus in quibus regulares Episcopi non subduntur.

1. In audiendis confessionibus religiosorum proprii ordinis, pro quibus episcopi approbatione non indigent.

2. Nec pro audiendis confessionibus illorum saecularium, qui ipsis inserviunt, ac simul sunt vere de familia, ac continui commensales eorum monasteriorum, aut collegiorum, quas excipere possunt confessarii a superioribus regularibus approbati [1].

3. Non possunt Episcopi regularibus approbatis pro audiendis saecularium confessionibus limitare aut tempus, etiam paschale, aut certa loca, aut personarum genus in iis excipiendis, nec prohibere, ne infirmorum confessiones audiant absque sua, aut parochi licentia. Possunt tamen eis praecipere sub poena suspensionis ab iisdem confessionibus audiendis, si post auditam eorumdem infirmorum confessionem, illico eorum parochum certiorem non redderent, aut oretenus, aut per scripturam apud ipsos infirmos relinquendam [2], (Romae id culpabiliter non facientes, hanc suspensionem incurrunt ipso facto). Praedictae limitationes prohibitae etiam fuerunt ipsis episcopis a Cong. Conc. cum approbatione Greg. XV et Urbani VIII [3].

Circa tamen locum, et tempus, in quo audiri nequeunt mulierum confessiones [4], prohibere possunt episcopi confessariis, etiam regularibus, ne eas audiant extra confessionale, nec in eius parte anteriori, sed a latere cum crate perforata, et hoc situm sit in loco publico, ut videri ab omnibus possit [5].

[1] Cit. const. Clem. X *Superna* 11 Kal. iulii 1670.

[2] Ead. const. *Superna*.

[3] In responso ad II. dubium inter alia ibi proposita, relata in calce const. dicti Greg. *Inscrutabili* 5 feb. 1622.

[4] Epistola encyclica Cong. S. Inquisitionis, sub die 14 dec. 1694.

[5] Decr. autem S. Congr. sub die 21 ian. 1620: *Mulierum confessiones post crepusculum vespertinum, et ante auroram sine necessitate audiri non debent.*

4. Nec possunt, inconsulta Sede Apostol. omnibus simul unius conventus confessariis, iam a se, vel a suis antecessoribus approbatis, adimere facultatem audiendi confessiones « vix enim fieri potest ut haec sine scandalo magnaque animarum pernicie contingant » [1]; licet ex rationabili causa aliquos suspendere eis liceat [2].

5. Nec possunt visitare altaria ecclesiarum regularium, quibus cura animarum saecularium non incumbit, aut loca, ubi in dictis ecclesiis asservatur SS. Eucharistiae sacramentum, vel ubi audiuntur saecularium confessiones [3], excipiuntur tamen mulierum confessiones, ut supra.

6. Nec possunt confirmare abbatissas monialium regularibus subiectarum, ex responso laudatae Congr. ad dubium V relatum ut supra.

7. Nec possunt punire eosdem regulares, degentes in parochiis monasterio unitis, si non delinquant circa curam animarum et Sacramentorum administrationem [4].

Non possunt confessarios regulares non parochos cogere ut accedant ad conferentias casuum conscientiae [5]. Episcopi tamen illarum dioecesium quas complectitur Conc. Romanum celebratum sub Bened. XIII an. 1725 eos suspendere possunt ab audiendis confessionibus si ad dictas conferentias non accedant sicut et ad sacrorum rituum disceptationes quater habendas quolibet mense nec non ad lectionem S. Scripturae diebus et horis ab Episcopo praefiniendis quatenus haec omnia in eorum monasteriis non habentur.

8. Non possunt praetendere, ut in visitatione clausurae monialium, regularibus subiectarum, sibi erigatur baldachinum, sed ut stratum dumtaxat praeparetur [6].

[1] S. Cong. Epp. et Regg. 20 nov. 1615.

[2] Cit. const. *Superna*.

[3] Ut ex responso Cong. Conc. ad I dubium inter alia relata post mox cit. constit. Gregorii.

[4] Declaratione dictae Cong. Conc. relata a Fagnan. in cap. 19 *Grave gerimus*, n. 35, de offic. ordinarii.

[5] Sac. Congr. super statu Reg. 15 Ianuarii 1682.

[6] Decreto Cong. Conc. 19 ian. 1686 relato ab eodem Ferraris *Prompta bibliotheca*, verbo *Regulares*, art. 2, n. 66.

9. Non possunt convenire regulares intra claustra degentes, et habentes suos conservatores, legitime electos, in causis civilibus, cum conveniri tantum debeant coram dictis conservatoribus, aut suis superioribus, ex decreto dictae Cong. relato a Fagnano [1].

10. Non possunt compellere ad exhibendos libros sacristiae, in quibus adnotantur celebrationes missarum, ut inde constare possit de integra satisfactione obligationis debitae ex legato pio [2].

11. Non possunt visitare domum annexam ecclesiae parochiali, et a monasterio seiunctam, in quo regulares parochi habitant [3].

12. Non possunt declarare regularem sicuti et quemcumque alium ab illorum iurisdictione exemptum, percussorem clerici, esse excommunicatum vitandum, si percussio sit tantum publica. Possunt tamen eum excommunicatum denuntiare [4].

Si vero percussio sit notoria, possunt etiam declarare excommunicatum [5].

13. Non possunt episcopi examinare sententiam expulsionis a religione, latam a iudice regulari, et de eius iustitia, vel iniustitia iudicare: in decreto enim S. Congregationis Conc. *de apostatis et de haereticis* § VII praecipitur, ut provincialis, aut alius superior, ad quem spectat sententiam expulsionis ferre, teneatur hanc ordinario dumtaxat notificare, ut expulsum tamquam sibi subditum de novo factum agnoscat, gubernet et puniat [6].

14. Nec ex eadem ratione possunt censuris compellere superiores reluctantes recipere expulsos, licet correctos, cum spectet ad S. C. vel Summum Pontificem, cui regulares immediate sunt subiecti; non obstante decretali Greg. IX relata in Cap. 24 *de Regul.*

[1] Cap. 11. *Tuarum* de priv., et const. Pauli V *Religiosorum* 14 aug. 1607.

[2] Decreto laudatae Cong. in *Urbinaten.* 10 martii 1663 ad cap. 18 Trident. Sess. (lib. 23 decr. pag. 456).

[3] Decr. dictae Cong. relato a Fagnan. in cit. c. *Grave gerimus* n. 26.

[4] Cf. Petra in Const. XI Alex. VII.

[5] Ut ex pluribus decretis eiusdem Cong. a dicto Petra relatis loc. cit. n. 13, et in causa *Mediolanen. Censurarum,* in responso ad II dubium.

[6] Ita de Amoeno Tom. I, tit. 5, verb. *Poenarum genera,* n. 159 et 160.

in qua statuitur, quod si eiecti, et emendati in monasteriis suis recipi possunt, tunc superiores ordinis, monitione praevia per ecclesiasticas censuras compellantur ad ipsorum receptionem; si vero in iis recipi nequeant, collocentur in alio monasterio eiusdem ordinis; quia in ea sermo est de monachis non exemptis; si enim de iis non ageretur, non possunt episcopi expulsum ab uno monasterio in alio collocare [1].

Appendix IV.

Recensentur ea quae in constitutione Romanos Pontifices *decreta sunt quoad exemptionem regularium in locis missionum.*

1. Omnes missionum rectores cleri collationibus adesse ex officio debent, iisdemque interesse Vicarii aliique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia parvasque missionum domos incolunt. Quoad eorum vero praesentiam in synodis dioecesanis, observanda sunt decreta Conc. Tridentini.

2. Fas est regularibus appellare in devolutivo tantum quoad interpretationem decretorum synodalium, quae de iure communi, sive ordinario, sive delegato regulares etiam afficiunt; quo vero ad interpretationem aliorum decretorum, etiam in suspensivo.

3. Licet Episcopis missiones dividere, servata forma Conc. Tridentini, quoad missiones, quae sunt vere proprieque dictae paroeciae. Quoad reliquas vero, ad formam Synodi Provincialis Westmonasteriensis, scilicet, licebit Episcopo de consilio capituli intra limites missionis novas ecclesias condere, ac portionem districtus iis attribuere, si necessitas aut utilitas populi fidelis id requirat. Quo melius autem missioni, quae dividenda sit, eiusque administris prospiciatur, sententia quoque rectoris praecipitur exquirenda, et si a religiosis sodalibus missio administretur, praefectus Ordinis audiendus, salvo iure appellandi, si res postulet, a decreto episcopali ad S. Sedem in devolutivo tantum.

[1] Ut cum communi firmat laudatus de Amoeno de incorrigibilium expulsione Tom. 2, Part. III. q. 1, n. 3, et q. 10, n. 72.

4. In praeficiendo rectore missioni, quae nova erigitur per divisionem missionis cui regulares praefecti sunt, non est opus ut iidem religiosi sodales ceteris sacerdotibus praeferantur.

5. Quoad visitationem coemeteriorum et piorum locorum, quae intra fines missionum sita sunt, sacrorum canonum et constitutionum Apostolicarum praescripta servanda sunt; scilicet, si agatur de coemeteriis et locis piis, quae solis religiosis familiis reservantur, ea ab Episcopi iurisdictione et proinde a visitatione exempta sunt; contra, si de aliis.

6. Episcopi ius habent visitandi scholas pauperum in missionibus et paroeciis regularibus, aeque ac in saecularibus. Quoad vero ceteras scholas et collegia, in quibus religiosi viri secundum ordinis sui praescripta iuventuti catholicae instituendae operam dare solent, firma atque integra manent privilegia, quae illis ab Apostolica Sede collata sunt.

7. Sodalibus religiosis non licet novas sibi sedes constituere, erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae.

8. Religiosis sodalibus non licet ea instituta in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem.

9. Religiosi sodales, redditis Episcopo rationibus, docere debent de pecunia intuitu missionum sibi allata, et quantum de ea, et quos in usus impenderint, aeque ac missionarii e clero saeculari. Quid vero censeri debeat oblatum intuitu missionum, iudicandum est ex normis praefinitis in Synodo Provinciali II Westmonasteriensi.

ARTICULUS IV.

De Episcoporum Privilegiis.

276. Postquam egimus de Episcoporum officiis eorumque potestate, gradum facimus, ut par est, ad eorum privilegia investiganda. Ex pluribus vero privilegiis episcopali dignitati per sacros canones at-

tributis praecipua tantum recensebimus. Sunt autem: 1) ut possint Episcopi extra ecclesiam celebrare in altari portatili, tam in propria, quam etiam in aliena dioecesi, inconsulto Ordinario loci [1], et, propria celebrata, aliam audire etiam in festis solemnioribus [2]. Attamen Episcopi hoc privilegio uti debent cum his restrictionibus: ut non celebrent nec celebrari faciant in cubiculo ubi cubari solent; ut non celebrent extra propriae habitationis domum, in domibus laicis etiam in propria dioecesi, a fortiori vero in aliena, etiamsi dioecesani consensus accederet [3]. Excipiendae sunt domus, in quibus visitationis aut itineris causa diversantur, vel (cum eis licet) moram faciunt [4]. 2) Quod possint habere in episcopali palatio stabilem Cappellam, in qua tam ipsi quam alii sacrum faciant. Imo talia oratoria, quae extant in eorum domibus, instar publica habentur, ideoque festivis diebus quotquot ibi Missae intersunt satisfaciunt praecepto, idque etiam Episcopo absente aut vacua Sede [5]. Et si plura sint in eodem palatio Oratoria, omnia eodem iure censentur [6]. Verum haec de *Episcopis dioecesanis* intelligenda sunt, non de *Titularibus*. Domus autem intelliguntur, non quas utcumque habitant, ex. gr. in agro rusticandi causa, sed sedes in quibus sive in ipsa civitate episcopali, sive extra, habitualiter resident. 3) Habent privilegium extra propriam dioecesim sibi eligendi confessarium sacerdotem quem possunt secum ducere in diversa loca: hic tamen, si non est illis subditus, debet ab Ordinario loci esse approbatus. 4) Possunt habere in suo servitio duos Canonicos, qui praebendarum fructus in absentia percipiunt. 5) Possunt uti insignibus pontificalibus in locis exemptis suae dioecesis. 6) In suspensionem aut interdictum iure latum numquam incurrunt, nisi Epi-

[1] Bened. XIV Const. *Magno* 2 Junii 1751.

[2] S. Rit. Congr. 22 Aug. 1818.

[3] Clemens XI Const. *Quoniam sancta* 15 Dec. 1703.

[4] Innoc. XIII Const. *Apostolici ministerii*.

[5] S. Rit. Congr. 2 Iulii 1661.

[6] Gattic. *de Orat. dom.* Cap. XVII, 4.

scopi expressa mentio fiat. 7) Solius eorum testimonio creditur in foro. 8) Indulgentias, limitatas tamen et temporales, concedere possunt, nempe in dedicatione ecclesiae unius anni indulgentias, in anniversario dedicationis, vel alias, indulgentias 40 dierum. 9) Graviores eorum causae nonnisi a Romano Pontifice iudicari possunt [1]. 10) Possunt celebrare, vel concedere Cappellanis suis ut in domestico sacello celebrent, pro suo vel familiae commodo missam, ante auroram vel post meridiem. 11) Demum dum aegrotant, morbo ingravescente, ministrare eis viaticum et extremam unctionem pertinet ad primam dignitatem Capituli. Sac. Congr. Concil. die 7 Iunii 1760 declaravit Episcopum posse eligere a quo ungi malit, seu sacristam id est maiorem Capituli sui dignitatem, seu Parochum. Porro notandum est quod privilegia quae in sola facultate aliquid agendi consistunt, non amittuntur ab Episcopo per non usum quantocumque tempore continuatum.

ARTICULUS V.

De Episcopi oneribus.

277. Honorem quemlibet peculiare ac proprium comitatur onus. Hinc episcopalis dignitas suis non destituitur obligationibus, tum in suscipiendo, tum maxime in exercendo episcopatu, quas in hoc Articulo perstringemus.

Porro in episcopatus susceptione duo sunt commemoratu digna, scilicet Professio fidei, quae fieri ab Episcopo debet coram Apostolica Sede ante confirmationem [2], idque etiam per Procuratorem; et iuramentum fidelitatis erga Romanum Pontificem, quod praestari solet in ipsa consecratione.

Quod autem attinet ad onera quae Episcopo in exercendo episcopatu incumbunt, praeter ea omnia quae in eiusmodi officio ad-

[1] Conc. Trid. Sess. XIII, Cap. VIII de Ref. Cf. BARBOSA *de off. et potest. Episc.* P. 3, All. 112, n. 21.

[2] Greg. XIV Const. *Onus apostolicae* 15 Maii 1595.

implendo continentur, haec potissimum commemoranda sunt: 1) Collatio ordinum et confirmationis; 2) Convocatio synodi dioecesanae; 3) Praedicatio; 4) Celebratio missae pro populo; 5) Residentia; 6) Visitatio dioecesis; 7) Visitatio sacrorum liminum.

Et quoad collationem ordinum et administrationem confirmationis, cum de utraque in capite de Sacramentis acturi simus, heic notasse sufficiat quod ex praescripto Conc. Trid. [1] debent Episcopi per se ipsos ordines conferre. Quod si aegritudine impediti sint, subditos, non aliter quam probatos et examinatos, alteri Episcopo ordinandos committere debent. Quamvis autem Concilium de sola aegritudine loquatur, eo tamen nomine quodvis aliud similiter grave ac rationabile impedimentum venire docent Doctores.

Quoad confirmationem tenentur Episcopi eam administrare. Quamvis autem iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam quolibet tempore eam conferre liceat, ut plurimum tamen ea solet ministrari sacrae visitationis tempore [2]. His praestitutis ad alia exquirenda onera progredimur, quod distinctis paragraphis praestabimus.

§ 1. — *De Convocatione Synodi Dioecesanae.*

278. Concilium Tridentinum [3] decrevit Episcopos synodum dioecesanam singulis annis celebrare debere, atque ad huius capitis disciplinam redintegrandam subsequentes Pontifices maxime institerunt utpote dioecesis bono maxime utilem. Siquidem est synodus coetus publicus virorum ecclesiasticorum ab eorum Episcopo coactus, ut una cum eo consilia sua conferat de negotiis quae ad pastoralem dioeceseos curam pertinent.

De synodo agentes rem totam ita distributam exponemus ut: 1) agamus de personis quibus coalescit; 2) de obiecto circa quod versatur; 3) de eiusdem adiunctis ac legibus; 4) de publicatione.

[1] Sess. XXIII, Cap. III, Sess. XXIV, Cap. V de Ref.

[2] Bened. XIV *Inst. Eccl.* 6, n. 2.

[3] Cap. II, Sess. XXIV de Reform.

279. De personis quaerendum quae sint et ad quid teneantur. iam ut a primo exordiamur, quadruplex earum gradus constitui potest, in quorum primo est Episcopus; in alio ii, qui et vocari debent et adesse tenentur; in tertio ii qui praetermitti possunt, sed vocati tenentur adesse; in quarto ii qui nonnisi quibusdam in casibus ad synodum possunt compelli.

Episcopi partes in sua synodo ex hac formula intelligi facile possunt, quod ipse non modo eiusmodi synodi est praeses, sed unus est, qui in eadem ius habet ferendi leges et quamvis adstantium consilium exposcat, non tamen cogitur illud sequi. Unde sequitur: ad eum pertinere non modo synodum indicere, eique praeesse [1], verum etiam res deliberandas proponere, easque (nisi de re agatur, in qua Capituli consensum iura exigunt), auditis aliorum sententiis, suo arbitrio definire, adeoque decreta suo nomine inscribere, et solum subsignare [2]. Contra nihil posse extra sententiam synodi (idest extra synodum) aut saltem Capituli Cathedralis, tamquam synodicum decretum promulgare, nisi forte S. Congr. Conc. eiusmodi vitium sanet [3]. Diximus *tamquam synodicum decretum*; vidimus enim, Episcopum etiam extra synodum habere ius ferendi leges, adeoque easdem posse auctoritate sua indicere.

Post Episcopum ii sequuntur, qui et vocari debent et adesse tenentur. Hi vero sunt, inter eos qui iurisdictioni Episcopi subsunt: *a*) Si qui sunt Praelati, seu Abbates non exempti sive saeculares sive regulares. *b*) Qui dignitatem habent, aut personatum, aut officia. *c*) Canonici Ecclesiae Cathedralis. *d*) Parochi et Vicarii curati perpetui, adeoque non ad nutum amovibiles. *e*) Quibus consuetudo ius atque onus eiusmodi detulit. Inter eos qui a iurisdictione Episcopi eximuntur sunt: *a*) Parochi alias exempti sive regulares [4];

[1] Vicarius generalis Synodum convocare potest quoties ad id mandatum habuit sicut decidit S. C. Concilii 4 dec. 1653.

[2] Bened. XIV De synod. Dioec. lib. 13, cap. 1 et 2.

[3] Bened. XIV l. c.

[4] Trid. Sess. XXIV, Cap. II de Ref.; Ben. XIV, loc. cit., c. 1, n. 8. seqq.

b) qui Praelato nullius subduntur, cuius territorium vel intra Episcopi dioecesim est, vel eiusdem Cathedrali est vicinum [1].

Qui porro ad tertiam classem pertinent, seu qui praetermitti quidem possunt, sed, vocati si fuerint, adesse tenentur sunt: *a*) Vicarii tum generales tum foranei [2]. *b*) Canonici Collegiatarum saltem per suos deputatos, si extra locum morentur, ubi synodus habetur. *c*) Canonici iubilati. *d*) Alii ecclesiae Cathedralis beneficiati, qui canonici non sunt. (Idem loc. cit. n. 4). *e*) Superiores Conventuum, qui sex habent religiosos, adeoque Episcopi iurisdictioni subduntur. *f*) Abbates conventuum, quorum monasterium capitulo generali aliorum monasteriorum eiusmodi ordinis non subditur [3]. *g*) Quibus consuetudo tale onus imposuit [4]. Episcopus non potest cogere ad accedendum ad Synodum habentes beneficia simplicia, nisi ex consuetudine aliud observatum fuerit [5].

Qui nonnullis tantum in casibus compelli ad synodum possunt, idest si agatur vel de re ad omnes clericos pertinente, vel de morum disciplina, Clerici omnes sunt, qui vel simplex tantum beneficium obtinent [6].

280. Ad obligationes vero quod attinet quibus hi tenentur, cum ad unam illam redigantur, ut ad synodum accedant neque ab ea sine venia Episcopi recedere debeant, hinc duo tantum, quae inde dimanant, satis est heic animadvertisse: *a*) Accedere negligentes, arbitrio Episcopi puniendos esse, etiamsi quoad cetera exempti sint, excepta multa pecuniaria quoad regulares [7]. *b*) Qui legitima causa im-

[1] Quoad personas exemptas distinguendum est inter eas qui capitulis generalibus minime subduntur ab iis qui capitulis generalibus sunt adstricti. Primi ad synodum accedere tenentur et synodi definitionibus subduntur, secundi ad synodum vocandi sunt et accedere tenentur si parochiales vel alias saeculares Ecclesias administrent.

[2] Ben. XIV loc. cit.

[3] Trid. Sess. XXIV, C. II de Ref.; Ben. XIV loc. cit. C. 1, n. 8. seq.

[4] Ben. XIV loc. cit. C. 6, n. 5. seqq.

[5] S. Congr. Conc. *Tulen.* 17 Mart. 1593.

[6] Ben. XIV loc. cit. C. 6, n. 1. seqq.

[7] Ben. XIV loc. cit. L. 3, C. 12, n. 1.

pediuntur, eam Episcopo significare debent, qui eamdem a iudicibus ad id deputatis examinandam curabit; legitima vero causa est gravis necessitas, et nominatim quoad Parochos defectus alterius sacerdotis, cui proprias oves committant maxime vero siqui tunc in paroecia periculose infirmantur.

281. De obiecto synodi dioecesanae haec dici possunt. Universim illud versatur in iis quae pertinent ad rectam dioecesis administrationem, praesertim vero ad morum disciplinam rite servandam; adeoque, in instruendis singulis circa propria officia, ac praecipue sacerdotibus quoad rectam sacramentorum administrationem; ita tamen ut de quaestionibus, quae in scholis agitantur nihil definiatur [1]. In abusibus publicisque vitiis detegendis corrigendisque. In edendis legibus ad disciplinam custodiendam opportunis, ita tamen, ut nihil statuatur, quod iuris communis aut superioris cuiusvis potestatis constitutionibus contrarium sit. In specie ex iure et consuetudine in synodo pertractantur quoque sequentia, quamvis etiam extra synodum perfici ab Episcopo possint. Ut concilii provincialis, quod proxime actum sit, decreta publicentur. Ut Cathedraticum Episcopo quotannis solvendum, decernatur et exigatur. Ut casus Episcopo reservandi definiantur. Ut redituum ratio a Seminarii deputatis exigatur [2]. Ut examinatores synodales, qui scilicet per unius anni spatium, parochialibus ecclesiis praeficiendos, examini subiiciant, sex minimum, neque tamen plures quam viginti, omnesque idonei nominatim seu personaliter eligantur, et a synodo per suffragia sive secreta sive publica probentur, ita ut absque facultate S. Sedis extra synodum eligi nequeant; ex electis autem in synodo si e senario numero aliquis intra annum deficiat, omnes ab officio cessant, neque alii suffici queunt absque eiusdem S. Sedis facultate [3]. Electi examinatores iuramentum praestare debent de munere suo fideliter adimplendo. Ut Apostolicae Sedi constare queat qui prae-

[1] Bened. XIV loc. cit. L. 7, C. 1 seqq.

[2] Ben. XIV l. c.

[3] Idem loc. cit. Lib. 4, C. 7 et seqq.

cipue sunt idonei ad ecclesiastica iudicia in partibus exercenda, Synodus Tridentina [1] gravissime iussit, singulis Conciliis provincialibus aut dioecesanis aliquot personas designari, ut praeter Ordinarios locorum iis etiam posthac causae ecclesiasticae ac spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandae committantur. Hinc Bened. XIV [2] commendat ut coactis Conciliis et Synodis talis eorum numerus definiatur, qui amplitudini ac frequentiae Dioeceseos respondere censeatur. Porro Iudices isti nulla pollent iurisdictione antequam a Sede Apostolica delegatam acceperint. Ex horum iudicum numero ius habent Regulares Ordines eligendi sibi, si velint, Conservatores.

282. Leges porro, quae synodi moderantur celebrationem, tres item in classes, praestat distribuere; quarum aliae synodum agendam disponunt, aliae coactam ordinant, aliae absolvunt. Priores in hoc continentur, ut praemittatur synodi indictio a legitima persona legitimoque tempore ac modo facta.

Persona legitima ad indicendam synodum is est, qui eiusdem congregandae ius habet, sive qui episcopali iurisdictione proprie dicta potitur; adeoque synodum indicere potest suo iure: 1) Episcopus; 2) Vicarius Capitularis, sede vacante, dummodo a priore synodo annus effluxerit; 3) Vicarius Apostolicus, qui ad ecclesiam vacantem regendam missus sit [3]. Potest, speciali mandato Summi Pontificis, Vicarius Apostolicus qui Episcopo in sua Sede existenti datus sit et Episcopi Vicarius Generalis. Non potest Praelatus inferior, licet habeat territorium prorsus separatum, ibique iurisdictionem quasi episcopalem exerceat, nisi forte alterutrum concurrat, scilicet Privilegium Apostolicum, quo tale ius eidem conferatur, vel vetus consuetudo, qua probetur eius quoque praedecessores tali iure usos fuisse.

Tempus quolibet saltem anno recurrit [4]. Modus his praecipue

[1] Sess. XXV, C. X de Ref.

[2] De syn. L. 4, Cap. 5.

[3] Bened. XIV de Synodo, Lib. 2, C. 5, n. 10.

[4] Trid. Conc. Sess. XXIV, Cap. II de Reform. Confer. Bened. XIV De Synod. Lib. 1, Cap. 6.

legibus temperatur: ut saltem per edictum generale, qui iure vel consuetudine vocari debent, vocentur, indicto die et loco, qui Ecclesia Cathedralis esse solet, quae si duplex forte sit, alternatim solet eligi ad simultates vitandas, licet Episcopo integrum sit in quolibet suae dioecesis loco Synodum celebrare. Ut populus quoque per singulas Paroecias praemoneatur ad preces pro felici exitu fundendas.

Synodo iam coacta, leges quae eam ordinant hae fere sunt. *a*) Quoad durationem, ut tres dies, nisi rerum agendarum necessitas aliud Episcopo suadeat, non excedat, qui dies propriis supplicationibus solent singuli consecrari, prout videre est in Pontificali Romano et apud Benedict. XIV [1]. *b*) Quoad ordinem in sedendo, ut primum locum habeat Episcopus, qui pontificalibus vestibus indui solet: deinde sequuntur ceteri in sacris quisque vestibus, quae suae dignitatis suique ordinis propriae sunt, nimirum: 1) Vicarius generalis; 2) Canonici et Beneficiarii Ecclesiae Cathedralis, quatenus capitulariter interveniunt; 3) Abbates; 4) Canonici Ecclesiae Cathedralis, si forte uti singuli adsint; 5) Canonici Ecclesiarum Collegiatarum quae intra civitatem sunt, iuxta dignitatem et antiquitatem Ecclesiae suae; 6) Item qui extra civitatem sunt, eademque ratione habita; 7) Vicarii foranei, qui Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum eatenus cedunt, quatenus hi capitulariter interveniunt; 8) Plebani seu Archipresbyteri rurales, nisi usus obtinuerit, ut una cum Parochis promiscue sedeant; 9) Parochi, qui non secus ac Plebani et Vicarii foranei iuxta tempus suae promotionis sedeant [2]. *c*) Quoad actus praevios, ut praemittantur: 1) quaedam ex doctis piisque theologis et canonistis congregationes adiumentis conquirendis ad efficaciter suaviterque eradicandos abusus, quos Episcopus, interrogatis ea de re Vicariis foraneis, Parochis, Monialium confessariis, aliisque probis et prudentibus viris, inolevisse in dioecesi deprehenderit [3]. 2) De-

[1] Loc. cit. Lib. 5, C. 1.

[2] Bened. XIV loc. cit. Lib. 3, C. 10.

[3] Idem Lib. 6, C. 1.

putatio Ministrorum Concilii, qui sunt: Praefectus hospitiorum, qui clericis advenientibus honesta hospitia paret; Promotor Synodi, qui celeriter ac fructuose omnia perficienda curet; Secretarius, qui futurae sessionis edictum affigi curet, Canonicos Cathedralis et insigniorum Collegiatarum ante primam sessionem nominatim per se vocet, inferiores autem clericos per socium, schedulas pro scrutinio seu clericorum examine paret, denique ut ordine omnia fiant, studeat; Socius Secretarii seu lector, qui Synodi decreta alta voce legat; Notarius, qui absentes notet, eorum nomina, qui fidei professionem emittunt, scribat in fine cuiuslibet sessionis ad instantiam Procuratoris Synodi, denique eorum quae decreta ac gesta sunt instrumentum conficiat; Praefecti Synodales, qui clericos omnes singulatim ad se accersant, eorumque vivendi rationem inquirant, ita scilicet, ut singulis eiusmodi Praefectis certa pars cleri in schedula a Secretario eis tradita, assignetur; Procurator Cleri, qui omnium nomine ea quae Clerus optat, ad Episcopum referat; Iudices querelarum et excusationum, qui controversias de ordine sedendi componant et excusationes non accedentium examinent. 3) Professio fidei a Beneficiariis emittenda qui prima vice ad Synodum accedunt. 4) Lectio decretorum Concilii Tridentini de residentia[1]; tum etiam decretorum Concilii provincialis, quod forte actum proxime sit. *d*) Quoad ordinem rerum agendarum: 1) ut constitutiones, quas Episcopus audito Capitulo scripsit, legantur idque ita, ut liberum Episcopo sit eorum qui adsunt sententiam requirere vel non; 2) ut peracta earum lectione (quae tres intra dies ut plurimum perfici solet), finis Synodo imponatur, impertita ab Episcopo tum clero tum populo benedictione, et quadraginta dierum indulgentia ab eodem concessa.

283. Superest, quod postremum est, nimirum Synodi publicatio, de qua inquirendum quomodo fiat et qui sit eiusdem effectus. Itaque publicatio eo modo generatim facienda est, qui sufficiens sit ad decretorum notitiam afferendam iis, quorum interest; adeoque quoad

[1] Sess. VI, Cap. 1 de Reform.

decreta, quae solum Clerum respiciunt, sufficit lectio quae in Synodo fit; quoad decreta, quae ad totum populum spectant, publicatio fiet vel per lectionem in ecclesia cathedrali, vel per edictum publice affixum, vel alio simili modo. Clerici dioecesani ad emenda synodi exemplaria cogi non possunt [1].

Effectus est obligatio, quae ligat Episcopi subditos, qui in Dioecesi sunt; idque ita, ut adversus ea nonnisi in devolutivo appellatio admitti possit, ut superius diximus.

§ 2. — *De Praedicatione Verbi Dei.*

284. Praedicandi munus ita proprium Episcopi est, ut si impeditus non sit, illud per sese explere teneatur [2]. Neque in eo negligendo contrariae consuetudinis nomine excusari potest [3]. Quod si fuerit legitime impeditus, illud per alios exequi omnino debet [4], qui etiam declarat ad quemnam electio praedicatoris tam in Cathedrali, quam in aliis inferioribus ecclesiis pertineat et cuinam incumbat onus eleemosynam eidem praestandi.

Licet autem Episcopo praedicare in quacumque Ecclesia etiam regulari suae dioecesis; sed nequit idipsum agere sine licentia Ordinarii in alia dioecesi [5]. Ipsius solum est praedicatores mittere in sua dioecesi et nec ipsis Regularibus licet, eo contradicente, concionari ad populum ne in Ecclesiis quidem suorum Ordinum [6].

Quo vero tempore ad populum suum verba facit Episcopus, eo Regulares quoque vel in suis ecclesiis debent tacere [7].

[1] S. Cong. Conc. in *Aquin.* Susp. et Conf. 28 Febr. 1750, in *Larinen.* 30 August. 1752.

[2] Conc. Trid. Sess. V, Cap. II, de Ref.

[3] Fagnanus in Cap. *Inter cetera* de off. Iud. ord. n. 11.

[4] Cf. Fagnan. l. c.

[5] S. Congr. Conc. in *Theat.* 12 Dec. 1614.

[6] Trid. Sess. XXIV, Cap. VI, de Ref.; Gregorius XV Const. *Inscrutabili.* Bened. XIV de Synodo L. 9, c. 15. Cf. App. I.

[7] Bened. XIV de Syn. L. 9, Cap. 17, n. 7.

§ 3. — *De applicatione Missae pro populo.*

285. Tenentur Episcopi missam pro populo applicare idque post adeptam possessionem ecclesiae [1]. Circa hanc obligationem Summus Pontifex Leo XIII. Constit. lata idib. Iunii 1883, decrevit omnes et singulos Episcopos quacumque dignitate etiam cardinalitia auctos, item Abbates iurisdictionem quasi episcopalem in Clerum et populum cum territorio separato habentes, in Dominicis aliisque festis diebus qui ex praecepto adhuc servantur et qui ex numero dierum festorum de praecepto sublati sunt, omni exiguitatis redituum excusatione remota, ad Missam pro populo sibi commisso celebrandam et applicandam teneri. Et ad omnem dubitationem removendam declaravit eosdem Episcopos et Abbates huic officio satis esse facturos per celebrationem unius missae pro universo populo sibi commisso, etiamsi duas vel plures dioeceses et abbatias aeque principaliter unitas regant. Quamvis enim Romanae Congregationes aliud decreverint de Parochis duas vel plures parochiales ecclesias aeque principaliter unitas regentibus, alia tamen est Parochorum, alia Episcoporum ratio. Opportunum etiam duxit declarare non obligari ad missam pro populo celebrandam Episcopos Titulares, de quibus inferius agendum.

Porro Episcopus qui officium Parochi exercet, non satisfacit obligationi, qua tenetur ob ipsum parochiale officium, applicatione missae pro suis dioecesanis. Hinc pro paroecia administranda Vicarium debet constituere et per illum debet satisfacere obligationi missae pro populo. Animadvertendum tamen iuxta Const. Bened. XIV *Cum semper oblatas* huiusmodi oneris rationem habendam esse dum eidem congrua statuitur [2].

Cum vero Episcopus in aliqua vacante cura vices Parochi gerit, onere non premitur missam applicandi pro illis paroecianis, etenim hoc in casu satis erit ipsum diebus statutis missam applicare

[1] S. Rit. Congr. 12 Nov. 1821.

[2] S. Congr. Fid. Prop. decreto die 23 Martii 1863.

pro suis dioecesanis, inter quos paroecia comprehenditur, quam per accidens administrat [1].

§ 4. — *De Residentia.*

286. Cum Pastor gregi suo teneatur advigilare et praesto esse, obligatur Episcopus ad commorandum assidue in loco sui tituli et ad ministerium pastorale exhibendum. Iam de residentia inquiremus: 1) cuiusmodi esse debeat: 2) quae sint poenae adversus delinquentes a sacris canonibus statutae: 3) quae causae ab eadem excusent.

287. Residentia definitur: commoratio laboriosa et assidua in Ecclesia aut in loco beneficii causa servitii ecclesiastici personaliter praestandi [2]. Porro huiusmodi residentia tribus continetur legibus, scilicet: 1) Episcopi persona, etiamsi habeat coadiutorem, saltem intra dioecesis ambitum commorari debet. Tempore autem Adventus, Quadragesimae, Nativitatis et Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi a cathedrali ecclesia abesse non potest, nisi forte ratio ipsa episcopalis muneris eum alio avocet intra suam dioecesim. 2) Curia seu tribunal Episcopi apud Ecclesiam cathedralem esse debet, etiamsi Episcopus in alia suae dioecesis parte commoretur. 3) Per duos vel tres menses, sive continuos sive interruptos, licet Episcopis singulis annis a sua dioecesi abesse, dummodo id fiat sine ullo gregis detrimento et ex aequa causa, quae eorum conscientiae diiudicanda relinquitur, neque incidat in dies exceptos, quibus in Ecclesia Cathedrali Episcopum esse oportere diximus [3]. Hoc autem tempus non potest cum alio tempore coniungi quo ex alia causa abesse licet, neque trimestre spatium unius anni cum trimestri anni sequentis continuari, aut longioris absentiae compensatio aliquo anno adhiberi, siquis annis superioribus ea venia usus non fuerit [4].

[1] S. Congr. Fid. Prop. decreto 23 Sept. 1863.

[2] Fagnanus de residentia, Trident. Cap. 1 Sess. 21 de Reform.

[3] Conc. Trid. Sess. XXIII, Cap. 1 de Ref.

[4] Cf. Fagnanum in Cap. *Qualibet* de cl. non resid.; Bened. XIV Const. *Ad Universae* 3. non. Sept. 1746.

Quod si unus Episcopus pluribus dioecesibus unitis praesideat, quoad locum residentiae standum est in primis iis quae ex diplomatis pontificiis iniuncta sunt: si nihil in iis sancitum sit et adsit consuetudo legitime praescripta, ei inhaerendum est. Si nulla extet consuetudo, Episcopus curare debet, ut in civitate ubi habitualiter sedem non habet, saltem solemnioribus diebus adsit [1].

Ceterum in Congr. Gen. Fid. Prop. habita die 10 Iulii 1668 quoad Episcopos ab eodem sacro Consilio dependentes, qui cum detrimento suarum dioecesium eas deserebant, ut Romam vel alia loca peterent, decretum est, Episcopis S. Congregationi subiectis non licere ne Romam quidem sub quovis praetextu venire absque licentia Sacrae Congregationis.

288. Poenae autem adversus Episcopos non residentes quales censentur etiam ii qui obreptitia Romani Pontificis venia absunt [2], (tales non existimantur, saltem respectu poenarum, qui non ultra milliarium a dioecesi absunt [3]), praeter mortalis peccati reatum, sequentes sunt: 1) Privatio fructuum pro rata absentiae [4], ita tamen ut aliquam partem (puta tertiam) pro exsecutione aliorum officiorum retinere possint [5], qui etiam probant eorum opinionem, qui aiunt hanc poenam non obligare in conscientia, nisi post sententiam, licet contrarium statui videatur a Conc. Trid. [6]. 2) Quoad eos qui sex menses continuos abfuerint, privatio ipso facto incurrenda quartae partis fructuum unius anni, tum alterius quartae partis, si alios sex menses in absentia perstiterint. 3) Quoad eos qui ulterius in contumacia perstent, gravior poena a Romano Pontifice infligenda, qui proinde moneri de eorum absentia debet a Metropolitano, vel si Metropolitanus reus sit, ab Episcopo anti-

[1] S. Cong. Conc. Oct. 1706, in *Gerund.*

[2] Bened. XIV Const. cit.

[3] Cf. Giraldi p. 2. sect. 86. Thesaurus *De poenis* verbo *Residentia.*

[4] Conc. Trid. loc. cit.

[5] Cf. Giraldi et Thesaurus l. c.

[6] Loco cit.

quiore provinciae, idque sub poena Interdicti [1], cuius tamen censurae absolutio non est reservata [2]. 4) Quoad omnes generatim poena post iudicis sententiam incurrenda consistit tum in privatione sive facultatis testandi, si illam antea obtinuerint, sive indultorum quae tamquam pontificio solio assistentibus iisdem competunt, tum in inhabilitate ad maiores dignitates et Ecclesias obtinendas [3].

Denique in Decreto Alexandri VII diei 26 Iulii 1662, ultra poenas a sacris canonibus contra non residentes constituta, poena etiam suspensionis ab executione ordinis episcopalis etiam in propria dioecesi, ipso facto et absque alia declaratione incurrenda, sancitur contra Episcopos in locis missionum non residentes absque venia in scriptis obtenta.

Eodem insuper decreto declaratur, Sanctitatis Suae mentem nequaquam esse eosdem Episcopos, si Regulares fuerint, ab obligationibus professioni regulari, quam emiserunt, adnexis, per adeptionem dignitatis ac muneris episcopalis eximere, nisi quatenus eiusdem muneris curaeque pastoralis exercitio sint impedimento. Quare, quotiescumque ex ipsorum culpa, sive ex alia qualibet causa aut impedimento, quantumvis iusto ac legitimo, in praedicta Ecclesia aut saltem dioecesi residere, excepto tempore a Concilio Trid. praefinito, aut noluerint aut nequiverint, soluti non sunt obligatione quam per professionem regularem contraxerunt vivendi sub obedientia Superiorum eiusdem religionis, observandique omnia et singula, quae a regularibus intra claustra degentibus sive ex voto, sive ex praescripto regulae et constitutionum suae religionis, quomodolibet et qualitercumque observari debent ac solent; adeo ut quandocumque hac in parte defecerint, nec a S. Sede licentiam seu dispensationem in scriptis obtinuerint, nec statim ad claustra suae religionis sese contulerint, omnibus iis poenis, quae contra regulares extra claustra degentes a sacris canonibus atque apostolicis

[1] Conc. Trid. Sess. VI, Cap. I de Ref.

[2] Cf. Thesaurus l. c.

[3] Bened. XIV Const. *Ad universa* 3 Sept. 1746.

constitutionibus prolatae sunt, obnoxii censeantur, iniuncto Superioribus Ordinis ad quos spectat, mandato, eosdem ad claustra revocandi.

289. Ad causas excusantes quod attinet duo inquirenda sunt: 1) Quaenam sint; 2) Qua conditione munitas esse oporteat. Iamvero causae excusantes, licet quatuor a Concilio Tridentino assignentur [1], ad duas tamen revocari possunt: *a*) ad necessitatem, quae complectitur etiam obedientiam; *b*) ad caritatem, qua continetur etiam Ecclesiae vel reipublicae utilitas.

Propter necessitatem excusat a residentia: 1) obedientia Superiori debita id est tum Romano Pontifici qui Episcopum vel ad se vocet, vel alio mittat, tum etiam Metropolitae in casu vocationis ad Concilium Provinciale. 2) Infirmitas ipsius Episcopi, quae nonnisi alio sub coelo curari possit [2]. Huc pertinet etiam malignitas aeris, quae certo anni tempore totam dioecesim occupet, et cuius causa praeter trimestre spatium lege indultum, alius etiam absentiae mensis concedi potest [3]. Excipitur tam pestis, quae Episcopi absentiam a tota dioecesi minime excusat [4]. 3) Persecutio aut hostilis incursio, nisi tamen gregis salus pastoris praesentiam exigat.

Ex causa caritatis a residentia excusat: 1) utilitas propriae Ecclesiae, ex. gr. eius iurium defensio. 2) Utilitas Ecclesiae Romanae vel universalis. Quo etiam referri potest necessitas adeundi comitia publica, iis in locis ubi dignitas senatoria Episcopis adiuncta est [5]. Huc etiam referri potest necessitas navandi operam causis beatificationum vel canonizationum pro iis qui auctoritate apostolica ad id delegantur. Quo tamen in casu id speciale est, ut in absentiae tempore trimestre spatium lege indultum comprehendi debeat, eique addi dumtaxat possint alii triginta dies, quod si non sufficiat,

[1] Sess. XXIII, Cap. 1.

[2] Bened. XIV Const. *Ad universae* tert. Non. Sept. 1746.

[3] Bened. XIV l. c.

[4] Fagnanus in Cap. *Clericos* de cler. non resid.

[5] Urbanus VIII Const. *Sancta Synodus* 12 Dec. 1634.

tantumdem anno insequente concedi queat [1]. 3) Utilitas alterius Ecclesiae, ita tamen ut propria detrimentum spirituale nullum patiatur; item utilitas reipublicae ex. gr. ad pacem conciliandam.

Conditiones quibus causae modo memoratae subiiciuntur, hae sunt: 1) ut habeatur ratio necessitatis gregis; 2) ut servetur ordo caritatis; 3) ut causa quae adesse dicitur, ad Sedem Apostolicam seu ad sacram Congregationem fideliter deferatur; 4) ut ipsius Romani Pontificis adprobatio et licentia accedat [2]. Unde sequitur, abrogatum esse Concilii Tridentini decretum, quo eiusmodi causae cognitio et licentia etiam Metropolitano permittebatur [3]. Excipitur ab hac lege duplex absentiae causa, adeundi nempe vel Concilium Provinciale vel Comitia publica [4].

§ 5. — *De Visitatione Dioeceseos.*

290. Cum boni pastoris sit oves suas nosse et ab iisdem cognosci, dioecesis visitatio ita cum pastorali Episcoporum officio cohaeret, ut ea nullatenus omitti aut negligi possit. De hac agentes inquiremus: 1) Quinam sit eius scopus, vis ac materia; 2) Quinam sit modus ac tempus quo peragenda est. 3) Quid de expensis constitutum in iure sit.

291. Ad primum quod attinet, Concilium Tridentinum [5] declarat visitationis praecipuum finem esse sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et monitionibus ad religionem, pacem innocentiamque accendere, ceteraque, prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium prudentia, ad fidelium fructum constituere.

Vis visitationis propria, seu Decretorum quae non servata iuris ordine feruntur, est ut appellatio *in suspensivo* contra ea non

[1] Bened. XIV Const. *Ad universae.*

[2] Bened. XIV l. c.

[3] Cf. Giraldi P. 2, sect. 86.

[4] Urb. VIII Const. cit. *Sancta Synodus* visitando ss. limina.

[5] Sess. XXIV, Cap. III de Ref.

admittatur [1]. Caeterum magna rerum agendarum moderatio adhibenda est [2] ita ut poenae potius poenitentiae rationem habeant. Quodsi poena aliqua ob grave delictum ferenda sit, lenitate est temperanda [3].

292. Quoad materiam visitationis certus immotusque canon est omnes et singulas sacras personas et loca pia intra Dioecesis ambitum consistentia, ab Episcopo visitari posse, nisi manifesta exemptione potiantur. Episcopus enim supra iis fundatam habet iurisdictionem [4]. Hoc posito ad singulas species veniamus.

Porro materia visitationis sunt in primis *clerici* tum quoad mores, tum quoad officia atque obligationes ecclesiasticas, quae iisdem incumbunt; adeoque universim omnes Clerici visitandi sunt circa obligationes omnibus communes. In specie autem obiectum visitationis est. 1. Capitulum. Porro quoad corpus, inquirendum est quo ordine sit distinctum et utrum habeat canonicum theologum ac poenitentiarium: circa singulas personas, utrum ordines habeant suis praebendis adnexos: circa chori servitium, inquirendum est an ad divinas laudes coniunctim in ecclesia recitandas aut decantandas omni religione atque cultu sedulo incumbant, praescriptamque omnes ore, habitu, corpore, ritibus disciplinam ac legem servent. An punctatores adimpleant quidquid et statuta Capituli et synodalia super punctationibus constitutiones edicunt. An habeatur tabella horaria. An distributiones quotidianae sint constitutae, quarum privatione negligentes puniantur. Circa capitulares deliberationes, an legitime fiant. Circa ordinem in regimine Capituli inquirendum an constitutiones sint et a quo approbatae fuerint; an fiat electio officialium rationesque ab iis in fine anni reddantur et in libros referantur; denique an Tabularium, seu locus quem vulgo Archivium

[1] Bened. XIV Const. *Ad militantis Ecclesiae* 3 Kal. Apr. 1742. Cap. 10, Sess. 25 de Ref. Conc. Trid.

[2] Decret. lib. 1, tit. 31, cap. 16.

[3] C. 13, lib. 1; c. 1, t. 20, lib. 3 in 6°.

[4] Cf. Barbosa *de Off. et potest. Episc.* P. 3, All. 74.

dicunt, in quo et monumenta quaevis vetera locata sunt et nova reponuntur in dies, recte custodiatur. 2. Visitandi sunt Parochi, et inquirendum circa eorum residentiam, circa visitationem infirmorum, puerorum instructionem in re christiana, expositionem evangelii, denunciationem ieiuniorum dierumque festorum dominicis diebus populo faciendam, applicationem missae pro populo, ceteraque omnia parochialia munera; tum circa librorum parochialium atque archivii custodiam. 3. Visitandae personae ad Curiam pertinentes, praesertim Cancellarii circa acta civilia et criminalia, utrum distincte et fideliter ea retineant, eorumque inventarium habeant, tum circa alios Curiae libros, id est ordinationum earumque actorum aliarumque episcopalium functionum, professionum fidei eorumque qui emittere eam debuerunt, supplicum libellorum et quorumvis rescriptorum aut decretorum, quae sine forma iudiciali fiant, actorum seu negotiorum quae ad moniales pertinent; tum denique circa modum quo ii libri servantur, utrum distincto ordine et utrum subscriptionem habeant atque approbationem Episcopi, vel etiam Vicarii Generalis et Cancellarii eius temporis quo compacti fuerunt. 4. Visitandae sunt Moniales circa disciplinam et praesertim circa clausuram: an fenestras in domos saecularium prospicientes habeant, an colloquia cum exteris ineant, an chori servitium praestent, an sacramenta suscipiant. Tum circa novitias et educandas praesertim inquirendum utrum separatis in locis habitent. Tum inquirendum circa libros qui haberi ab Abbatissa debent, scilicet inventaria bonorum stabilium ac iurium monasterii, introitus et exitus anni, deliberationum capitularium. Tum denique inquirendum caute et prudenti modo, circa vitam, mores ac directionem confessarii. 5. Visitandae sunt Confraternitates laicorum circa legitimam earum institutionem earumque statuta, circa earum interventum ad publicas processiones, circa administrationem bonorum, earumdem inventarium et archivium. 6. Visitandi sunt laici seu populus, et inquirendum an adsint peccata aliqua publica, vel aliqui publici peccatores, ut concubinarii; coniuges separati absque iudicio ecclesiastico, blasphemi, usurarii, etc. 7. Denique est ipsi providendum ut publicae scholae ubi desunt aperiantur tam pro masculis quam

pro feminis et ut probatae vitae institutoribus magisterium commendetur. 8. Quoad Ecclesias visitandas distinguendae sunt Ecclesiae Regularium ab Ecclesiis saecularibus. Saeculares Ecclesiae quaecumque sint Episcopi visitationi subiiciuntur [1], etiamsi de Ecclesiis Commendatis agatur [2], aut de Ecclesiis quae in vere nullius dioecesi esse dicuntur quae regulariter ab Episcopo *viciniori* visitari debent [3]. Si de Ecclesiis Monasteriis adnexis agatur in quibus regularis observantia viget, hae non visitantur ab Episcopo nisi 1) in illis Ecclesiis animarum cura exerceatur in personas etiam degentes extra Monasterii claustra [4] 2) vel de Ecclesiis Regularium agatur in quibus laicorum confraternitates erectae sunt.

293. Res, quae materiam visitationis constituunt, sunt: 1) Sacramenta. Et quoad Baptismum inquiret Episcopus an fons baptismalis ex materia solida confectus ceterisque rebus ad baptismum necessariis rite instructus existat; circa tempus baptismi, an infantibus ultra tres dies differatur; circa modum an extra necessitatem conferatur domi, an imponantur ethnicorum nomina, an personae legitimae in patrinos eligantur; circa obstetrices, an examinatae sint et approbatae.

294. Quoad sacramentum Confirmationis inquirendum ab Episcopo est, an ad eam admittantur minores septennio et adulti non confessi, an legitimae personae in patrinos eligantur.

295. Quoad sacramentum Eucharistiae inquirendum circa modum quo servatur, an in tabernaculo, quod exterius sit decens et conopeo contectum, pariter decenti colorisque ritui congruo, interius autem serico panno circumvestitum, denique ostiolo firmo instructum cum clavi decenti, quae diligenter penes Parochum custodiri debet si agatur de ecclesia parochiali, si de monialium, penes Cappellanum, non vero penes ipsas. Inquirendum praeterea, an pixis

[1] Conc. Trid. Sess. VII, cap. 7.

[2] Conc. Trid. Sess. 21, c. 18.

[3] Conc. Trid. Sess. 24, c. 9; Ita FAGNANUS, BARBOSA Card. PETRA aliique magnae notae doctores.

[4] Conc. Trid. Sess. VIII, c. 7; Sess. 25, c. 11, de Reform.

sit argentea aut ex alio metallo decenti atque intus inaurata debitoque operculo et conopeo contecta; an praeter pixidem quid aliud licet sacrum in tabernaculo servetur: quod si reperitur, illico removendum est. Inquirendum an lampades ante altare tabernaculi diu noctuque colluceant, an particulae consecratae hieme quindecim, aestate octo quibusque diebus renoventur. Inquirendum an in Ecclesiis ruralibus, in quibus SS. Sacramentum asservatur, Cappellanus resideat et quotidie missam celebret, teneri enim ad utrumque vel per se, vel per alium, declaravit [1]. Ceterum Episcopus per edicta in sacristia affigenda poenas pro qualibet culpa in asservatione Eucharistiae commissa constituere debet in eos, qui ad eiusmodi custodiam tenentur; et Antistitibus hac in re facultates dantur procedendi contra regulares et exemptos cumulative cum eorum Superioribus generalibus [2]. Circa modum quo recipitur et defertur Eucharistia, inquiret Episcopus an in Paschate omnes communicent et an qui neglexerint moniti fuerint, an mulieres decenti vestitu accedant, an ad infirmos tempestive deferatur et debita cum associatione luminum, an et quoties expositiones publicae fiant et processiones cum delatione Eucharistiae. Benedictio SS. Sacramenti impertiri non potest sine Episcopi licentia. Item processiones, praeter eas quae a rubricis praescribuntur, vel expositio solemnis SS. Sacramenti seu quae fit per ostensorium, haberi nequeunt, nisi cum eiusdem permissione. Expositio, minus solemnis quae fit per pixidem, non requirit huiusmodi permissum [3]. Circa missae celebrationem inquirendum est an calicum et patenarum aurum quo intus obduci debent evanuerit, an planetae aliaeque vestes et cetera instrumenta sint attrita aut immunda. Inquirendum utrum exteri sacerdotes absque litteris dimissoriis ab Episcopo recognitis admittantur ad sacrum faciendum; utrum aliqui sint qui absque tonsura ac veste clericali decenti, aut propere aut irreverenter missas celebrent

[1] S. Rit. Congr. in *Firmana* die 16 Martii 1833.

[2] S. Congr. Epp. et Reg. litt. encycl. 9 Febr. 1751.

[3] Prout constat ex Epist. Bened. XIV ad Episcopum Warmiens. 17 Apr. 1746 nec non ex alia ad Card. Urbis Vic. 27 Iulii 1755.

aut etiam ante auroram aut post meridiem. Inquirendum an catalogus onerum missarum in sacrario loco patenti prostet, utrum habeantur libri, non folia, in quibus sacerdotum manu missae describantur ad onera implenda eadem die celebratae.

296. Quoad sacramentum Poenitentiae inquirendum an confessarii induti superpelliceo ac stola et, quod attinet ad mulieres (idem praestat quoad pueros), in sede confessionali ad cratem confessiones excipiant; utrum Confessarii de aliena dioecesi admittantur sine Episcopi licentia; circa sedes confessionales, utrum sint in loco visibili et cratem habeant ac ostiolum quo Sacerdotis facies populo occultetur, nec non piam quamdam imaginem ex parte poenitentis, utrum in iis sit affixa tabella casuum reservatorum etc.

297. Quoad sacramentum Extremae Unctionis inquirere Episcopus debet circa modum quo sacrum oleum servatur, an in cellula a cornu evangelii panno serico obducta in vasculo saltem stamneo, in capsula lignea incluso, circumposito undequaque gossipio et cum sera et clavi externaque inscriptione: *Oleum infirmorum.* Ad haec inquirere debet circa modum quo ad infirmos defertur et circa modum quo administratur.

298. Quoad sacramentum Matrimonii inquirendum an Parochus aliquoties in anno impedimenta matrimonii populo exponat, an ante matrimonium trinas fiant denunciationes diebus festis de praecepto iisque non continuis; an sponsi ante matrimonium soli absque praesentia parentum conversentur, an exteri vel qui diu fuerunt absentes absque licentia Episcopi ad matrimonium admittantur, an domi sine Episcopi licentia matrimonia celebrentur, an contracta eadem die describantur in libro.

299. Materia visitationis sunt: 2) reliquiae et imagines sanctorum. Quoad imagines inquirendum est an in Ecclesiis exponantur antequam ab Episcopo approbatae fuerint, an procaci venustate vel specie et forma non vera aut insolita depictae sint. Quod reliquias [1],

[1] Districte prohibetur sacras reliquias et Sanctorum exuvias, licet capsula reconditas et sigillo munitas, quolibet praetextu etiam redimendi emere aut mercari. Leo XIII 24 Dec. 1878.

an decenter et fideliter custodiantur, an adsint earum catalogus atque authenticae certae fidei, eas enim exponere non licet, ne in Ecclesiis quidem exemptis, nisi prius recognitae approbataeque sint ab Ordinario, tametsi iam probatae a Romano Pontifice [1]. Nec licet, si reliquiae sanctorum et instrumentorum dominicae passionis permixtae sint reliquiis sanctorum, antequam separatae fuerint [2].

300. Quoad Beatos notandum quod his nec Ecclesias nec Altaria nuncupare licet [3], nec eorum reliquias in processionibus circumferre. Et eorum imagines et reliquiae in his tantum Ecclesiis retineri et exponi possunt, in quibus eorum officium fieri permittitur [4].

301. Eorum vero qui cum sanctitatis fama dormierint imagines, ne in sacrariis quidem ecclesiarum retinere licet, imo nec in fenestrarum vitris depingere [5].

302. Materia visitationis 3) sunt legata pia. Circa quae inquirendum an aliqua adsint eaque scripta retineantur in libris atque impleantur, aut siquae nova instituuntur eorum notitia Vicario Generali communicetur ut executioni mandentur.

303. Ad haec: 4) materia visitationis sunt Ecclesiae non exemptae, circa quas inquirendum an liberae vel patronatae sint, an reparatione indigeant ac instrumentis ad sacras functiones necessariis sint sufficienter instructae, an novae aedificentur absque dote et Episcopi licentia, an altaria habeant iconem sacram, lapidem sacrum coopertum tela cerata, duo saltem candelabra cum imagine Crucifixi, mensam tribus mappis albis coopertam, quarum superior ex utroque latere fere ad suppedaneum descendat, fulcrum missalis, tabellas sacri convivii, psalmi *Lavabo* et Evangelii S. Ioannis.

304. Insuper 5) materia visitationis est Seminarium, circa quod inquirere debet Episcopus an alumni habeant requisita a Concilio

[1] Sixtus V Const. *Dominus.*

[2] S. Rit. Congr. 20 Febr. 1847.

[3] S. Rit. Congr. 11 Aprilis 1840.

[4] Urbanus VIII Const. *Sanctissimum.*

[5] S. Rit. Congr. 24 Martii 1860.

Trid. praescripta [1], an adsint regulae ab iis servandae; qui sint eorumdem mores ac in studiis profectus; an diebus festis Ecclesiae Cathedrali interveniant; an adsint Rector et Magistri et quomodo se gerant; an adsint deputati ad formam Concilii electi, scilicet duo de Capitulo totidemque de Clero, unus a Capitulo ipso alter ab Episcopo, itemque unus a Clero alter ab Episcopo eligendus; an redditus Seminarii fideliter administrentur.

305. Denique 6) materia visitationis sunt hospitalia aliaque loca pia et religiosa et circa ea inquiret Episcopus an legitimam habeant erectionem suasque constitutiones, an eae serventur, quae sit redditumm administratio cuius rationes repetendae omnino sunt; nisi tamen de locis piis agatur quae ab Episcopi iurisdictione proponantur exempta.

306. Ad alteram quaestionem quod attinet, scilicet ad modum ac tempus visitationis, id prae ceteris cavent canones, ut diligentia et aequitas servetur. Itaque quoad tempus, visitatio quotannis, aut si dioecesis amplior sit, quolibet biennio renovanda omnino est [2]. Nulla tamen poena in Ecclesiae externo foro statuta est in eos, qui eam stato tempore praetermittant. Frequentius autem haberi potest [3], sed expensis minime repetitis [4].

307. Quoad modum respectu personae visitantis, fieri ea debet per se ab ipso Episcopo, etiamsi iura superepiscopalia exerceat vel dignitate cardinalitia praefulgeat [5] et si legitime impeditus sit vel dioecesis sit nimis ampla per alios, sed conscientiae ipsius Episcopi reliquit Conc. Trid. iudicare an impedimenta sint legitima vel non. Qui visitatores ab Episcopo deputantur litteras patentes ab ipso Episcopo obtinere debent, quae in unoquoque loco antequam visi-

[1] Sess. XXIII, Cap. XVIII, de Ref.

[2] Conc. Trid. Sess. XXIV, Cap. III, de Ref.

[3] Ita Leo IV ad Episcopos Britanniae cuius verba referuntur a Gratiano in can. 4, caus. 10, q. 1.

[4] Bened. XIV, de Syn. dioeces., L. X, cap. 10, n. 6.

[5] Cfr. Collect. S. C. Prop. Fidei n. 92.

tatio inchoetur publice legendae sunt [1]. Respectu comitatus visitantis, facienda est nonnullis adhibitis adiutoriis, etiamsi Episcopus ad id non teneatur ex rigore iuris, dummodo ipse par sit ad munera visitationis obeunda. Adiutores autem, preter notarium vel secretarium visitationis, esse solent duo convisitatores sive ex Capitulo Cathedralis, sive extra electi [2]. Possunt esse etiam ex ordine regulari, dummodo presbyteri vel diaconi sint. Aliquando solent nonnulli concionatores afferri sive missionarii [3]. Facienda est insuper cum modesto equitatu ac famulatu qui Episcopi prudentiae definiendus relinquitur. Respectu ipsius visitationis fieri ea debet praemonito per edictum die quo eam inchoare sibi proponat Episcopus, nisi ei ex iusta et gravissima causa secus videatur. Praeterea quam brevissimo tempore absolvi debet, quod tamen prudentiae Episcopi relinquitur. Ea vero gravitate et modestia, ut si visitator prohibeatur (qui quidem ne ut suspectus quidem, nisi iudicialiter procedatur, prohiberi potest), fores non iubeat effringi, etsi summo iure possit, sed potius censuris utatur. Denique decreta eiusdem referri debent per notarium vel per visitationis secretarium in libro.

308. Ad tertiam quaestionem seu ad expensas visitationis progredientes, notamus, quod ius eas exigendi *procuratio* dicitur. Haec recte definitur ius visitatoris exigendi moderata [4] victuaria ab iis qui visitantur neque legitime excepti sunt, pro necessitate temporis visitationis. Unde sequitur: *a*) ex eo quod ius sit visitatoris, procurationem ei deberi qui visitat adeoque delegato, non vero Episcopo, si per delegatum visitationem faciat [5]; *b*) condonari perpetuo procurationem cum successoris detrimento non posse. Ex eo quod moderata victuaria esse debeant sequitur: *c*) nihil ultra exigendum esse praeter domum ac victum pro se, pro suis et equis [6]; *d*) pro di-

[1] Lib. III, c. 6.

[2] Fagnanus in Cap. 20 de censib. n. 8.

[3] Bened. XIV Const. *Firmandis* 28 Oct. 1744.

[4] Cap. 16, tit. 31, lib. 1; Cap. 16, tit. 26, lib. 2; Cap. 17 et 7, tit. 29, lib. 3.

[5] Fagnanus in Cap. 23 de cens.

[6] Fagnanus l. c.

gnitate visitantis suppeditandam esse, adeoque Episcopi delegato vel Vicario Capitulari dimidio minorem ipso Episcopo; *e*) optionem dari iis qui visitantur ministrandi vel victuaria vel pecuniam quam antea forte consueverint; *f*) particulari alicuius ecclesiae consuetudine procurationem non posse praescribi, etsi consuetudo sit immemorabilis, ne ceteris onus accrescat. Contra vero dicendum si agatur de consuetudine generali alicuius loci seu provinciae [1]. Ex eo quod debeatur quod pro necessitate exigitur, sequitur: *g*) neque in ipsa cathedrali urbe exigi illam posse, neque in loco adeo vicino ut Episcopus in domum suam commode se recipere possit; *h*) duabus ecclesiis una die visitatis, unam procurationem deberi [2]; *i*) quo anno Episcopus visitationem non obit, procurationem ei non deberi [3]. *k*) Si semel iterumque in uno anno visitationem suscipit, unam procurationem exigere posse [4]. Denique; *l*) itineris expensas repeti non posse [5], *m*) neque Episcopum posse dona recipere.

509. Ad visitationis expensas tenentur Parochi et beneficiati [6]. Una cum Parocho tenentur possessores beneficiorum simplicium et cappellaniarum quae in titulum conferuntur [7]. Tenentur etiam sodalitia ecclesiastica aliaque pia loca. Tenentur ii regulares qui visitationi episcopali subiecti sunt, nisi privilegium habeant. Non licet autem Episcopo conventus parvos visitandi aliquid accipere procurationis nomine [8].

510. A procuratione aequitatis iure liberantur: 1) hospitalia et similia loca in pauperum alimenta instituta, nisi beneficii titulum adnexum habeant [9]. Praeterea: 2) liberantur ecclesiae et personae ec-

[1] Conc. Trid. Sess. XXIV, Cap. III de Ref.

[2] Cap. 3, tit. XX, lib. 3 in 6°.

[3] S. C. C. in Aprutin. Dec. 1584, Lib. 4 Decr.

[4] S. C. C. in Policastr. *Proc.* 1 iunii 1737.

[5] Fagnanus in Cap. 23 de cens.

[6] S. Congr. Conc. in Camerinen. *Procurationis* 23 Nov. 1793.

[7] S. Congr. Conc. in Narnien. 12 Sept. 1654.

[8] Cf. Collect. Bizzarri p. 291.

[9] Fagnanus in Cap. 24 de cens. n. 34; Schmalzgrueber in tit. de cens. n. 106.

clesiasticae notorie pauperes, quae vix necessaria habeant ad sui sustentationem [1]. 3) Vi consuetudinis a iure probatae populus seu plebis laicorum atque universitates locales [2]. Secus autem dicendum est de Confraternitatibus [3]. 4) Monasteria monialium, nisi beneficium aliquod sit in earum ecclesia [4]. 5) Oratoria privata [5]. 6) Privilegio apostolico gaudentes quod explicitum sit, nam generalibus terminis conceptum non sufficit [6]. 7) Ecclesia Cathedralis [7].

311. Qui vero procurationem indebitam culpabiliter exegerint, ad duplum condemnantur [8]. Iuxta Tridentinum Concilium [9] hi in Concilio Provinciali sine veniae spe aliqua poena mulctantur.

Post visitationem tenentur Episcopi curare ut quae constituta sunt vere ad effectum perducantur [10].

§ 6. — *De Visitatione ss. Liminum.*

312. Antiquitus Episcopi romanum iter aggrediebantur potius devotionis causa quam legis necessitate. At postea Episcopi obligari coeperunt [11].

Finis visitationis erat tum ad preces fundendas apud Apostolorum Sepulcrum, tum ad subiectionem Romano Pontifici profitendam [12]

[1] SCHMALZGRUEBER l. c.

[2] S. C. C. in Ferent. 20 Apr. 1782.

[3] S. C. C. in Spoletana 14 iun. 1710.

[4] GIRALDI P. I, Sect. 562.

[5] REIFFENSTUEL, de cens., n. 51.

[6] SCHMALZGRUEBER l. c.

[7] Ita decisum a S. C. Concilii 17 Nov. 1685.

[8] Conc. Trid. Sess. XXIV, Cap. III, de Ref.

[9] Trid. Conc. Cap. 3, Sess. 24 de Reform.

[10] Bened. XIV Const. *Ubi primum* 3 Dec. 1740.

[11] Uti patet ex cap. 4 de Iureiurando in decretalibus in quo cum formula exhibetur iuramenti a novo Episcopo praestandi, Episcopus iurat se visitaturum limina Apostolorum.

[12] Ex can. 4, dist. 93 in decreto Gratiani.

Inde inductum est ut etiam ad Pontificem nominatim de statu propriae dioecesis referunt. Profecto dicendum non est quod etiam antea Pontifex Episcopos de iis quae ad suas dioeceses pertinet non interrogaret, at Episcopi non tenebantur lege ad exhibendam relationem propriae dioecesis [1].

Xistus V disciplinam introductam confirmavit ac melius etiam determinavit.

Quod ulterius perfecit et ipse Benedictus XIV [2].

313. Visitatio ss. liminum in eo consistit ut singuli Episcopi certo quoque tempore Romanum Pontificem tamquam supremum Ecclesiae centrum et caput adire teneantur, eique Ecclesiae suae statum aperire [3]. De hac visitatione duo quaerenda sunt, scilicet modus et tempus.

314. Quoad modum, Episcopi hoc officio per se fungi debent. Si vero Episcopus coadiutorem habeat, satis est ut vel ipse vel coadiutor illius nomine visitationem expleat et relationem status dioeceseos suppeditet [4]. Ceterum intercedente impedimento, poterit Episcopus huic oneri satisfacere per procuratorem duplici tamen sub conditione, seu ut is speciali mandato instructus sit, et ut ex ipsa dioecesi mittatur. Procurator ipse, poterit esse e clero regulari solum in deficientia cleri saecularis eaque deficientia probata [5]. Sed nunc indulgentior est Sac. Congr. hac in re. Episcopi titulares in partibus infidelium residentes tamquam Vicarii Apostolici, implere praedictam Const. Sixti V, si visitationem expleant per Procuratorem in urbe existentem, declaratum est per Sacram Congr. Fid. Prop. coram Urbano VIII die 28 Iulii 1626 [6].

315. Tempus iuxta memoratam Constitutionem Sixti V varium

[1] Constitutione *Romanus Pontifex* d. 20 decemb. 1585.

[2] Const. *Quod sancta* 23 nov. 1740.

[3] Sixtus V Const. *Romanus Pontifex* d. 20 Dec. 1585. Bened. XIV Const. *Quod sancta* 23 Nov. 1740.

[4] Bened. XIV Const. cit.

[5] Bened. XIV de Synod., L. 13, Cap. 6.

[6] Cfr. Collect. S. C. Prop. Fidei n. 82-86; Cfr. n. 90.

est pro varia Episcoporum distantia, nimirum pro Italia et insulis adiacentibus triennium, pro regionibus citra mare germanicum et balticum quadriennium, pro reliquis Europae regionibus et pro Africa quinquennium, pro reliquis decennium. Initium triennorum aliarumque periodorum desumendum est pro cunctis promiscue Episcopis non a die quo ipsi in Consistorio renuntiati sunt ad sedem episcopalem vel eiusdem possessionem susceperint, sed a die 20 Decemb. 1585, quo die Constitutio sixtina edita est. Si aliquis Episcopus postulet ut spatium temporis sibi praefinitum prorogetur, Sacra Congregatio, iusta accedente causa, abnuere non solet.

316. Actus triplex est, id est visitatio Basilicarum S. Petri et Pauli, aditio ipsius Romani Pontificis, relatio ore facienda eidem Romano Pontifici et scripto tradenda sacrae Congregationi de statu Ecclesiae suae tum quoad res, tum quoad personas iuxta instructionem ab ipsa Sacra Congr. editam quae heic subiicitur.

Capita quibus respondere debent Vicarii Apostolici ac Missionum Praefecti, ut de regionibus sibi commissis plenam S. Congregationi relationem reddant [1].

317. Infrascriptis quaestionibus accurate et praecise respondendum erit, adhibito cuique responsioni quaestionis numero; si quid vero aliquis forte reperiet quod ad suam Missionem non spectet, is indicare poterit numerum, deinde iuxta scribere: *Ad talem numerum non est quod respondeam:* tum ad cetera perget.

De Missionis origine, progressu, et confiniis. — 1. Breve compendium historicum circa originem, progressum ac mutationes Vicariatus sive Praefecturae conficiendum erit. — 2. Describenda confinia, quibus continetur territorium Missionis, ac si aliqua circa illa controversia existat, rationes exponentur. Insuper charta corographica Vicariatus, siquidem in promptu haberi possit, addenda vel saltem deinceps transmittenda.

[1] Vide in Collect. S. C. Prop. Fidei n. 109.

De Missionariis, eorum qualitate et idoneitate. — 3. De personis ecclesiasticis erit exponendum imprimis, quinam sint Missionarii quibus s. ministerium exercendum in Vicariatu vel Praefectura concreditum est; an Saeculares vel Regulares, quam idoneitatem et vivendi rationem praeseferant, an sufficiens eorum numerus sit pro necessitate fidelium, an studio linguae vernaculae illius gentis accurate dent operam, an miti ratione erga Christianos se gerant, an in sacro ministerio exercendo uniformitatem curent. Insuper an Missionarii Regulares regulas Instituti sui ac praesertim tria vota substantialia Paupertatis, Castitatis et Obedientiae fideliter servent: an Vic. vel Praefecto Apostolico etiam ut regulares, an alteri Superiori sint subiecti; an plus aequo erga paganos, vel protestantes aut schismaticos, si ibi adsint, obsequentes sint; an ex instituto vel ex consuetudine usque ad mortem in Missione perseverent. An universi Missionarii in usu facultatum quas accipiunt, nimis latas interpretationes, ac facilitatem improbandam sequantur. — 4. Nec praetermittendum si Missionarii alterius Vicariatus aut Praefecturae aliqua ratione in administrationem propriae Missionis sese immisceant.

De regimine Missionum per Vicarios Apostolicos. — 5. Qua ratione provideant Praesules regimini Vicariatus seu Praefecturae, ne vita decedentes sine Superiore fideles relinquant. — 6. Utrum habeatur aliquod Consilium ordinarium Missionariorum, quasque attributiones illi adsignentur.

De Clero Indigena. — 7. Singulariter sermo instituendus de clero indigena, ac imprimis de idoneitate illius, deque animi qualitatibus, quibus praeditus apparet, ac de spe quae in ipso collocari possit. — 8. Qua ratione consulatur educationi et institutioni Clericorum indigenarum: praesertim an habeatur Seminarium, utrum sit, separatum ab alumnis saecularibus, et quae studia ibi Clerici doceantur, et utrum regulae a Tridentino praescriptae in toto vel in parte serventur, cuius curae ac regimini creditum sit, denique an, si desit, aliquo modo constitui possit vel eiusdem defectui suppleri. — 9. Quibus officiis Indigenae adhiberi possint, et

an excludantur a quacumque superioritate respectu habito ad Missionarios Europaeos.

De Institutis Regularium. — 10. Quoad Instituta Regularium indicetur, an sint in Vicariatu seu Praefectura, et an educationi et institutioni iuventutis dent operam, idque exprimatur sive quoad instituta virorum sive quoad instituta mulierum. — 11. An inter Indigenas sint qui regularibus Institutis sint addicti et ad huiusmodi statum se inclinatos praebeant, qua demum Missionum utilitate possint ea inter indigenas diffundi. — 12. Utrum Ecclesiastici viri sive Saeculares sive Regulares clericali aut religioso habitu utantur, vel saltem alia veste, quae eorum statum minime dedeceat.

De Ministerio Sacro ac degentium conversione. — 13. Circa sacrum ministerium exponendum, an habeatur Directorium sive collectio regularum et usuum Vicariatus sive Praefecturae quoad servanda a sacerdotibus cum in sua vitae ratione tum in fidelium regimine, illudque S. C. exhibeatur. — 14. An in communicatione facultatum missionariis facienda facilem aut difficilem se praebeat Superior. — 15. Utrum omnes Missionarii in doctrina morali sint concordes, et utrum ad uniformitatem fovendam habeantur vel haberi possint conventus pro casuum moralium examine conficiendo. — 16. Utrum diffusa sit inter fideles lectio librorum prohibitorum. — 17. Utrum in omnibus Vicariatibus et Praefecturis adsit Catechismus, et quatenus affirmative, an in variis libris eius generis servetur uniformitas quoad doctrinae expositionem. — 18. Utrum expediat eiusdem Missionis districtus ita ordinare, ut plures uni Missionario tamquam superiori subsint. — 19. Utrum in singulis districtibus, qui parochiarum locum tenent, diligenter serventur libri baptizatorum, matrimoniorum, defunctorum, nec non status animarum; an ratio habeatur observantiae praecepti paschalis, et utrum memorati districtus ad formam paroeciae a canonibus requisitam accedant. — 20. Indicetur an aliqua speciali ratione consuli possit, ut facilius catholica fides inter indigenas propagetur.

De Ecclesiis, Cappellis, et Presbyteriis. — 21. Exprimatur an sit in missione numerus sufficiens Ecclesiarum et Sacellorum et

utrum illae saltem necessariis ad divinum cultum ornamentis instructae sint. — 22. An catholicus cultus in Vicariatu vel Praefectura libere exerceatur, et quatenus negative, an ratio suppetat, qua obstacula e medio auferantur. — 23. An in singulis sacerdotum residentiis sit decens presbyterium aut saltem aliquis locus a fidelibus oblatus, ubi convenienter manere possint.

De bonis Ecclesiae eorumque administratione. — 24. Quas eleemosynas Societas Propagationis Fidei Lugdunensis praebeat, et an aliquod aliud medium praesto sit, ut sustentationi Missionariorum et expensis pro divino cultu satisfiat. — 25. Utrum et quae bona immobilia, vel quos redditus Missio in promptu habeat ad finem memoratum adhibenda: et quatenus negative, an aliqua ratio innui queat, ut pedetentim certi redditus, sive per oblationes fidelium sive per alias praestationes ab ipsis solutas constitui possint. — 26. Si Missio bona immobilia vel redditus possideat, significandum erit an ab aliquo in hac possessione ecclesiastica turbetur vel prorsus ipsa possessio a Gubernio recognoscatur. — 27. Quae cautelae adhiberi possint, ut securitati ecclesiasticorum bonorum provideatur. — 28. Utrum adsit Consilium aliquod Missionariorum ad eadem bona vel redditus administrandos, et ad impediendam eorumdem dissipationem, et utrum fideles aliquam partem habeant in praedicta administratione.

De rebus ad divinum cultum spectantibus. — 29. Quoad hoc, exponendum an in sacris functionibus ac praesertim in solemni Missae celebratione ritus omnes S. R. E. fideliter serventur, et utrum cantus adhibeantur et an iuxta canonicas praescriptiones. — 30. Utrum et qui populares cantus in Ecclesiis adhibeantur. — 31. An in omnibus Ecclesiis, in quibus sine periculo profanationis fieri potest, adservetur, et quomodo, S. Eucharistia, quaeque sit in tantum Sacramentum fidelium devotio. — 32. Utrum ad maiorem divini cultus decorem et ad pia opera exercenda canonice institutae sint aliquae Confraternitates sive virorum sive mulierum, vel constitui possint. — 33. Quatenus affirmative, quae sit praesens earumdem societatum conditio et an reformatione indigeant. — 34. An in

cultu divino ac veneratione Sanctorum aliquae superstitiones irrepserint et quae.

De Educatione et Institutione iuventutis. — 35. Significandum an sint in Missione scholae pro indigenis tum masculis, tum feminis, et an sufficiant fidelium filiis. — 36. Utrum in ipsis admittantur etiam filii infidelium vel protestantium aut schismaticorum, et quibus cautelis, ne Catholicorum fidei nocere possint. — 37. An in memoratis scholis servetur omnimoda separatio puerorum a puellis. — 38. Quibus credita sit iuventutis institutio. — 39. An adsit aliquis convictus seu Collegium sive pro masculis sive pro feminis, utrum in eo admittantur infideles vel protestantes aut schismatici et quibus cautelis. — 40. An adsint in Vicariatu vel Praefectura Scholae Ministrorum Protestantium vel Scholae paganae et utrum Catholici eas frequentent. — 41. An adsint orphanotrophia, et quibus subsidiis sustententur.

De quibusdam piis Institutis diffundendae fidei valde opportunis. — 42. Utrum adsint Hospitia pro Cathecumenis utriusque sexus et quomodo ordinata sint. — 43. Quae opportunior ratio censeatur adhiberi posse, ut Catechistarum institutio magis utilis ad Missionum bonum evadat. — 44. Utrum erectum sit aliquod Hospitale et quomodo administrentur redditus pro infirmorum sustentatione.

De festis, ieiuniis et abstinentiis. — 45. Quaenam festa in Missione observentur, et an aliqua mutatio hac in re petenda videatur ad obtinendam maiorem uniformitatem. — 46. Quae ieiunia, quique abstinentiae dies serventur sive ab Europaeis sive ab Indigenis, et an etiam in hoc aliquid immutandum appareat.

De Coemeteriis et Sepulturis. — 47. Utrum et quae superstitiones in funeribus apud Christianos invaluerint. — 48. An existant Coemeteria separata pro Christianis, et quatenus negative, an aliquid ad id obtinendum tentari possit; praeterea an sint benedicta.

De Sacramentorum administratione. — 49. Exprimatur an in Baptismate administrando serventur omnia praescripta Ritualis Romani. Speciatim vero an fiat aliqua divisio caeremoniarum, et quo

idiomate interrogationes fiant. — 50. Utrum saepe aliquod dubium suboriatur circa diligentiam adhibitam a Catechistis vel obstetricibus in Baptismate conferendo, et quatenus affirmative, quomodo hac occasione se gerant Missionarii. — 51. Utrum debita diligentia adhibeatur a Missionariis, ne haeretici aut schismatici ut patrini in Sacramento Baptismi et Confirmationis admittantur. — 52. An Sacramentum Confirmationis iuxta generalem Ecclesiae usum vel potius immediate post Baptismum in Missione conferatur. — 53. An et qui sint in Vicariatu vel Praefectura casus reservati, utrum missionariis sufficienter innotescant. — 54. Utrum fideles solemni praeparatione et pompa ad primam Communionem admitti soleant. — 55. An in Vicariatu vel Praefectura promulgatum fuerit Decretum Concilii Trid. sess. XXIV *Tametsi* circa Sacramentum Matrimonii. — 56. Utrum accurate fiant Publicationes ab Ecclesia praescriptae et an diebus a iure praescriptis. — 57. Quomodo se gerant Missionarii in dispensationibus quoad Matrimonii impedimenta, et: primo, an dispensetur in impedientibus: secundo, an plurimi occurrant casus concedendi dispensationes in dirimentibus, praesertim in gradibus proximioribus. — 58. An in dispensationibus concedendis imponantur mulctae vel poenae. — 59. Quomodo concedantur dispensationes, an in scriptis et utrum exprimatur delegatio apostolica. — 60. An usus Matrimoniorum mixtorum invaluerit et qua frequentia, et quomodo circa ea Missionarii se gerant. — 61. An in celebratione matrimoniorum Christiani immisceant aliquas caeremonias superstitiosas.

De abusibus et necessitatibus Missionis. — 62. Enumerentur omnes abusus qui forte irrepserunt etiam inter Catholicos sive circa fidem, sive circa mores, vel administrationem Sacramentorum, et cuiusque alterius generis. — 63. Exprimantur praecipue causae huiusmodi abusuum, et media, quibus evelli possint. — 64. Tandem attente perpendantur spirituales Missionis necessitates, distincte referantur; mediaque proponantur idonea ad maiorem Religionis profectum inducendum.

318. Heic vero obiter notandum est praeter supradictam relationem, teneri Episcopos S. Congregationi Fidei Prop. subiectos, singulis annis referre de statu, exercitiis ac locis Missionariorum, qui fuerunt alumni Collegii Urbani idque vi Const. Alex. VII 20 Iul. 1660.

Poena pro iis qui sacram visitationem tempore a Sixtina Const. praefinito omittunt, est suspensio ab omni episcopatus administratione et perceptione fructuum, imo et ab ingressu in ecclesia ab ipsa die qua visitationis tempus recurrit ipso facto incurrenda, donec a contumacia non resipiscant [1]. Huic tamen poenae derogatum est per Const. *Apostolicae Sedis*.

ARTICULUS VI.

De lege dioecesana i. e. de Episcopi ordinarii iuribus seu obventionibus.

319. Quemadmodum ius imperandi atque exigendi tributa ad legiferam Principum potestatem pertinet, ita eiusmodi ius, quod iuxta canones Episcopi habent in sua dioecesi, legis dioecesanae nomine continetur. Obventionum seu vectigalium genus aliud est ordinarium, aliud extraordinarium.

Ad ordinarium quidem pertinet: 1) cathedraticum ita nuncupatum quia in honorem cathedrae episcopalis penditur, alias synodaticum appellatum quia in synodo dioecesana solvi consuevit. Est autem vectigal annuum Episcopo solvendum in ea summa quae a consuetudine definita est. Hoc vectigal solvi debet ab omnibus ecclesiis etiam confraternitatum, et ab omnibus beneficiis etiam simplicibus Episcopi iurisdictioni subiectis, exceptis cappellaniis quae laicales sunt et ad nutum amovibiles. Unde patet quid ius illud sit, quibus limitibus contineatur et a quibus solvi debeat. His addendum est non posse condonari in praeiudicium successorum, neque abrogari saltem totaliter consuetudine etiam immemorabili [2]. 2) Aliud

[1] Fagn. in Cap. 9 *de iureiur.*, n. 58.

[2] Barbosa *Ius E. U.*, L. 3, Cap. 20, n. 5.

ius est Procuratio de qua mox dictum est. 3) Aliud est quarta decimarum vel quae consuetudine definita est, quod tamen vectigal pluribus in locis obsolevit. 4) Aliud est quarta funeralium, quae portio canonica appellatur, seu pars quarta vel quae consuetudine confirmata est legatorum et funeralium oblationum quae fiunt ecclesiis et locis piis Episcopo subiectis, sed eiusmodi quoque exactio fere ubique obsolevit.

320. Extraordinariae exactiones sunt: 1) subsidium caritativum i. e. vectigal extraordinarium, quod Episcopus a clericis atque ecclesiis sibi subiectis caritatis nomine exigit necessitate gravi occurrente, in quo quatuor conditiones concurrere debent, seu ut vera adsit indigentia, ut capituli consensus habeatur, ut pecunia quae exigitur, licet varia esse debeat pro varia necessitate, attamen moderata semper sit neque onerosa; denique ut ab iis non exigatur, qui vix habent unde sustententur [1]. In specie quoad Italiam exigi ab Episcopo non potest nisi in primo ingressu, idque in ea summa quae consuetudine definita sit [2]. Unde fit ut necessitate occurrente, absque venia Apostolicae Sedis imperari nequeat. 2) Alia exactio extraordinaria est *census,* quo nomine hic intelligitur onus reale vel annuum vectigal ab Episcopo legitimo tempore alicui pio loco impositum, sibi vel aliis solvendum. Nonnisi autem duplici tempore eiusmodi census imponi potest: *a*) in consecratione ecclesiae recenter fundatae, accedente patroni consensu; *b*) cum, annuente capitulo, Episcopus ecclesiam piis locis concedit eamque subtrahit a sua iurisdictione. His addendum est, censum semel impositum augeri amplius non posse.

[1] S. Congr. Conc. in *Gerund.* 17 Febr. 1663.

[2] Innoc. XI, Litt. *Essendosi avuto,* 8 Oct. 1678.

CAPUT II.

DE EPISCOPIS TITULARIBUS.

321. Episcopi titulares ii dicuntur, qui ad ordinem episcopalem evecti sunt alicuius antiquae Cathedralis titulo ab infidelibus occupatae adeoque clero et populo christiano mensaque episcopali carentis. Antea tales Episcopi *in partibus infidelium* appellari consueverunt, in praesens ex Decreto Leonis PP. XIII *titulares* nuncupantur. Porro causae ob quas ii Episcopi instituuntur sunt: 1) Ut perpetuo quodam monumento illarum regionum cura excitetur et ne Ecclesia acquievisse videatur hostium violentiae; 2) Ut Episcopi praesto sint qui, sine propriae dioeceseos damno, pro variis Ecclesiae necessitatibus advocari possint a Romano Pontifice in subsidium sive tamquam Sedis Apostolicae Legati, quos decet episcopali dignitate eminere utpote Episcopis praepositos, sive tamquam Vicarii Apostolici, vel Suffraganei alterius Episcopi, sive ut in Curia romana Episcoporum negotiis et causis praeficiantur, sive denique ut honori supremae cathedrae inserviant. Iamvero totam tractationem de Episcopis titularibus tribus capitibus expediemus, quorum 1° de eorum potestate agemus; 2° de eorum praeeminentiis; 3° de eorum obligationibus.

ARTICULUS I.

De potestate Episcoporum titularium.

322. Ex eo quod Episcopi titulares sunt veri Episcopi et vero spirituali matrimonio Ecclesiis suis coniuncti, contra autem, quod clero careant et populo adeoque actuali iurisdictione et episcopali mensa, hae generales regulae consequuntur: 1) eorum promotionem, nisi aliud obstet, pertinere ad liberam Romani Pontificis collationem, et eadem exigere requisita quae in ceteris Episcopis requiruntur, nisi quod praecellentia inter dignos non exigitur; 2) quae ad potestatem ordinis pertinent, valide ab iis confici, sed ex iurisdictionis defectu illicite, nisi Ordinarii licentia concurrat. Unde sequitur si quid-

quam huiusmodi attentent, in easdem poenas eos incidere, quas ceteri incurrunt Episcopi, qui eadem fecerint quoad alienos subditos atque in aliena dioecesi.

Hinc *a*) Episcopus titularis, quamvis valide, illicite tamen conferret absque Ordinarii licentia sacramentum Ordinis et Confirmationis [1]. Non potest autem, neque ex licentia expressa Ordinarii, suum familiarem absque alio titulo quam triennalis habitationis sacris initiare ordinibus, tum quia Episcopo titulari non est concessa, imo interdicta est sui familiaris promotio ex Concilio Tridentino, tum quia Episcopus titularis qua talis non potest ordinato statim beneficium conferre, ut exigit Tridentinum ipsum [2].

323. Quaerunt hic Doctores an Episcopus titularis possit ad Ordines promovere civem illius civitatis, cuius ipse habet titulum episcopalem, si hospes in regionem diverteret ubi Episcopus ipse moratur; et respondent quod, sive agatur de eo qui in nostris regionibus christianam religionem amplectitur et in patriam subinde revertitur, sive de eo qui, baptismo suscepto in ipsa civitate infideli, huc hospes adveniat, Episcopus titularis licite non potest civem ipsum ad sacros Ordines promovere nec ei litteras dimissoriales dare ut ab alio Episcopo ordinetur. In primo enim casu talis advena, qui in nostris regionibus fidem catholicam amplexus est in iisque baptizatus, efficitur post baptismum subditus ratione originis eius Episcopi, in cuius dioecesi baptizatus est, ratione vero domicilii, eius Episcopi in cuius dioecesi domicilium statuit iuxta formam praescriptam ab Innoc. II. [3]. In alio casu cum catholici degentes inter infideles, nec habentes Episcopum residentialem, subsint in divinis actualiter et privative curae vel immediatae vel mediatae Sedis Apostolicae, quae per se vel per suos delegatos sive temporaneos sive perpetuos eos regit, solum cura habitualis est apud

[1] SANCHEZ *de matr.* lib. 1, disp. 19; BARBOSA in Coll. 217.

[2] Sess. XXIII, Cap. IX de Reform.

[3] Innoc. II. in Const. *Speculatores*; Card. DE LUCA *in annot. ad Conc.* Disc. 14, n. 14; PAX IORDANUS T. 1, Lib. 3, Tit. 6; LA CROIX Lib. 6, p. 2, n. 2181.

Episcopum Titularem et consequenter Episcopi titulares non possunt tales christianos ordinare vel dare litteras dimissorias pro ordinandis iis qui nati ac baptizati sunt vel domicilium habent in civitate sui tituli.

Ex eodem principio sequitur *b*) Episcopum titularem licite non posse absque dioecesani Episcopi licentia in aliena dioecesi ea peragere, quae ordini episcopali sunt adnexa iure ecclesiastico, cuiusmodi est consecrare templa, altaria, vasa, etc. Nec posse paramenta et vestes sacras benedicere, siquidem absque Ordinarii licentia fas ipsi non est pontificalia exercere.

Ex eo quod Episcopi titulares iurisdictione actuali careant sequitur *a*) non posse indulgentias conferre siquidem indulgentiae a Praelatis concessae alienis subditis, nullae sunt [1], qui enim ligare non potest, nec potest solvere. Potest tamen eas concedere ex commissione Episcopi dioecesani [2].

Sequitur *b*) habere quidem approbationem implicitam, non tamen iurisdictionem ad confessiones audiendas; hinc non posse suos familiares a peccatis absolvere, nec eorum Confessarium approbare [3]. Quamvis autem per se loquendo audire confessionem posset catholici, qui stabiliter habitans in civitate cuius ipse habet titulum, hospes in has regiones diverteret; per accidens tamen non potest, quia, cum, ut diximus, fideles illi subsint actualiter in divinis curae vel immediatae vel mediatae S. Sedis, Episcopi titulares non sunt actualiter, sed solum habitualiter proprii eorum pastores [4].

Sequitur *c*) non posse approbare Sacerdotem aliquem nostratem ad audiendas confessiones catholici sui subditi commorantis in nostris regionibus, confessarius enim debet esse approbatus ab Ordinario loci [5]. Nec valide assistere posset matrimonio eiusdem sui subditi.

[1] Ex cap. *Quod autem* de poenit.

[2] LAYMAN *de Indulg.* cap. 4, n. 1.

[3] SUAREZ *de Poenit.* disp. 26, sect. 2.

[4] LAYMAN cap. 3 *de Vic.* n. 2; REBUFFUS *in prax.* P. 1, tit. *de Vicar. perp.* n. 11.

[5] DE LUGO disp. 21. *de Poenit.* n. 37, et in *Resp. moral.* Lib. 1, dub. 17.

Nec *d*) potest authenticare reliquias Sancti canonizati.

Quaeritur hic an possit et debeat examinare eos, quos de licentia Episcopi dioecesani eiusque commissione ad sacros Ordines promoturus est. Porro cum distinctione reponendum est; vel enim promovendus fuit a proprio Episcopo examinatus, vel non. Si fuit examinatus, habet quidem ius integrum iterum illum examinandi, quia potest velle cognoscere cuinam Ordines conferat, non tamen obligationem habet illum examinandi. Quod si examinatus non fuit, debet Episcopus Titularis promovendum examini subiicere, nisi notorie constet de qualitatibus requisitis.

ARTICULUS II.

De iuribus et praeeminentiis Episcoporum Titularium.

324. Quoad praeeminentias, canon est Episcopos titulares iis omnibus pollere, quae ipsi ordini adhaerent vel ex spirituali matrimonio cum sua Ecclesia oriuntur, vicissim autem iis carere, quae ex actuali iurisdictione dimanant. Hinc sequitur: 1) ob matrimonii vinculum cum sua Ecclesia eos non posse eligi ad aliam Ecclesiam, sed debere postulari, adeoque nec transferri posse, nisi vinculum prioris Ecclesiae a Romano Pontifice solvatur. 2) Ex honoribus privatis uti posse Episcoporum vestibus, quae tamen iurisdictionem non indicent. In aliena vero dioecesi uti non possunt, absque Ordinarii licentia, veste quam dicunt *mozzetta* (nisi regulares sint, quibus alia quam dicunt *mantelletta* uti non licet), imo et veste linea, quae audit *rochettum,* atque veste superiori id est *mantelletta,* multoque minus habitu pontificali. Item 3) praecedentiam supra presbyteros habere, nisi forte officii ratio atque ordo aliud exigat. Inter Episcopos autem iuxta ordinem promotionis sedere, nisi illi in sua dioecesi sint, aut munus aliquod suae iurisdictionis exerceant. Romae hoc habent speciale Episcopi Titulares, quod in praeeminentiis aequaliter omnino cum Episcopis residentialibus habeantur, et solus promotionis antiquior ordo praecedentiam in eadem linea Archiepiscopi vel Episcopi conferat, excepto casu quo Episco-

pus recentior sit Episcopus Assistens Solio Pontificio. Sequitur 4) Episcopos titulares subiectos esse immediate Apostolicae Sedi et exemptos a iurisdictione Ordinarii, nisi de negotiis agatur dignitatis aut officii quod in dioecesi illius forte habeant. In causis criminalibus maioribus, quae depositionem merentur aut privationem, et aliis magis arduis, si conveniantur, conveniendos esse coram Summo Pontifice iuxta Trid. Conc. [1]. In minoribus recurrendum ad S. Congr. EE. et RR. Denique 5) sequitur privilegio frui Oratorii privati, altaris portatilis, electionis Confessarii approbati tamen ab Ordinario loci, et si quae sunt alia quae ipsi episcopali ordini adnexa sunt. Notandum est non satisfacere praecepto qui sacrum audiunt in eius altari portatili celebratum, exceptis personis eidem Episcopo actu necessariis [2]. Ex secundo principio sequitur carere Episcopos titulares privilegio quod in casibus occultis a Concilio Tridentino Episcopis tributum est, aliisque si quae sint actualis iurisdictionis intuitu concessis.

ARTICULUS III.

De obligationibus Episcopi Titularis.

325. Ob episcopalis ordinis veritatem tenentur Episcopi Titulares ad consecrationem intra trimestre a die confirmationis suscipiendam, nisi forte inexcusabilis necessitas consecrationis tempus amplius prorogari expostulet. Tenentur item ad fidei professionem emittendam [3].

Ob defectum vero actualis iurisdictionis non tenentur lege residentiae. Hinc non vacant beneficia, quae tempore promotionis ad ordinem episcopalem babent, neque incapaces ad alia obtinenda ipsi evadunt. Pariter ex eodem principio sequitur non teneri onere applicationis missae pro populo, licet consentaneum sit eos etiam in-

[1] Sess. XXIV, cap. V, de Reform.

[2] S. Congr. Rit. decr. diei 22 Aug. 1818, Gardellini n. 4547.

[3] Squillant *de obl. Episc.* P. I, cap. 1, n. 38.

terdum sacrificium offerre ut respiciat Deus miseram Ecclesiae illius conditionem, cuius titulo et nomine ipsi honestantur [1]. Neque tenentur onere visitationis sacrorum liminum, neque petitionis et usus Pallii, si archiepiscopalem titulum habeant.

Porro cum saepe contingant ut Episcopus Titularis sit alterius Episcopi Suffraganeus vel Canonicus in aliqua cathedrali, operae pretium est inspicere quaenam praerogativae Episcopo Titulari talia gerenti munera competant.

Atque ad munus Suffraganei quod attinet, notandum in primis est assignandum esse illi annuum censum quo honeste sustentari queat [2]. Talem autem censum eidem deberi quatenus inserviat declaravit S. Congr. Conc. 11 Iun. 1592. Insuper Episcopus suffraganeus nonnisi de expresso consensu et licentia Episcopi potest pontificalia officia in dioecesi et civitate exercere [3]. Hinc sede vacante et Capitulo licet non contradicente, non posset eadem pontificalia exercere [4]. Si quando Episcopus suffraganeus choro intersit, sedere non debet in sede episcopali [5]. Eidem ad ecclesiam venienti pro celebrandis pontificalibus non tenentur Canonici obviam ire usque ad cubiculum, sed satis est quod aliqui canonici obviam procedant usque ad portam Ecclesiae [6]. In ipso actu pontificalia exercendi nomine Episcopi dioecesani, ex. gr. in sacra ordinatione, Canonici debent assistere in habitu tamen ordinario canonicali, exceptis illis qui iuxta necessitatem officii debent paramenta accipere [7] Suffraganeus solemniter celebrans non debet sedere nisi in *faldistorio*, et quamvis praeter diaconum et subdiaconum debeat habere canonicum assistentem pro libro, non debet tamen habere assistentiam duorum canonicorum, sicut haberet proprius Episcopus; nec poni

[1] Leo XIII Const. *In suprema* IV. Id. Iunii 1882.

[2] Fagnanus in cap. *Episcopalia* de privil.

[3] Barbosa *Coll. Doct.* in Conc. Trid. Sess. VI, cap. V.

[4] Barbosa l. c.

[5] Caerem. Episc. cap. 33; Quaranta in *Addit.* V. *Archiep.*

[6] Sac. Rit. Congr. in *Bracharen.* 1 Sept. 1607.

[7] Barbosa l. c.

debet in altari septimum candelabrum, nec debent Canonici accedere ad circulos ante eum, qui pariter nequit inter celebrandum uti Baculo Pontificali. Decet autem ut in fine missae populo benedicat [1].

326. Ad haec: cum Episcopus suffraganeus non habeat exercitium iurisdictionis, non potest absque speciali delegatione et mandato Episcopi visitare clausuram monialium [2]. Nec potest sine Episcopi licentia populo benedicere dum per civitatem incedit [3].

Quoad Episcopum Titularem Canonicum sufficiat notasse: 1) ipsum assistere debere choro in habitu ordinario; 2) in Capitulo habere ius suffragii sicut ceteri Canonici: 3) subesse cum aliis canonicis visitationi sui Episcopi [4]. 4) A missis de turno abstinere debere, ne sine pontificali habitu eas canere cogatur [5].

Si absit a choro occupatus in exercendis pontificalibus, non lucratur distributiones, nisi vel privilegio Pontificis vel consuetudine legitime praescripta, vel statuto a Pontifice confirmato eidem concedantur.

CAPUT III.

DE EPISCOPIS REGULARIBUS.

327. Episcopus regularis considerari potest 1) relate ad emissa vota; 2) relate ad regulam religiosi ordinis. Principium generale est quod: Regularis promotus ad Episcopatum tenetur ad omnia quibus professione religiosa adstringitur quatenus haec componi possunt cum Pontificali officio. Hinc Episcopum regularem considerare possumus 1) relate ad vota emissa paupertatis, obedientiae et castitatis; 2) re-

[1] Barbosa *Collect. DD. in Conc. Tr.* 286; Gavantus V. *Coadiutor Episcopi.*
[2] Quaranta in *Add.* V. *Archiep.*
[3] S. Congr. Conc. in *Vilnen.* 22 Febr. 1631.
[4] Gavantus V. *Coadiutor.*
[5] S. Rit. Congr. in *Asculana* 10 Apr. 1728.

late ad regulam ordinis. Et 1) relate ad votum paupertatis Religiosus paupertatis voto quodammodo propriam iuridicam personalitatem amittit, quatenus eius personalitas iuridica in personalitate monasterii sustinetur, eo quasi modo quo romanorum iure servi propriam iuridicam personalitatem non habebant, sed eorum iuridica personalitas in persona domini sustinebatur. Hinc uti servus iure romanorum incapax erat dominii: ita et religiosus iure canonico, et prouti iure Romanorum valet principium: quidquid servus acquirit non sibi sed domino acquirit, ita iure canonico pro regularibus solemniter professis valet principium: quidquid regularis acquirit non sibi sed monasterio acquirit.

Verum Regularis per promotionem ad Episcopatum scinditur quodammodo a monasterio, et unitur per spirituale connubium cum propria Ecclesia. Cuius separationis ac unionis effectus iuridicus est, quod si antea regularis personalitas iuridica in personalitate iuridica monasterii, quatenus monasterium persona iuridica moralis saltem coram Ecclesia est, postea eius personalitas iuridica in personalitate iuridica suae Ecclesiae sustineatur.

Quare post promotionem ad Episcopatum Episcopo Regulari applicatur principium: quidquid Episcopus Regularis acquirit non sibi sed Ecclesiae acquirit. Episcopus Regularis, ait S. Thomas [1], nihil habet tamquam proprium sed sicut dispensator communium bonorum Ecclesiae. Unde quoad substantiam Episcopus regularis tenetur voto paupertatis licet in illius observantia a simplici religioso ut evidens est differat.

328. Ad votum castitatis quod attinet non est ut aliqua quaestio instituatur.

329. Relate ad votum obedientiae dicendum est, illud in se inspectum non resolvi per promotionem personae ad Episcopatum sed eius observantiam urgeri non posse quia Episcopus non habet amplius superiorem Regularem cui subiiciatur. Sicuti ius distinguitur ab exercitio iuris, ita ut primum sine altero existere valet, ita obli-

[1] In 2^a 2^{ae}, q. 88, art. 8 ad 8^m.

gatio a solutione obligationis distinguenda est, ita ut obligatio sine eiusdem solutione persistere valeat.

330. Quod si Episcopus Regularis 2) quoad regularum religiosi ordinis observantiam consideretur notamus quod Andreuccius [1] docet Episcopos regulares ad regulae observantiam teneri ex sola decentia et honestate: et hoc probare conatur ex canone *Statutum* in decreto Gratiani [2]. At S. Thomas [3] explicans praedictum canonem docet: ille qui de monacho fit Episcopus absolvitur a iugo Monasticae professionis non quantum ad omnia sed quantum ad illa quae officio Pontificali repugnant. Quare doctores communiter tenent religiosum ad Episcopalem vel Cardinalitiam dignitatem evectum substantialiter religiosum permanere [4]. Hinc Alexander VII in decreto diei 26 Iulii 1662 super residentia Episcoporum confirmato a Clemente XI 1715 et extenso ad Episcopos omnes Regulares ait: decernit insuper et declarat Sanctitatis suae mentem nequaquam esse, eosdem Episcopos, sive regulares fuerint, ab obligationibus professioni regulari quam emiserant, adnexis per ademptionem dignitatis ac muneris Episcopalis ullatenus absolvere ac eximere nisi quatenus eiusdem muneris ac curae pastoralis exercitio impedimento sit. Ita et Benedictus XIII [5], ita adprobatione Pii IX resolvit S. C. Episcoporum et Regularium die 6 Maii 1864 quae resolutio in collectanea Cardinalis Bizzarri invenitur. Itaque 1) in ipsa promotione cum e claustris egrediuntur nihil secum deferre debent, praeter scripta propria, indumenta et breviarium, sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda [6]. 2) In episcopatu servare debent Ordinis regulas quae materiam voti paupertatis determinant atque alias regulas et observantias dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi qua tenebantur antequam assequerentur

[1] *De Episcopo titulari,* par. 3, 163.

[2] Caus. 18, q. 1.

[3] 2a 2ae, q. 83, art. 8.

[4] Cfr. De Lugo Reg. Mor. Lib. 5, dub. 12.

[5] Constit. *Custodes* die 7 Mart. 1723.

[6] Bened. XIII Const. *Postulat* 7 Mart. 1725.

dignitatem episcopalem, ita tamen ut in peculiaribus casibus prudenter iudicium ferre possint utrum cum dignitate et officio episcopali illae conveniant [1]. Hinc debent tonsuram capitis gestare, habitum laneum induere eiusdem coloris, qui sui Ordinis est proprius [2]. Post promotionem recuperant ius ad haereditates sibi delatas ita tamen ut proprietatem Ecclesiae suae adquirant et usumfructum sibi. Episcopatu dimisso, regredi ad claustra debent sub poena privationis usus pontificalium et, post annum, suspensionis a divinis ipso facto incurrenda [3]. Ad religionem vero redientes, non possunt dignitates et officia illius religionis obtinere [4].

331. Heic addendum spolia rerum omnium tempore missionis adquisitarum, non modo a Missionariis, sed etiam ab Episcopis Regularibus in missione degentibus, aere et sumptibus Sacrae Congregationis Fid. pr. post eorum obitum ad S. Congregationem spectare et in utilitatem missionis esse eroganda [5]. Anno vero 1773 hoc ipsum fuit decretum pro omnibus Episcopis, Vicariis Apostolicis et Missionariis cleri saecularis, qui a Sac. Congregatione aluntur. Quocirca non pertinent ad S. Congregationem ipsam ea quae proprietatis sunt missionariorum vel Episcoporum quaeque ad religionem spectabant. Quod si de iis agatur, qui sumptibus Sacrae Congr. non aluntur, ad eam dumtaxat spectant, quae ab ipsa fuerunt eis transmissa, ex. gr. calices, indumenta sacra. Quae vero ex fidelium eleemosynis adquisita sunt, ea ad missionem pertinent, dummodo tamen aperte et clare non constet, ea non favore ecclesiae, sed directe eis donata fuisse, quo casu ad eorum haeredes transeunt [6].

[1] S. Congr. Epp. et Reg. 6 Maii 1864.

[2] Bened. XIV Const. *Custodes* 7 Mart. 1726.

[3] Bened. XIV Const. cit.

[4] Ita ex Pauli IV Const. *In Sacra* 19 Iulii 1559; Barbosa in *Collect. Apost. Decis.*; Squillant *de privileg. Episc.* p. 2, cap. 22.

[5] S. Congr. Fid. Prop. probante Innocentio XIII 22 Decembr. 1722.

[6] Super residentia Episcoporum Regularium cfr. Collectaneam S. C. Propag. Fidei n. 84-87. Cfr. decr. 95-103-106.

TITULUS IV.

De iis qui Episcoporum vicariatum gerunt.

Episcoporum vicariatum gerunt Vicarii Generales, Vicarii Foranei, Parochi ac ipsi Parochorum vicari. Porro de his singulis capitibus nobis agendum est.

CAPUT I.

DE VICARIIS GENERALIBUS.

Videbimus 1) de Vicarii Generalis electione 2) de Vicarii Generalis potestate.

ARTICULUS I.

De Vicarii Generalis electione.

332. Vicarius generalis est persona cui Episcopus suam iurisdictionem demandat ut eam in universim dioecesim suo nomine exerceat.

In tractatu de iure publico ecclesiastico dictum est quaenam sit origo historica quae constituit 1um gradum iurisdictionis eorum qui vicariatum gerunt Episcoporum.

333. Episcopus ius habet constituendi sibi vicarium generalem, non autem onus. Etenim Vicarii generalis necessitas derivat ex Episcopi insufficientia qua omnibus suae dioeceseos necessitatibus occurrere non valet.

Quare si Episcopus oneri suo obeundo par sit, vicarium sibi constituere nullatenus tenetur.

1) Et sane nullibi in iure haec obligatio Episcopis imposita deprehenditur [1].

[1] Ita et BARBOSA in libr. 1. *Iuris Eccles.* c. 15, ubi affert plures decisiones S. Rotae Romanae.

a) Concilium Chalcedonense in can. 27 mandavit ut Episcopus sibi eligeret vicarium qui res Ecclesiae temporales administraret, ne res temporales ab Episcopo administratae ipsum in quandam perfidiae suspicionem inducerent. Tunc temporis enim bona Ecclesiae erant communia apud Episcopum. At hic vicarius nullo modo dici potest vicarius generalis iuxta quod hoc nomine in iure intelligitur: dicebatur enim potius oeconomus.

b) Gregorius Magnus [1] iussit ut Paschasius Episcopus Neapolitanus sibi eligeret vicarium generalem. Hoc tamen nostram propositionem confirmat. Paschasius enim uti liquet ex citato canone valde deses erat in exercendo munere Episcopali. Quare ex hoc deducitur Episcopos teneri ad eligendum Vicarium generalem si hoc sit necessarium ad dioeceseos rectam gubernationem. Hoc autem non vi singularis praecepti et obligationis, sed vi obligationis generalis qua tenetur Episcopus ut rectae dioeceseos administrationi utiliter consulat [2].

Quin imo si Episcopus non paruerit S. Congregationis Episc. et Regul. admonitionibus, destinatur ab Apostol. Sede ei Vicarius qui dicitur vicarius Apostolicus, quem Episcopus removere non potest, quique procedit auctoritate a S. Sede commissa.

334. Ex hoc descendit posse Episcopos sibi constituere plures vicarios generales, si unus non sufficiat.

Verum plures vicarii constitui possunt per se quadrupliciter

1) Ita ut territorium dividatur in partes et pro unaquaque parte constituatur Vicarius. Quod tamen ad rem nostram non pertinet. Isti enim non sunt vicarii generales sed particulares, cum iurisdictionem non habeant in tota dioecesi sed in parte. Quare hic vicarius particularis non posset executioni mandare litteras apostolicas [3].

Secus autem dicendum si Episcopus duas dioeceses habeat aeque principaliter unitas; pro unaquaque enim potest tunc di-

[1] Can. 1, dist. 84 in Decreto.

[2] Cap. 14 et 15 de off. iud. ordin.

[3] Uti censuit S. Congregatio in una *Nullius* diei 22 Dec. 1628.

stinctum vicarium generalem constituere; imo uti quando etiam debet [1].

335. Diximus si habeat duas dioeceses aeque principaliter unitas. Etenim beneficia tripliciter uniuntur *a*) unione tituli extinctiva cum ex duobus beneficiis fit unum tertium beneficium; *b*) unione minus principali cum inferior Ecclesia accessorie superiori unitur. Ecclesia superior est matrix; inferior filialis. Cessat per hanc unionem titulus Ecclesiae inferioris et habetur ut pars alterius cui accessorie unitur quaeque proprium titulum servat.

c) Unione aeque principali quum utraque Ecclesia proprium titulum servet et distinctum inter se.

2) Constituuntur plures Vicarii ita ut dividatur eorum iurisdictio; et alter habeat iurisdictionem voluntariam qui dicitur Vicarius generalis; et alter iurisdictionem contentiosam qui dicitur proprie officialis. Quod in iure non reprobatur, etsi plenissime iuris intentioni non aptetur cum Tridentinum agat non de Vicariis sed de Vicario generali.

3) Constituuntur plures Vicarii generales quatenus procedere possint in solidum et ille primus negotia expediat qui ea prius occupaverat. Hoc pariter non reprobatur in iure, etsi non sit iuris intentioni consentaneum cum ius agat de Vicario non de Vicariis. At haec consuetudo uti vigeat condemnari non debet [2], quia has consuetudines etsi cognitas legislator non reprobat immo quandoque positive approbat. Romae enim expediuntur litterae Apostolicae Episcopo et Vicariis eiusdem in spiritualibus constitutis. Quare De Angelis [3] ait « hodie solet a iuristis ita solvi haec quaestio idest ubi consuetudo iam viget ius patitur ut plures vicarii in solidum constituantur; at ubi haec consuetudo non est, non permittitur introduci ».

[1] Ita resolvit S. Congregatio Episc. et Regul. in *Sutrina* 1594, et prouti deducitur ex aliis decisionibus.

[2] Uti resolvit S. Congr. Conc. in *Lancianensi* 1599.

[3] H. t. n. 9.

4) Plures Vicarii constitui possunt ut agant collegialiter, quod in iure reprobatur.

Etenim difficillime negotia definiuntur a collegio personarum quando agitur de universalitate causarum. Ob opinionum differentias, et dissensiones negotia retardantur [1].

336. Qui constitui possit Vicarius generalis?

1) Non potest constitui laicus quia iurisdictionis ecclesiasticae incapax est [2].

Verum Episcopus potest laico committere munus adsessoris vel Consultoris in suo tribunali ut referat quae sunt iuris non vero ut sententiam pronunciet.

2) Debet esse clericus etsi sola tonsura initiatus; et habere aetatem viginti quatuor annorum expletorum ac insignitus laurea vel licentiatu in sacra theologia, aut in iure canonico [3].

3) Eligi nequeunt Regulares [4], coniugati; aut bigami, Parochi, Canonici poenitentiarii, et omnes animarum curam habentes. Ratio est quia parochus potitur officio quod assiduam residentiam et operam exigit.

4) Neque iure antiquo neque iure Tridentino praescribitur ut eligatur in Vicarium generalem personam extradioecesanam; imo olim Vicarius generalis in foro externo erat archidiaconus ecclesiae Cathedralis, in foro interno Archipresbyter. At in praxi contrarium inductum est. Et Card. De Luca [5] exponit praxim esse S. Congr. Ep. et Reg. ut quando ad eam recursus habeatur, demandari soleat Episcopo ut habeat Vicarium generalem doctorem, et

[1] Ita Trid. Sess. 24, c. 12, de Ref. sede vacante decrevit ut eligatur Vicarius Capitularis.

[2] C. a. de iudiciis.

[3] Ex Trid. eccl. 24, c. 12, de Reform.

[4] Clementina 1ª de Regularibus loquitur tantummodo de mendicantibus, at ex praxi ad omnes regulares extensa est, cum ex decreto Clementis VIII de Reformatione Regularium principium invaluerit: Regulares extra claustra monasterii sine licentia apostolicae Sedis degere non posse.

[5] In Adnot. ad Concil. Trident.

non dioecesanum [1]. Attamen haec praxis novum ius non induxit, nullibi enim habetur super re expressa iuris dispositio. Et praxis citata a Cardinali De Luca, et resolutiones S. C. Concilii a Ferraris allatae casus speciales respiciunt. Quare dicendum est quod etsi magis sit opportunum ut eligatur extraneus, eligi potest etiam dioecesanus qui ex praxi appellatur Provicarius generalis.

337. Quamvis Vicario Generali nulla sit dignitas beneficii ratione, est tamen ratione magistratus quem gerit, quandoquidem dignitatis nomine quaevis etiam continetur praeeminentia ex iurisdictione proveniens. Hinc eidem competit ius praecedendi omnes alios non modo Canonicos verum etiam Praelatos Episcopo inferiores, sive absente, sive praesente Episcopo, neque tantum in actibus quibus interest ratione suae iurisdictionis, verum etiam in omnibus aliis, dummodo tamquam Vicarius intersit neque Canonici sacras vestes gerant, cuiusmodi sunt pluvialis, dalmatica [2]. Unde sequitur Vicarium Generalem potiori ratione digniorem locum in spiritualibus obtinere prae Gubernatore ceterisque iudicibus et Commissariis, qui circa temporalia negotia constituti sunt. Sequitur insuper eumdem si sit Canonicus utque talis choro adsit, ceteros nullatenus praecedere, sed locum suum tenere, et si velit praecedere ut Vicarius, debet habitum canonicalem dimittere, tunc vero distributiones non lucratur [3].

ARTICULUS II.

De potestate Vicarii Generalis.

338. Ad potestatem Vicarii Generalis quod attinet, quatuor regulae prae oculis habendae sunt. 1) Potestas Vicarii Generalis utpote eius officio adnexa, est ordinaria non delegata. 2) Eadem vicem gerit iurisdictionis ordinariae Episcopi ita ut in iis quae ad eam pertinent Vicarius unum idemque cum Episcopo habet tribunal. 3) In potestate quam Vicarius Generalis habet generali mandato ea non com-

[1] Ita Ferraris in Biblioteca iuris Canonici plures affert resolutiones S. C. Conc.

[2] S. Congr. Rit. 3 aug. 1602 etc.

[3] S. Rit. Congr. 2 aug. 1603.

plectuntur quae graviora habentur. 4) Eadem aliquatenus ampliari vel restringi potest ab Episcopo. Ad primam regulam quod attinet notamus hac de re doctores in diversas abiisse sententias. Alii enim dicunt Vicarii Generalis potestatem esse delegatam. Nam illa iurisdictio delegata est quae nomine alieno exercetur, quaeque ad nutum revocabilis est, atqui Vicarius Generalis iurisdictionem alieno nomine nempe Episcopi exercet, revocabilis eius iurisdictio est ac limitabilis. Alii dicunt iurisdictionem Vicarii Generalis sui generis esse nempe anomalam ac referre indolem utriusque potestatis ordinariae ac delegatae. Quod historice explicant. Etenim antiquitus Vicarius Generalis erat Archidiaconus. Iurisdictio Archidiaconi erat revera ordinaria quia adnectebatur beneficio Archidiaconatus et illam nomine proprio Archidiaconus exercebat, ita ut mortuo Episcopo, Archidiaconi iurisdictio cessabat. Ita et de Archipresbyteris dicatur. At abolita iurisdictione Archidiaconorum ac Archipresbyterorum electa fuit persona cui concredita fuit iurisdictio quae apud Archidiaconum ac Archipresbyterum erat. Quare iurisdictio Vicarii Generalis induit naturam iurisdictionis ordinariae quia Archidiaconi potestati substituta est.

Quare eo ipso quod clericus Vicarius Generalis constituitur, absque alio mandato iurisdictionem ratione sui officii acquirit. Et hoc sub respectu iurisdictio Vicarii Generalis est ordinaria.

339. Verum iurisdictio Vicarii Generalis non est alicui beneficio tamquam titulo perpetuo coniuncta, nec magistratum distinctum constituit sicuti erat Archidiaconus, sed titulum ministerii Episcopalis et magistratum Episcopi repraesentat. Ex quo patet iurisdictionem Vicarii Generalis referre indolem potestatis delegatae quae ex titulo alieno procedit. Alii dicunt iurisdictionem Vicarii Generalis esse ordinariam, et nos huic sententiae omnino subscribimus [1].

Nam illa est iurisdictio ordinaria quae 1) ex legis dispositione adhaeret officio et 2) nomine proprio exercetur. Iamvero iurisdictio Vicarii Generalis ex legis dispositione officio adhaeret. Exercetur

[1] Cf. *Elementa iuris publ. eccles.* Solieri *De Vicariis Generalibus.*

autem a Vicario Generali nomine proprio quia unam iuridicam personam cum Episcopo constituit. Quare etiamsi passim in iure dicatur Vicarium Generalem iurisdictionem nomine Episcopi exercere, attamen hoc singulari modo intelligendum est quatenus nempe unam iuridicam personam cum Episcopo ipse constituit, quod de delegato simpliciter non verificatur. Quare non iurisdictionem Vicarius Generalis ab Episcopo accipere dicendus est sed officium, prouti Episcopus non iurisdictionem a Vicario Generali revocat sed officium. Caeterum ait Berardi quaestio est potius de verbis; nam substantialiter quoad ea quae determinant potestatem Vicarii Generalis omnes conveniunt.

340. Interea ex enunciata regula consequitur 1) quod Vicarius Generalis non potest suum officium in alium transferre etsi possit ad particulare negotium delegare 2) in iis quae ei delegantur speciali mandato non agit per se uti Vicarius Generalis, sed uti quilibet delegatus adeo ut ab eius sententia ad Episcopum appellatur nisi forte in eodem mandato dicatur Vicariam ipsam potestatem ampliari.

Ex eo quod Vicarius Generalis vicem gerit iurisdictionis ordinariae Episcopi ita ut in iis quae ad eam pertinent unum tribunal cum Episcopo constituat, consequitur 1) Vicarius Generalis nil potest relate ad ea quae Episcopus vi potestatis delegatae exercet; 2) nil potest relate ad ea quae ad potestatem ordinis pertinent etiamsi ratione ordinationis Episcopus sit titularis. Etenim Vicarius Generalis vicarius est iurisdictionis quae circa ordinis potestatem exercetur. Secus autem dicendum si talis potestas ei expresse concedatur sicuti accidit de Vicariis Generalibus Episcopis auxiliariis; 3) a sententiis iudicialibus Vicarii Generalis non appellatur ad Episcopum.

341. In potestate quam Vicarius Generalis generali mandato habet ea non complectuntur quae uti graviora habentur. Quare Vicarius Generalis non potest Synodum cogere, Constitutiones synodales mutare, dioecesim visitare, litteras dimissorias ad ordines suscipiendos concedere, causas matrimoniales decernere, poenam privationis beneficii, officii, administrationis inferre, causas criminales cognoscere, absolvere a casibus Episcopo reservatis, beneficia erigere, de una ad

aliam ecclesiam clericos transferre, iuripatronatus ecclesias subiicere etc. Haec enim speciale mandatum exigunt.

342. Vicarii Generalis potestas potest aliquatenus ampliari vel restringi ab Episcopo, quod fit speciali mandato. Speciale mandatum duplex esse potest: 1) aliud est quod data occasione Episcopus vicario suo tribuit ad aliquod peculiare negotium peragendum; 2) aliud quod post personae deputationem ad officium Vicarii Generalis eidem Episcopus folio scripto tradit quo facultates designantur quas Episcopus Vicario tribuere intendit. Quoad primum mandatum nulla difficultas oriri potest, nam Vicarius mandantis mentem cognoscit ex commissione sibi data etiamsi cavere debeat ne limites excedat. Quod vero ad speciale mandatum pertinet haec notentur nempe 1) Episcopum posse sibi reservare quaedam negotia quae Vicarius Generalis vi mandati generalis posset peragere, ita tamen ut potestas Vicarii inanis et quasi illusoria non reddatur. 2) Speciale mandatum non debet mandatum generale destruere adeo ut semper dici possit Vicarium Generalem facultatem administrandi dioecesim habere. 3) Etiamsi in concessione generali dictum fuerit posse vicarium expedire quae speciale mandatum exigunt, tamen haec facultas non censetur Vicario concessa *a*) quia in iure talis clausula nimis generalis habetur [1] *b*) in iis quae a iure exhorbitent clausulae generales nihil agunt. *c*) Quod si in mandato aliquod speciale negotium nominetur et adiiciatur clausula « *cum caeteris quae requirunt speciale mandatum* » Vicarius negotia levioris sive eiusdem momenti, non vero quae gravioris momenti sunt expedire poterit.

343. Vicarii Generalis potestas cessat 1) elapso tempore definito quoties ad tempus electus fuerit; 2) morte Episcopi sive naturali sive civili idest Episcopi renunciatione vel depositione etc. 3) Eiusdem Vicarii Generalis expressa vel tacita renunciatione; 4) revocatione Suspenditur autem Vicarii Generalis potestas 1) excommunicatione. vel suspensione nominatim denunciata sive ipsius Vicarii sive Episcopi non vero si auctoritate Pontificia Vicarius existat; 2) Episcopi ipsius voluntate.

[1] Cap. 4 de Procurat. in 6°.

CAPUT II.

DE VICARIIS FORANEIS.

344. Ad episcopalis muneris curas in pagis et oppidis ex parte auctoritate et nomine Episcoporum exercendas, ex reliquo vero adiuvandas, chorepiscopi olim constituebantur, quorum in locum suffecti nunc sunt Vicarii qui dicuntur Foranei [1]. Quae de illis animadvertenda sunt referri possunt: 1) ad eorum constitutionem; 2) ad eorum praeeminentiam; 3) ad potestatem; 4) ad eorum officii cessationem.

345. Iamvero Episcopi est eiusmodi Vicarios constituere, ut in regimine pastorali fidelium necessitatibus ut par est provideatur. Tenetur autem viros probos ad huiusmodi officium deputare qui maturae aetatis sint iurisque quantum fieri potest periti. Constitui vero debent in locis saltem celebrioribus extra civitatem Episcopalem.

346. Vicarii Foranei praecedentiam, non obstante contraria consuetudine, in iis tantum actibus habent, quibus ratione officii intersunt ut delegati Episcopi.

347. Cum eius potestas ex iure non sit, sed ex mandato Episcopi, ea delegata est. Hinc sequitur Vicarium Foraneum non posse alium subdelegare, nisi eiusmodi facultas ab Episcopo ei facta fuerit, vel nisi urgente necessitate de mero agatur alicuius rei ministerio aut executione. A Vicarii vero Foranei sententia ad Episcopum eiusve Vicarium Generalem appellandum esse. Denique sequitur Vicarium Foraneum non posse valide matrimoniis assistere.

Eius potestatis materia in iis regulariter consistit quae ad forum externum pertinent, unde consequitur ad Vicarium Foraneum, non autem ad Parochum, pertinere veniam concedere operandi diebus festis aliaque similia.

348. Quoad potestatis extensionem, haec sunt notanda. Generatim ab Episcopi mandato ea determinatur; expedit autem ne Epi-

[1] Nonnullis in locis appellantur Decani.

scopus nimis angustis limitibus eam coerceat, praesertim in celebrioribus oppidis et ab urbe episcopali magis dissitis, idque propter gravis momenti negotium quod incidat nec moram patiatur; tunc enim ipse consilium in arena, ut aiunt, capere et pro re nata decernere aut providere debet, simul tamen nihil expectare quominus illud sive coram sive per litteras Ordinario significet. Speciatim ad munus Vicarii pertinet cognitio levioris momenti causarum, ex. gr., de transgressione festorum; inquisitio de vita et honestate clericorum praesertim vero de clericis nondum ad sacerdotium promotis; dispensare a ieiunio de medici consilio qui pares illi non sunt, quae dispensatio gratis concedenda est; aliaque his similia. Iuxta receptam praxim hodie incumbit Vicario Foraneo in unum congregare semel in mense presbyteros ad conferentias casuum moralium. Vicarii Foranei qui in singulis casibus speciale mandatum acceperunt, hoc extendere cogentur si eorum iurisdictio in dubium revocetur.

349. De modis quibus Vicariorum Foraneorum officium cessat, sufficiat notasse, generatim eos arbitrio Episcopi amoveri posse, speciatim vero iisdem modis eorum officium expirare, quibus officium Vicarii Generalis expirat [1].

CAPUT III.

DE PAROCHIS.

350. Inter praecipuos Episcopi adiutores, accensendi sunt Parochi, quibus scilicet actualis animarum cura commissa est. Sunt enim ii veri pastores, siquidem et ordinarium gerunt officium quod suapte natura pastorale est, pastorisque nomine decorantur ab optimae notae Theologis [2], et passim a Catechismo Romano, atque in actis Sac. Congregationis Conc. Trid. interpretum. Quales autem pasto-

[1] De Vicariorum Foraneorum potestate. Cfr. Bened. XIV. de Synodo Dioecesana Lib. 3, c. 3, n. 5. Ferraris Bibliotheca hac voce.

[2] Petavius *de hierarc.* L. II, cap. V.

res sint, ad catholicae veritatis normam contra Iansenianos statuendum est; etenim pastores sunt non divinae, sed ecclesiasticae institutionis, non perfecti, sed tales quibus certa tantum ac minora munia commissa sunt, quibusque exercendis non independendi, sed subiecta Ordinariis potestate pollent atque ad solum forum internum limitata.

351. In tractatu de iure publico ecclesiastico expositum est[1] quaenam parochorum origo sit historica. Parochus definitur: *persona legitime ac irrevocabiliter deputata ad administrandum proprio nomine et vi officii suscepti verbum Dei et sacramenta certo dioecesanorum numero in determinato territorio existentium*[2]. Iuxta quam definitionem constat parochum in determinato territorio, ac in certum fidelium numerum iurisdictionem exercere oportere. Quare hoc non impedit quominus in eodem territorio duae vel tres parochiae habeantur v. gr. – parochia pro Anglis, et parochia pro Gallis. – Parochus vi officii ac nomine proprio iurisdictionem exercet. Insuper Parochi regulariter inamovibiles sunt quatenus nonnisi ex causa in iure expressa ac iudiciali processu praemisso removeri possunt. Caeterum parochorum inamovibilitas ex duplici capite procedere potest nempe vel quia parochus est etiam beneficiarius quatenus iuri perpetuo percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis auctoritate ecclesiastica cura animarum adnexa est, vel quia inamovibilitas a lege expresse sancita est. Cum Tridentinum Concilium statuerit ut quo magis fieri possit parochi sint inamovibiles, Episcopus parochias erigere non posset hoc modo ut parochi sint ad nutum amovibiles nisi Sedis Apostolicae interveniat auctoritas. In Concilio tertio Baltimorense pro statibus Foederatis Americae septentrionalis statutum est quod cum illarum Ecclesiarum conditio non sinat ut ad tramites Tridentini Concilii omnes missionum rectores seu parochi sint inamovibiles, Baltimorense concilium constituit ut quisque decimus inamovibilis sit, conditionesque statuit tum ex

[1] Cfr. *Elementa iuris pubblici ecclesiastici.* Solieri, *de Ecclesiae organizatione.*
[2] Cfr. Trid. Concil. Sess. 24, c. 13, de Reform.

parte parochi tum ex parte missionis necessarias ut talis inamovibilitas missionum rectoribus tribueretur [1].

352. Porro ut paucis atque ex ordine quae ad Parochorum naturam et officium pertinent perstringamus, quatuor in articulos tractationem partiemur, quorum primus sit de eorum electione; alter de eorum obligationibus; tertius de officiis; quartus de eorum iuribus.

ARTICULUS I.

De electione Parochorum.

353. Quamvis appellatione Parochi generatim veniant quicumque animarum curam exercent, sive amovibiles et ad tempus sint sive perpetui, Concilium tamen Tridentinum [2] expresse mandat Episcopis ut ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, pro tutiori animarum eis commissarum salute, distincto populo in certas propriasque paroecias, unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent. Hinc Sac. Congr. vix dignoscit per Vicarium Curatum amovibilem animarum curam exerceri, Vicarium perpetuum ad iuris formam eligendum statuit [3]. Excipiendae tamen sunt Regularium ecclesiae, quarum curati amovibiles sunt [4]. In locis autem missionum, in quibus sedes episcopalis constituta non extat et paroeciae canonice erectae non sunt, missionarii nullatenus sunt parochi, sed simplices verbi Dei praecones [5].

354. Porro curam animarum suscepturos, oportet non modo vigesimum quintum aetatis annum saltem attigisse, verum etiam

[1] Cfr. Concilium tertium Baltimorense de Parochis seu Rectoribus Missionum.

[2] Sess. XXIV, Cap. XIII, *de Reform.*

[3] Sac. Cong. in Neapol. *Vic. Curati perp.* diei 26 iunii 1875, in Melevitana *Curae animarum* 26 aprilis 1879.

[4] Conc. Trid. Sess. XXV, Cap. XI, *de Reg.*

[5] Sac. Congr. Fid. Prop. decreto 28 ian. 1780.

virtute, moribus, doctrina praestantiores esse, lex enim tridentina multis corroborata Apostolicae Sedis Constitutionibus, nullatenus patitur, quoslibet alios, nisi digniores ad parochiales ecclesias promoveri, praevio concursu solemnique omnium competitorum examine, coram tribus saltem examinatoribus synodalibus et coram dioecesano Episcopo vel eius Vicario Generali peragendo.

355. Ab hac lege concursus eximuntur: 1) Ecclesiae in quibus animarum cura spectat ad ecclesiam collegiatam, et cura exercetur per Canonicum vel alium clericum. 2) Ecclesiae, in quibus cura est penes Capitulum, aut monasterium, vel aliquam dignitatem, quam vero vicarius gerat. 3) Ecclesia parochialis adnexa dignitati cuius ipse dignitate auctus curam suscipit. 4) Si quis parochialem ecclesiam resignet coram Pontifice in favorem certae personae, si permutatio fiat beneficii. 5) Si ecclesia sit iuris patronatus laicalis. Ad haec: lege concursus eximuntur: 6) Parochiae exigui reditus i. e. quae non excedunt 20 aureos de Camera (libell. circiter 170) deductis expensis. 7) Novae paroeciae, sed prima vice tantum. 8) Paroecia semel et iterum concursui exposita, nemine concurrente vel approbato. Verum nullam ex his conferre licet sine examine exceptis invicem permutatis, et ne his quidem exceptis, si longe dispar sit numerus animarum utriusque paroeciae, aut beneficium non parochiale cum parochiali permutetur [1]. Concursum indicere solius Episcopi est, quamvis collatio ad alium pertineat, et sede vacua, Vicarii Capitularis.

356. Iam formam concursus ab ipso Tridentino Concilio praescriptam ampliarunt ac declararunt Summi Pontifices S. Pius V [2], Clemens XI [3] et Benedictus XIV [4]. Praecipuae vero hac in re leges sunt: 1) Episcopi intra sex menses a die vacationis paroeciae debent, si ecclesia non vacaverit in mensibus Apostolicae Sedi reser-

[1] Cfr. Reiffenstuel III, 5, 146.

[2] Const. *In conferendis* 15 kal. apr. 1567.

[3] Per litteras Sac. Congr. datas die 10 ian. 1721.

[4] Const. *Cum illud.*

vatis, eidem providere, peracto concursu; alias provisio ad ipsam Apostolicam Sedem devolvitur. Haec eadem reservatio locum habet, cum parochia est iuris patronatus ecclesiastici, vel mixti, si infra tempus patronis a iure praescriptum non fiat praesentatio; atque item si intra duos menses a die praesentationis non fiat institutio. Quoad parochias vero quarum collatio pertinet ad S. Sedem, si intra quatuor menses a die vacationis Ordinarii non designaverint Sedi Apostolicae digniorem inter approbatos, omnimoda dispositio reservatur Romano Pontifici. 2) Debet deinde Episcopus indicere per publica edicta concursum ipsum. Terminus vero in edictis constituendus ex Conc. Trid. est dierum decem, at concedit S. Pii V Constitutio *In conferendis* ut hic terminus ad alios decem dies prorogari queat et non ultra. 3) Cum vero neque in conciliari decreto, neque in piana Constitutione examinis in concursu peragendi forma seu methodus ulla certa ac peculiaris servanda proposita fuisset, idcirco ad vitanda incommoda quae ex eo oriebantur Sac. Congr. Concilii in litteris iussu Clementis XI die 10 iulii 1721 editis, certam methodum habendi ad parochiales ecclesias concursum in posterum servandam praestituit. Posteriori vero tempore Bened. XIV [1] praefatas litteras confirmans nonnulla praeterea addenda vel immutanda, nonnulla breviter in iisdem tradita clarius explicanda censuit. 4) Iuxta praescriptum Conc. Trid. ac Bened. Const., examen per concursum tam super doctrina quam super ceteris concurrentium requisitis qualitatibus habendum est. In Instr. Sac. Congr. Fid. Prop. die 10 octob. 1883 lata pro Stat. Foed. Americae Sept. haec habentur: « Viget in aliquibus dioecesibus consuetudo examen de doctrina separandi ab examine de reliquis canonicis requisitis, et hoc ad ipsum pro vacante paroecia concursum remisso, examen de scientia alio magis opportuno tempore instituendi. Quamobrem generatim bis in anno examen habetur de scientia, in quo qui approbati fuerint, ad quodcumque parochiale beneficium intra sex proximos sequentes annos vacaturum concur-

[1] Const. *Cum illud* 14 dec. 1742.

rendi ius habent, sed exeunte sexennio examini se denuo sistere tenentur, si beneficium parochiale obtinere velint. A lege autem subeundi hoc novum exacto triennio examen, ab Episcopo, audita examinatorum sententia, dispensari possunt qui inter synodales vel pro-synodales examinatores sunt assumpti, aut qui propter muneris vel beneficii quo fruuntur dignitatem, vel propter diuturnam operam qua Ecclesiae cum laude servierunt, scientiae testimonium abunde praestant[1] ». Ceterum 5) in concursu instituendo eaedem omnibus concurrentibus quaestiones dari debent iidemque textus evangelici, super quibus sermo concinnandus est, quae omnia eodem tempore omnibus dictanda sunt. Intra vero statutum tempus ab omnibus quaestiones propositae resolvendae sunt et conciuncula componenda. 6) Inter approbatos vero digniori reperto iudicio Episcopi, parochia conferri debet. 7) Ceterum ab irrationabili Episcopi et examinatorum iudicio intra decem dies a collatione, ad metropolitanum et si metropolitanus eligens sit vel Episcopus Apostolicae Sedi immediate subiectus, licet ad Ordinarium viciniorem ut apostolicae Sedis delegatum, vel ad ipsam Apostolicam Sedem appellare in devolutivo tantum, producendo acta originalia, vel saltem eorumdem authenticum exemplar rite collatum, et ita praeelectus provocari poterit coram Iudice appellationis et eius examinatoribus. Et constito de irrationabili eligentis iudicio, revocatur electio et parochialis ecclesia magis idoneo per Iudicem appellationis (modo collatio spectet ad Episcopum a quo fuit appellatum) confertur.

ARTICULUS II.

De Obligationibus Parochorum.

357. Iuxta Concilium Tridentinum duae sunt praecipuae Parochorum obligationes, scilicet *professio fidei* et *residentia.* Iam ad primam quod attinet, Parochus provisus de beneficio intra duos

[1] Cfr. Collectanea S. C. de Propaganda Fide, n. 215. Cfr. Instructionem S. C. de Propaganda Fide ad Archiep. Hibern. die 22 iunii 1791 in Collectanea, n. 193.

menses a die adeptae possessionis, tenetur emittere professionem fidei coram Episcopo, aut eius Vicario Generali, eamque omittens fructus non facit suos [1]. Formula vero professionis ea est quae a Pio IV et Pio IX praescripta est, cum additione scilicet incisi super decretis Vaticani Concilii.

Ad hanc professionem emittendam tenentur tum Parochi inamovibiles, tum Parochi ad Episcopi nutum amovibiles, eamque renovare debent toties quoties novae paroeciae possessionem suscipiunt [2].

358. Quoad residentiam Residentia est: *Commoratio assidua seu fere continua in Ecclesia seu loco beneficii servitii ecclesiastici personaliter praestandi causa.* Quare residentia est tum materialis tum moralis. Residentia materialis importat ut parochus die noctuque in parochia regulariter commoretur, aedibusque parochialibus vel ubi iis destituatur domo propinquiori Ecclesiae degere vel habitare teneatur: Residentia moralis requirit ut ad subveniendum necessitatibus praesto semper sit [3]. Quare Trid. Concilium praecipit Parochis formaliter et personaliter diu noctuque residere in paroecia, et quidem domum parochialem si adsit incolere, secus domum viciniorem in paroeciae finibus. Non residentes vero ultra bimestre sive continuum sive interruptum, iuxta ipsius Tridentini praescripta, fructus non faciunt suos toti quo absunt tempori respondentes, sed eos ante omnem sententiam declaratoriam restituere atque ad pias causas erogare tenentur. Quod si parochus resideat quidem intra paroeciam, sed non in aedibus parochialibus absque iusta causa et Superioris licentia, ad fructuum restitutionem non tenetur, sed potest coerceri iuris remediis et multari fructuum privatione.

359. A residentia Parochos non excusat aetas senilis, aut in-

[1] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. XII, *de Ref.*

[2] Concil. Avenionen. an. 1849, Concil. Burdigal. an. 1850. Et in Concilio Aquen. an. 1850 iniungitur, ut hanc professionem emittant omnes curam animarum habentes, sub quocumque titulo.

[3] Conc. Trid. Sess. XXIII, et Pii V Const. *Cupientes* d. 11 iulii 1568.

firma valetudo, quamvis ob huiusmodi causas datus eis sit coadiutor [1], licet coadiutor sit cum futura successione [2]. Eos pariter non excusat nec parvus numerus parochianorum, nec paroeciae tenuitas, nec coeli insalubritas, nec tempus pestis, nec inimicitiae nisi sint capitales.

360. Parochi autem amovibiles tenentur residere aeque ac perpetui [3]. Quod si parochus duas habeat ecclesias unitas, residere tenetur in ecclesia digniori, et si dubitetur quaenam sit dignior, in ea residebit, quae frequentiorem populum habet; si autem una sit ecclesia intra civitatem, et altera extra, residere debet in ea quae intra civitatem est [4], qui addit quod si contingat duas ecclesias ita videri pares, ut una prae alia neque dignior, neque frequentior sit, liberum erit Parocho pro sua residentia, quam velit, eligere. Clarius: Si 1) parochiarum unio fuerit tituli extinctiva parochus in Ecclesia residere debet quae titulum parochialem habet quaeque dignior habenda est: 2) si unio fuerit minus principalis, parochus in illa Ecclesia residet quae titulum servavit. Quod si 3) unio fuerit *aeque* principalis in Ecclesia quacumque ex duabus residere potest, ita tamen ut si ex his una sit in civitate, in hac parochus resideat.

361. Quamvis residentiae lex ita urgens sit, Ecclesia tamen non ita rigida est, ut rebus exigentibus, nihil in hac causa concedat. Id tamen praecipit omnibus, qui infra Episcopos sunt, cura animarum gravatis, ut « quandocumque eos causa prius per Episcopum cognita « et probata abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario « adprobandum cum debita mercedis adsignatione relinquant, disce« dendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam, ultra « bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant [5] ». Huiusmodi vero causae excusantes sunt: 1) christiana charitas; 2) urgens

[1] Sac. Congr. Conc. apud ZAMBONI voce *Parochus,* § 10.

[2] Bened. XIV Const. *Inscrutabili,* § 28.

[3] Sac. Congr. Conc. in *Elboren.* 26 maii 1612.

[4] BARBOSA *de off. Paroch.* P. I, cap. 8.

[5] Conc. Trid. loc. cit.

necessitas; 3) debita obedientia; 4) evidens Ecclesiae utilitas, aut reipublicae [1].

Facultas vero data Episcopis in praecitato capite Conc. Trid. competit etiam praelatis inferioribus, iurisdictionem habentibus.

Quod si Ordinarius licentiam abeundi negaret parocho, poterit quidem is Superiorem adire, sed interim parere debet [2]. Caeterum causa absentiae semper probata esse debet ab Ordinario, quamvis unam hebdomadam non excurreret [3]. Si gravis incidat causa qua Parochus discedere statim cogatur, quin possit Ordinarium praemonere, quamprimum Parochus de discessu ac discedendi causa, de futura extra parochiam longinquitate morae, deque substituto Episcopum ipsum commoneat.

362. Contra Parochos aliosque curam animarum gerentes, qui sine Superioris licentia a propria residentia absunt, procedi potest duplici forma, quarum una a iure communi, altera a Conc. Tridentino praefruitur. Et in primis [4] si constat ubi Parochus moram trahat, personaliter citandus est, ut intra competentem terminum ad ecclesiam redeat, quo elapso, adhuc per sex menses expectandus erit, quibus pariter elapsis, parochiali ecclesia privari debet. Ubi vero ipse latitet et quo commoretur loco si ignotum sit, per tria edicta affigenda ad valvas ecclesiae citandus est, deinde ab ultimo edicto expectandus per sex menses, quibus elapsis, ad privationem procedendum est ut ecclesia vacet ac concursus convocari possit. Ex Concilio vero Trid. [5] prius parochi absentes citandi sunt per edictum, deinde procedendum est per censuras ecclesiasticas, sequestrationem et subtractionem fructuum, et demum aliis iuris remediis Ordinarius potest etiam uti usque ad privationem, dummodo

[1] Collectanea S. C. de Prop. Fide, n. 189.

[2] Sac. Congr. Conc. apud Bened. XIV, Notif. 17.

[3] S. C. Propagandae Fidei 1763 rescripsit: non posse parochos abesse ultra tres vel quatuor dies nisi in casu necessitatis et cum licentia Episcopi cuius super hac re coscientia oneratur.

[4] Cap. *Ex parte* de Cleric. non resid.

[5] Sess. XXIII, cap. I, *de Ref.*

tamen ab ultimo edicto Parochi absentes adhuc per sex menses expectentur iuxta declarationem Sac. Congr. de qua testatur[1].

363. In hac vero Concilii forma sequestratio fructuum et censurae stant loco trium edictorum. Porro Ordinario uno vel alio modo procedere fas est ad privationem beneficii contra Parochos latitantes, alterutra tamen forma servanda est, aliter nulliter ageretur. Fructus vero applicandi sunt pauperibus, aut fabricae ecclesiae, exclusa hac in re qualibet transactione vel compositione inter Ordinarium et Parochum.

ARTICULUS III.

De Officiis Parochorum.

Parochorum est pascere gregem sibi commissum. Hinc tria praecipua eorum officia enumerantur a Patribus Concilii Trid. nimirum *sacrificii oblatio; praedicatio* una cum *catechismo;* et *administratio sacramentorum.*

364. Ad sacrificii oblationem quod pertinet, tria inquirenda sunt: 1) quinam ad illam obligentur; 2) quando officium illud exequendum sit; 3) an et quae excusantes adsint causae.

Iam obligatio applicandi missam pro populo ex pastorali officio consequitur; hinc ii tantum huiusmodi muneri satisfacere tenentur, quibus titulus proprie pastoralis inest. Porro, praeter Episcopos de quibus suo loco loquuti sumus, quadruplex eorum classis est, quibus animarum cura incumbit, scilicet: 1) qui beneficium possident, cui directe et principaliter ea adnexa est, cuiusmodi sunt Parochi, quocumque nomine censeantur; 2) qui cum paroecia aliqua vacat, vel cum habitualis animarum cura apud alios residet, eidem praeficiuntur, ut parochi personam gerant et quae eius sunt muneris adimpleant; cuiusmodi sunt Vicarii Curati, sive perpetui, sive temporanei; 3) qui adiutricem operam legitimis pastoribus praestant, non subintrantes eorum loco, sed eos tantum adiuvan-

[1] Rota Decis. 131, Dec. 163, Part. 4, T. 2, *Rec.*

tes, cuiusmodi sunt Cappellani qui a Parochis stipendium percipiunt, quamvis ecclesiae alicui succursali praefecti sint; 4) denique qui ex mera caritate pastoralia explent officia et sacramenta ministrant populo derelicto, cuiusmodi sunt cum sacerdotes saeculares vel regulares qui, ab Episcopis rogati, saltem diebus festis aliquam paroeciam vacantem assistunt, quae sive ob paupertatem, sive ob aeris insalubritatem, vel itineris difficultatem suo destituta pastore est, tum Missionarii qui in locis, in quibus nullae adsunt paroeciae canonice erectae, sacrum ministerium exercent.

Porro ex his, solum qui ad *primam* et *secundam classem* pertinent officio missam applicandi pro populo adstringi, ex contextu ipsius Concilii Trid. liquet. Ibi enim tamquam generale principium statuitur quod quicumque obligationem habet ad suas oves recognoscendas et ad offerendum pro ipsis sacrificium, est etiam obligatus ad residentiam. Porro ad hanc residentiam Concilium illos teneri statuit quos ad primam et secundam classem pertinere diximus. Praeterea id est aperte declaratum peculiari Const. Benedicti XIV [1], in qua illos tantum teneri ad applicationem missae statuitur, qui curam animarum actu exercent, seu perpetua ea sit seu temporaria, sive saeculares sint sive regulares. Onus hoc incumbit etiam Episcopis et Parochis orientalibus, sed intra terminos legum et consuetudinum localium.

365. Non teneri autem Missionarios pluries declaratum fuit a S. Congr. Fidei Prop. praeposita, et nominatim die 5 febr. 1803, et anno 1863, dummodo non agatur de iis, qui in locis, in quibus sedes episcopales et paroeciae canonice erectae sunt, legitimorum pastorum vices gerunt [2].

366. Iamvero missam pro populo celebrare tenentur Parochi per se ipsos, neque per alium possunt [3]. Excipitur casus iustae causae [4].

[1] *Cum semper oblatas* d. 19 aug. 1744.

[2] Cfr. Collectanea S. C. Prop. Fide hoc loco.

[3] Sac. Congr. Conc. in Fesulana *Missae paroch.* 26 ian. 1771, in Castri Albi *Visit. sacr. lim.* 18 iulii 1789.

[4] Sac. Rit. Congr. 23 sept. 1847.

Pariter excipiendus est casus, quo paroecia canonicali praebendae adnexa sit, tunc enim quo die Parochus missam conventualem celebrare debet, parochialem alteri suo sumptu applicandam committit [1]. In aliis casibus necessaria est venia Sac. Congregationis, neque consuetudo contraria suffragatur.

367. Parochi vero die festo absentes legitime a propria paroecia, satisfaciunt huic officio in locis ubi diversantur; dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret, et verbum Dei explicet [2]. Quod si utcumque impediti sint, tenentur per alios eam celebrare et applicare facere in ecclesia parochiali: quod si ita factum non fuerit, quam primum poterint missam pro populo applicare debent [3].

Potest heic inquiri an qui pluribus paroeciis unitis praeest, tot debeat missas applicare, quot sunt paroeciae unitae. Profecto si unio sit *plenaria et extinctiva*, unam tantum applicare Missam tenetur; secus, si unio sit *aeque principalis vel subiectiva* [4].

368. Ad tempus quod attinet, tenentur Parochi sacrificium offerre pro populo singulis dominicis ac diebus festis de praecepto, iis etiam quibus indultum est servilibus vacare operibus [5]. Itemque debent in translatis, nisi cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem. Itaque si festivitas tantum in dominicum diem translata fuerit, missa applicanda erit eo die quo celebratur officium [6]. Sin autem officium tantum, eo die quo festivitas celebratur missa applicari debebit. Verum si eo die alia quoque festivitas celebratur, utrique unius missae applicatione fit satis [7].

[1] Bened. XIV l. c.

[2] Sac. Congr. Conc. *in Petrocorien.* 14 dec. 1872.

[3] S. Congr. Conc. ibid.

[4] Sac. Congr. Conc. in Lucen. *Appl. miss. pro pop.* 12 martii 1774; in Sutrina *Miss. pro pop.* 30 iulii 1779; in Ovetan. *Miss. pro pop.* 25 decemb. 1826.

[5] Benedictus XIV, loc. cit.; Pius IX, litt. encycl. *Amantissimi Redemptoris* 3 maii 1858.

[6] Sac. Congr. Conc. 14 iunii 1841, ad Episc. Coenomanen.

[7] Sac. Congr. Conc. 24 apr. 1875.

369. Animarum curatores ab huiusmodi officio adimplendo non excusant defectus ac tenuitas reddituum paroeciae, aut immemorabilis consuetudo [1]. Imo ne morbo quidem obligatione hac vel ad tempus exsolvuntur, sed tenentur id munus alteri sacerdoti committere [2]. Quod si adeo tenues sint ecclesiae redditus, ut nequeat iis parochus se sustentare, ex sui Ordinarii licentia poterit praedictis diebus missam pro aliquo pio offerente eleemosynam, applicare, dummodo tamen intra hebdomadam tot missas pro populo applicet, quot in diebus festis intra eamdem hebdomadam occurrentibus, iuxta intentionem pii benefactoris obtulerit [3].

370. In casu quo Parochi huic officio satisfacere neglexerint, solet supplicari SSm̃o pro absolutione, si concurrat vel bona fides, vel paupertas [4]. Praxis est, ut vel aliquod onus absolutioni addatur vel simpliciter absolutio concedatur.

371. Considerandum praeterea Parochis est, sui esse muneris praedicationem verbi Dei et traditionem christianae doctrinae, de quibus haec notasse sufficiat: urgeri eos praecepto plane divino pascendi oves suas verbi Dei praedicatione, ac teneri dominicis et diebus festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et eorum capacitate pascere salutaribus verbis, docendo ea quae omnibus scire necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant.

Hoc autem munus implere debent Parochi ipsi per sese; quod si legitime impediantur, sufficiat qui apte suppleat.

Non potest autem Parochus exigere ut sibi concionanti detur eleemosynam, etiam sub paupertatis praetextu [5].

[1] Bened. XIV, l. c.

[2] Sac. Congr. Conc. 14 dec. 1872.

[3] Bened. XIV, l. c.

[4] Sac. Congr. Conc. in Vicoaquen. 7 maii 1808; in Brugnaten. 25 apr. 1798.

[5] Sac. Congr. Conc. in Vestana 20 mart. 1611.

Porro ab hoc officio praestando eos non eximit neque contraria consuetudo immemorabilis; neque copia habendi alias conciones in aliis ecclesiis [1], neque parvus auditorum numerus, aut alia quaelibet causa [2]. Neque Parocho Cathedralium, etiamsi sit Vicarius amovibilis, hoc suffragatur, quod ibi praedicationis munus Episcopo incumbat [3]. Quamvis per Adventum et Quadragesimam in sola maiori ecclesia concio habeatur, non idcirco Parocho interdictum est in missa parochiali verbum divinum praedicare.

Praecipit autem Tridentina Synodus [4] ut Episcopus Parochos, si moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas seu alias poenas ad ipsius Episcopi arbitrium, ad satisfaciendum huic obligationi compellat.

Parochi nullum, etiam episcopali dignitate praeditum, sine proprii Ordinarii licentia ad praedicandum in suam ecclesiam admittant, nisi cognitus et doctus idem esset, atque id bis vel ter, sed ab Episcopo facultatem habentem prohibere a praedicando nequeunt.

In explicanda vero doctrina christiana diligentes eos esse oportet, ac diebus festis hoc tam necessarium exercitium adimpleant parvulis frangendo panem. Est autem Episcopis auctoritas plectendi per ecclesiasticas censuras, si opus sit, Parochorum negligentiam si huic muneri defuerint [5].

372. Denique debet Parochus Sacramenta, non ex charitate tantum sed ex iustitia parochianis ministrare; ideo enim temporalia percipit, ut spiritualia ministret. Quare ne saeviente quidem peste potest se eximere a sacramentis ministrandis. Hinc debet infantes baptizare, nec non patrinum et matrinam de contracta cognatione monere, parochianis sacramentum poenitentiae et Eucharistiae quoties ipsi rationabiliter petunt ministrare, eorum nuptiis benedicere,

[1] Bened. XIII, Const. *In supremo* 13 sept. 1724.

[2] Benedictus XIV, Inst. eccl. 10, n. 3; Innoc. XIII, Const. *Apostolici ministerii*, 13 maii 1723, quam Benedictus XIII confirmat cit. const.

[3] Sac. Congr. Conc. in Pientina *Praed.* 14 sept. 1748; Sarzanen. 18 sept. 1828.

[4] Sess. V, cap. II de Ref.

[5] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. IV de Ref.

viaticum atque extremam unctionem infirmis conferre, iisque assistere in extremis vitae.

Praeter haec, Rituale Romanum praecipit Parochis, ut in ecclesiis parochialibus serventur libri baptizatorum, et confirmatorum. Suscepti baptismatis ac confirmationis fidem Parochi facere tenentur et pro ea possunt solitam mercedem exigere, nisi consuetudo obstet. Tertius liber sit in quo matrimonia contracta describantur; quartus demandabitur referendis mortuis; quintus statum animarum descriptum habebit. Quoad vero singulas formulas observandas, adimplenda sunt praescripta quae in eodem Rituali prostant. Heic solum notasse sufficiat: 1) in his libris nullam fieri posse adnotationem vel verba adhiberi, quae alicui iniuriam vel infamiam inferant, tametsi ea veritati innitantur: 2) si infans extra legitimum matrimonium natus baptizandus offeratur, non debere nomen patris qui putatur, inscribi [1].

ARTICULUS IV.

De iuribus Parochorum.

373. Ex onere sacramenta conferendi profluunt iura quae solum ecclesiis parochialibus competunt. Sunt autem 1) ius servandi olea sacra, cathecumenorum et infirmorum, 2) ius tradendi publica annuae communionis testimonia, 3) nonnullae functiones solum parochis competunt sicut benedictio in Missa sponsis impertienda, domorum benedictio quae in Sabato maioris hebdomadae datur, 4) ius Missam solemnem feria V maioris hebdomadae celebrandi, mortuos efferre eisque iusta persolvere, 5) administratio Sacramenti Eucharistiae paschali tempore, viatici ac extremae unctionis et ita porro. Recensitis iuribus et functionibus respondent emolumenta quae praecipua duo sunt 1) emolumentum ex decimis 2) emolumentum ex funeribus.

[1] Sac. Congr. Episc. et Reg. 2 martii 1860.

§ 1. — *De emolumento ex decimis.*

374. Decima est: certa pars fructuum vel lucri. Dicitur *certa pars* cum iuxta locorum consuetudinem decimarum quantitas determinetur: dicitur *fructuum* vel *lucri* ut inter decimas reales ac personales fiat distinctio. Iam quousque Ecclesiae satis provisum est spontaneis oblationibus, Ecclesia ab imponendis fidelibus contributionibus abstinuit; at spontaneis oblationibus, frigescente fidelium charitate, deficientibus ecclesia inter alias obligationes etiam decimas imposuit. Primum monumentum sanctionis poenalis qua munita sit decimarum solutio nobis offert Concilium Matiscanense 2 saeculo VI. Saeculo IX et sequentibus accessit etiam sanctio legum civilium quae hoc ius Ecclesiae recognoverunt. Etsi autem decimae sint ex institutione Ecclesiae, attamen in iure divino fundamentum habent, cum Ecclesia divino iure ius habeat ad ministrorum sustentationem iuxta ea quae apud Matthaeum (10) *dignus est operarius mercede sua* ac apud S. Paulum: *Qui inservit altari de altare vivere debet.*

375. Decimae aliae sunt personales, aliae praediales. Personales dicuntur quae ex obventionibus acquisitis ex sola industria ac labore solvuntur. Praediales vero seu reales quae ex praedii fructibus quos vel natura sua, vel cooperante industria et hominis labore praedia referunt. Decimae reales sunt vel maiores veluti quae ex frumento solvuntur, vel minutae quae ex herbis, pomis solvuntur, vel antiquae quae ex fundis iam excultis, tandem novales quae ex fundis noviter ad culturam redactis persolvuntur. Decimae sunt sacramentales, vel dominicales. Illae fundantur in titulo canonico ac solvuntur propter ius recipiendi sacramenta; dominicales quae in titulo civili fundamentum habent ac solvuntur Ecclesiae in recognitionem antiqui dominii ad eamdem ecclesiam pertinentis. In praesentiarum ut evidens est de decimis sacramentalibus sermo est.

376. Quaeritur: De quibus rebus decimae solvendae sint? In cap. 23 de decimis decernitur: fidelis homo de omnibus quae licite sibi acquirit, decimas erogare tenetur. Qua de re res et fructus exci-

piuntur quos iniuste acquirimus: ex his enim Ecclesia decimas non recipit ne videatur de praetio criminis et iniustitiae participare. Quod si fundus per iniuriam fuerit occupatus, usurpator decimas praestare tenetur [1], cum decimae praediales fundo cohaereant. Decimae personales fructibus civilibus aequiparantur qui deductis expensis computantur. Praediales decimae e contrario non computatis expensis pro cultura et tributis solvendae sunt quia decima pars telluris fructuum debetur [2]. Cuinam decimae solvendae sunt? Decimae ab Ecclesia statutae sunt ut clericis solvantur spiritualia populo ministrantibus. Quare ille ius habet percipiendi decimas cui ex officio onus incumbit sacramenta et alia spiritualia populo ministrandi. Hinc Parochus intentionem in iure fundatam habet quoad perceptionem decimarum praedialium quae ex fructibus colliguntur intra suae parochiae limites [3]. Quare Canonistae iuxta Romanae Rotae decisiones docent parochum habere in iure intentionem fundatam contra etiam Episcopum, cui tamen quarta pars decimarum uniuscuiusque parochiae reservatur. Attamen hoc ius a parochis contra Episcopum post 40 annos praescribitur [4]. A fortiori autem Parochus intentionem in iure fundatam contra clericos suae parochiae habet. Sane in cap. 2 de restitutione spoliatorum in 6° haec referuntur: Canonici in quadam parochia a quodam tempore decimas percipiebant: parochus illos hoc iure spoliavit; canonici ad Romanum Pontificem recursum habuerunt ac iuris principium invocaverunt: spoliatus ante omnia restituendus est. Verum Romanus Pontifex adductum principium non admisit, cum Parochus quoad ius decimas percipiendi intentionem in iure fundatam habeat. Quapropter qui contendant ad se ius percipiendi decimas pertinere, suum ius vel ex privilegio apostolico, vel ex transactione, aut permutatione rite peractis probare debet, vel tandem praescriptione 40 an-

[1] Ex cap. 16, h. t.

[2] Cap. 33, h. t.

[3] Cfr. Fagnanum ad cap. 29, h. t., n. 21

[4] Cap. 4 de praescriptione.

norum si cum titulo, vel praescriptione immemoriali si nullo titulo praescriptio innitatur. Verum ius percipiendi decimas acquisitum ad novalia non extenditur, ac ius percipiendi decimas novales ad illum fundum de quo agitur restringitur.

377. Laicus vero nunquam ius decimandi praescriptione obtinere potest cum illud ius possidere iuste non possit, verum ex apostolico privilegio, ac Episcopi temporanea concessione ius decimandi laicus acquirere potest.

378. Quinam decimas solvere teneantur? Si de decimis personalibus sermo est, principium generale est: illos solvere tenentur decimas qui ius percipiendi spiritualia a Parocho habent. Hinc illas non solvunt infideles et iudaei qui nullo spirituali iure potiuntur. Haeretici summo iure decimas solvere tenerentur quia cum sint Ecclesiae subditi ius habent percipiendi spiritualia, quae si non percipient sibi imputare debent, at Ecclesia si de illis haereticis praesertim agatur qui in haeresi nati sunt, quique in bona fide praesumuntur, illos non cogit. Similiter Clerici et Religiosi parocho loci decimas personales non solvunt. Levita enim Levitae non decimat[1], item qui privilegio ab hoc onere liberantur, quique praescriptione 40 annorum libertatem acquisiverunt. Sane hodie fere ubique contraria consuetudine decimae personales abolitae sunt.

379. Ad decimas reales quod pertinet, decimae reales ab omnibus solvuntur qui praedia habent decimis obnoxia, etiamsi praedia postea ad Regularium vel etiam haereticorum vel infidelium dominium transeant vel bona beneficialia efficiantur. Ex quibus inducitur evidenter quod etiamsi ab initio ius decimandi esset omnino personale, attamen ex tali Ecclesiae dispositione in ius reale conversum est quod fundo adhaeret: fundumque apud quemcumque possessorem persequitur. Quod factum est ne ex fraude iura Ecclesiae imminuerentur. Clericus autem de bonis suis patrimonialibus decimas solvit, nec non de bonis beneficialibus quae oneri decimandi subiecta erant antequam beneficii bona constituerent[2]. Clericus secus decimas de be-

[1] Cap. 2, h. t.

[2] Cap. 33, h. t.

neficialibus bonis non solvit. Regulares decimas solvunt ex fundis quae oneri decimandi subiiciebantur antequam ad eos pervenissent, nisi speciali privilegio eximantur.

380. Contra eos qui decimas solvere renuerint, vel subtrahunt, vel impediunt, Tridentinum concilium poenam excommunicationis constituit, nec absolvendi sunt nisi plena facta restitutione [1]. Si decimae denegantur decimator agit in petitorio actione confessoria, qua exposcit a iudice declarari sibi ius decimandi pertinere. Quod si in possessorio agat remedium habet adipiscendae vel retinendae possessionis *.

* Nota. – Leges civiles quae pluribus in locis decimarum solutionem abrogaverunt ex defectu iurisdictionis quoad effectus canonicos profecto nullam vim habere in compertum est, sicuti ipsa S. Poenitentiaria saepius declaravit. Verum ad animarum bonum S. Poenitentiaria vult ut Ordinarii ad compositionem aequam admitterentur, eisque opportunas dedit facultates. Facta vero decimarum redemptione vel compositione, praetium in tuto, honesto ac fructifero investimento collocandum est, fructus vero beneficiis ac locis piis applicentur quae damnum passa sunt [2]. Declaravit S. P. tolerari ut illi quorum interest a Gubernio compensationem peterent pro damno sibi illato titulo legitimae indemnitatis [3]. Quod si Parochus a Gubernio augmentum congruae ob impeditam decimarum exactionem obtinuit, Parochus nihilominus persistere potest in decimis exigendis tum quia quae recipiuntur sunt bona ecclesiastica erepta, tum quia nemini iniuria infertur. Verum parochi possunt sibi ex decimis retinere quod necessarium est ad coaequandum totalem reditum Parochiae quo ante decimas abolitas gaudebant. Parochus vero qui congrua 900 libellarum honeste vivere nequit, debet hoc apud Episcopum probare qui permittit ut omnes decimas vel partem decimarum re-

[1] Trid. Sess. XXV, cap. XII de Ref.

[2] S. Poenitent. ad Episcopum Pallien 20 Nov. 1902, ac 8 Mart. 1898.

[3] S. Poenit. 2 Sept. 1887, 10 Dec. 1860.

tineat, secus decimarum portio Episcopo relinquenda est qui ad iuris tramites de iis disponit [1]. Fideles qui ex aliqua ratione putant se non obligari ad decimas solvendas non esse inquietandos respondit S. Poenitentiaria dummodo 1) supplementum a Parochis acceptum a Gubernio sit in compensationem decimarum et illas adaequet; 2) fideles parati sint stare mandatis Ecclesiae [2]. Parochus rogatus imminutioni decimarum consentire personaliter valet, dummodo nullum ius successoribus inferatur [3].

§ 2. — *De emolumento ex funeribus.*

381. Aliud emolumentum quod Parochis competit ex funeribus profluit, de quo iure praemittendum est, hodiernis temporibus ad publicae sanitati prospiciendum, fere ubique tum civili tum ecclesiastica auctoritate constitutum fuisse, ut publica coemeteria erigerentur. Coemeteriorum vero erectione nihil Parochis de pristinis iuribus detractum est, siquidem [4], erectione coemeteriorum locus sepulturae tantum materialiter et physice mutatus est, non vero ius sepeliendi. Porro iura funeralia, quaecumque sint, ad eum regulariter spectant, qui curam fidelium dum viverent gessit, iisque sacramenta ministravit, nempe proprio parocho ratione domicilii vel quasi domicilii, etsi quis decessit in sua paroecia, et in aliena sepeliendum sit [5], vel in alia dioecesi [6]. Quod si quis duplex habeat domicilium, tunc attenditur locus in quo habitando decessit, et funeris emolumenta huic paroeciae debentur [7]. Regularium autem virorum Parochus est eorum Praelatus, Monialium est Confessarius [8], decedentium in hospi-

[1] S. Poenit. ad Ep. Calliensem 20 Nov. 1902.

[2] S. Poenit. ad Episcop. Nucerinum 4 Maii 1897, ad Episcopum Montis alti 7 Mart. 1899.

[3] S. Poenit. ad Ep. Callien. 8 Mart. 1898, 20 Nov. 1902.

[4] Ut saepius declaravit Sac. Congr. Conc.

[5] Sac. Congr. Conc. 22 maii 1866.

[6] Sac. Congr. 6 maii 1870.

[7] S. Congr. Conc. in Cremen. 12 Martii 1881.

[8] Ferraris v. *Moniales*, art. 4, n. 61.

talibus, si ecclesia hospitalis sepulturas habeat vel hospitale sit exemptum, est Cappellanus.

Hoc ius funerandi tria complectitur: *ius sepeliendi, ius interveniendi funeribus* et *ius percipiendi emolumenta ex funeribus* obvenientia.

382. Quoad ius sepeliendi, exceptis certis casibus a iure determinatis, hoc privative ad parochum pertinet. Dantur enim certi casus, in quibus legitime parochianus sepeliri potest ab aliis quam a proprio parocho et alibi quam in parochiae suae ecclesia vel coemeterio. Unusquisque sepulturam sibi eligere potest. Haec electio liberrima est ita ut nec potestas viri in uxorem, quae alias tumulanda esset in sepulcro mariti, et quidem ultimi si plures habuerit [1], nec patria potestas impedimento sit filio puberi quominus sibi eligat, etiam sine consensu patris, sepulturam [2]. Quoad impuberes, qui carent eligendi iure, licet patri aut matri, si pater desit, pro ipsis eligere sepulturam [3]. Si quis sepulcrum maiorum habeat, eo in loco est sepeliendus, subindeque si ecclesia a iurisdictione parochi exempta sit, et proprios habeat Rectores, ad hos, non autem ad Parochum, pertinebit Missas canere, aliaque peragere super cadaver defuncti, quae in Rituali Romano praescripta inveniuntur [4].

383. Exceptis iis casibus, ad Parochum competit ius sepeliendi eorum cadavera, qui intra Paroeciae fines decesserunt, licet sint alieni parochiani, quorum tamen cadavera commode et absque ullo periculo ad propriam Paroeciam transferri nequeant.

384. Relate vero ad ius funerandi, hoc integrum ad parochum pertinet, si defunctus in paroecia vel publico coemeterio tumulandus sit. Quod si ad alios pertineat sepelire cadaver, tunc ad proprium parochum spectat stolam deferre, corpus e domo efferre, aqua benedicta aspergere et praecinere antiphonam *Exultabunt Domino,*

[1] Cap. 3, § 1, de sep. in 6.

[2] Cap. 7 h. t., Cap. 4 eod. in 6.

[3] Cap. 7 h. t.

[4] Sac. Rit. Congr. die 20 novembris 1628 apud GARDELLINI n. 632, et in *Andrien.* 10 febr. 1629 rel. a GARD. n. 648.

ceu declaravit saepissime S. Rit. Congregatio [1]; item designare vias per quas funus ducendum est, et illud dirigere ab initio usque ad finem, et omnia necessaria peragere usque ad atrium ecclesiae in qua defunctus sepeliendus est [2]. Et licet a defuncto iussum sit advocari solos regulares ad sepeliendum cadaver, nullatenus parochus excludendus est, uti a S. Congregatione Episcoporum et Regularium definitum fuisse refert Leurenius [3]. Associatio autem cadaveris Regularium ad publicum coemeterium ad Regulares pertinet, quemadmodum Monialium ad Confessarium, dummodo cadaver deferatur cum stola et cruce sed absque pompa et recto tramite ad coemeterium [4]. Religiosi dispersi quoad funera subsunt Parochis si sub legitimo superiore saltem in ternario numero non vivant et alii extra degentes ab eodem non dependeant [5].

385. Ius tamen Parochi emolumenta percipiendi duplex distingui debet, ius nempe ad certam aliquam oblationem, quando parochianus in parochiali ecclesia vel coemeterio communi sepeliendus est, et ius *ad quartam funeralem,* quando in aliena ecclesia parochianus tumulandus est. Primum complectitur ea omnia, quae sive ante sive post funus in ecclesia parochiali, eiusdem funeris occasione ad ecclesiam perveniunt [6]. Hinc ad Parochum spectant intorticia, candelae et cerei qui eodem ipso peracti funeris die in ecclesia circa feretrum atque in altaribus accensi sunt, circa crucem, cadaver, culcitram, etc. quae in funere deferuntur. Praeter haec, ius habet exigendi taxas a Synodis dioecesanis statutas pro funeribus iuxta personarum conditionem. Excipienda tamen sunt intorticia aut cerei Confraternitatum qui a sodalibus funera associantibus deferuntur, nec non candelae confratribus aliisque de clero sive saeculari

[1] Uti videre est apud GARDELLINI n. 4524.

[2] BARBOSA *de officio et potestate Parochi,* Cap. 26, n. 74, 75, ubi ad rem affert decisiones S. Congregationis Episc. et Regular.

[3] LEUREN. *For. benef.*, part. 1, q. 453, n. 1.

[4] Ita decrevit Sac. Congr. Conc. die 24 ianuarii 1846.

[5] S. C. EE. et RR. 11 mart. 1881.

[6] BARBOSA loc. cit., cap. 25, n. 37.

sive regulari oblatae, quasque in manibus gerunt[1]. Alterum vero ius, nempe percipiendi *quartam funeralem,* de iure ordinario complectitur quartam portionem emolumentorum, quae alteri ecclesiae occasione funeris sui parochiani obvenerunt[2]. Haec tamen quarta seu canonica portio vi legitimae consuetudinis varia esse potest, maior nempe vel minor quarta parte[3]. Ceterum in his emolumentis reposcendis caveat Parochus avaritiam vel ipsius speciem praeseferre. Quid enim magis inhumanum, quam ante ora lacrymantium ob carorum interitum, quaeritare funerum lucra, atque haec ab his qui veteri inopia recentique dolore confecti novam ut plurimum offendunt rei familiaris iacturam et in magna rerum perturbatione versantur?

CAPUT IV.

DE PAROCHORUM COADIUTORIBUS ET VICARIIS.

386. Ne Ecclesiae ministris aegrotantibus vel debilitatis per amotionem a beneficio nova addatur afflictio atque alii exemplo territi a divino ministerio absterreantur, Ecclesia sollicita mater provide statuit, ut beneficiato cura animarum gravato et canonice instituto, quem labores, senium, morbusque tanto oneri in posterum ferendo imparem reddiderunt, alius Clericus sub nomine *Vicarii* aut *Administratoris* vel *Coadiutoris* constituatur, salvo manente coadiuto iure percipiendi fructus.

387. Sunt autem coadiutores vel temporanei vel perpetui, prout impedimentum temporaneum est, vel perpetuum. Et quidem perpetui vel cum iure successionis vel sine hac spe.

388. Porro cum adiuti ubique vices gerat adiutor, per se consequitur quod pari auctoritate potestateque sit praeditus, nisi arctioribus limitibus eius coarctetur potestas vel a Romano Pontifice vel ab eo

[1] Leur. *For. ben.*, p. 1, q. 455, n. 2.

[2] Cap. *Cum semper* de sepult.

[3] Cap. *Certificari* de sepult.

qui ipsum probavit. Hinc litterae apostolicae, si de perpetuis coadiutoribus cum iure successionis agatur; si de temporaneis, Episcopi mens inspicienda est. Vicarius perpetuus hisce de causis in genere constituitur nempe 1) si cura animarum sit apud moralem personam Capitulum scilicet aut Collegium. Tunc enim cum ad rectum animarum regimen una Ecclesia unius esse debeat Sacerdotis [1] ne cura in communi existens a nullo efficaciter exerceatur, inductum est ut manente cura habituali apud personam moralem, vicarius eligatur qui curam animarum actualem gerat. 2) Si Episcopus sibi reservat alicuius parochiae curam, vel si animarum cura ad Monasterii Abbatem pertineat qui Monasterii regimen teneat. 3) Si parochiae territorium nimia amplitudiue extendatur quo in casu Ecclesia filialis erigitur in qua perpetuus Vicarius constituitur. Vicaria perpetua etiam in parochiis constituitur ab Episcopo quae Monasterio regulari unitae sunt, etsi superiores regulares contradicant.

389. Vicarius vero temporaneus eligitur 1) vacante parochia donec novus eligatur Parochus [2]. 2) Si Parochus ob imperitiam animarum regimen exercere non valet. Tunc enim Episcopus uti Apostolicae Sedis delegatus potest, qualibet appellatione aut exceptione remota, constituere Vicarium et eidem adsignare partem fructuum pro congrua sustentatione donec Parochus idoneus reddatur [3]. 3) Si Parochus diuturna infirmitate detineatur, vel legitima de causa a parochia diu abesse cogatur veluti ad studia explenda discesserit [4]. 4) si ob circumstantiam supervenientem vicarii substitutio ad animarum salutem valde utilis appareat ex. gr. veluti si ex agendi ratione Parochi titularis licet alicuius criminis reus non sit, animorum aversio et odium contra eum sit excitatum quibus mederi posse videtur quoties ad tempus Parochus removeatur.

390. Vicarius perpetuus ordinario a Parocho habituali Episcopo praesentatur, qui postquam illum dignum in examine repererit in

[1] C. 15 de Praebend. et dignit.

[2] Trid. sess. XXIV, c. XVIII de Reform.

[3] Trid. sess. XXI c. V.

[4] Cap. I, sess. II de Reform. Trid.

Vicaria instituit [1]. Unde in casu lex concursus haud viget. Romae vero ex motu proprio Pii V anno 1571, et constitutione Leonis XII anno 1824 ad eligendos vicarios parochiales Ecclesiarum saecularium forma concursus servatur, et parochus habitualis unum eligit inter adprobatos apud Curiam Cardinalis Vicarii qui ex consuetudine tres praesentare solet. Si vicario perpetuo dos constituatur ex bonis non pertinentibus neque ad Monasterium neque ad parochiam, vicaria ab Episcopo erigi potest cum iure liberae collationis servato concursu [2].

391. Vicarius coadiutor a parocho dependens ab ipso parocho nominatur nisi coadiutor vicarius parocho detur ob culpam vel negligentiam in eo nominando: coadiutoris vero examinatio et adprobatio ad Episcopum pertinent [3]. Ceterum si parochia Capitulo, beneficio aliique pio loco fuerit postmodum unita, temporalis vel perpetui vicarii deputatio arbitrio Episcopi relinquitur. Secus non licet Episcopo ut vidimus sua tantum auctoritate vicarium perpetuum constituere, aliter enim beneficium curatum in simplex converteretur. Hoc in casu S. C. Concilii suadet Episcopis ut si ita magis expediat, Capitulum aliosque eo inducant, ut pastor precarius in perpetuum parochum constituatur.

392. Ad iura Vicariorum perpetuorum vel temporaneorum quod pertinet dicendum est quod Vicarius perpetuus beneficio carere non debet. Quare Vicarii perpetui censentur vere beneficiati et habent canonicum titulum et ius congruae portionis fructuum ex bonis parochialibus percipiendae. Differt tamen Vicarius perpetuus a Parocho titulari 1) quia qui possidet beneficium idest Parochus ex iuris dispositione fructus omnes, Vicarius vero perpetuus tantummodo congruam portionem percipit. 2) Parochus titularis non vero Vircarius perpetuus iura beneficii sui protueri tenetur. Unde S. Congregatio Concilii resolvit: Vicarium perpetuum abbatiae debere omnia subire onera

[1] Pius V in bulla *Ad exequendum* 1567.

[2] S. Cong. Conc. in Brixien 16 Mart. et 22 Iunii 1743.

[3] Ioannes XIII Constit. *Apostolici Ministerii.*

quae curam animarum respiciant, ac Sacramentorum administrationem, caetera vero omnia ad Abbatem eiusdem Ecclesiae spectare [1].

393. Econtra Vicarius temporaneus non est vere beneficiatus, sed habet tantummodo actum et fruitionem beneficii; ipse est veluti mercenarius Rectoris principalis cum iure percipiendi congruam portionem fructuum pro honesta sustentatione. Unde Vicarius temporaneus nedum titulum beneficii sed neque titulum in beneficio habet. Est autem ad nutum amovibilis. Verum admovibilitas ad nutum rite accipienda est. Rectores amovibiles alii curam animarum nomine proprio exercent, alii illam exercent nomine alieno et sunt veluti mercenarii de quibus hic sermo est. Attamen, isti vicarii temporanei amovibiles ad nutum, sine rationabili causa amoveri non possunt. Ecclesia enim in suo regimine abhorrere debet ab arbitrio, ac ordinatam in omnibus disciplinam exigere debet. Amovibilitas igitur in casu sumitur quatenus perpetuitati opponitur quae vel Beneficiariis competit qui a beneficio removeri nequeunt nisi ex causa in iure expressa ac praemisso iudiciali processu, vel iis pro quibus lex expresse perpetuitatem constituit. Quod si Vicarius temporaneus ex arbitrio removeatur remedium recursus habet ad Sedem Apostolicam.

394. Vicarius perpetuus ac temporaneus iisdem tenentur obligationibus. Hinc aetatem idoneam habere debent quae ad curam animarum suscipiendam apta in iure censetur: tenentur lege residentiae, tenentur fidei professionem emittere intra duos menses a capta possessione, Missam pro populo celebrare obligantur, verbum Dei praedicare et iisdem paucis verbis obligationibus subiiciuntur quibus Parochi tenentur. Imo Rector principalis in iis quae ad curam animarum pertinent sese immiscere non potest [2].

395. Tridentinum Concilium [3] ad Episcopos determinare committit quantitatem stipendii pro Vicariis tum perpetuis tum tempo-

[1] In Eugubina die 11 Maii 1594.

[2] Benedictus XIV in Bulla *Cum semper oblata*. Cfr. de his Constit. *Amantissimi Redemptoris* Pii IX anno 1858.

[3] Sess. VII, c. VII de Reform.

raneis. Verum Pontifex Pius V [1] voluit limitibus arbitrium Episcopis circumscribere ita ut portio Vicariis assignanda minor esse non possit aureis scutatis 50, ac non excedat aurea scutata 100 computatis omnibus incertis emolumentis, et obventionibus quae aliquo modo computari possunt. Verum ex praxi et ex doctorum sententia visum est non posse hac in re ubique eamdem regulam servari. Quare Benedictus XIV [2] pro Italia pristinam Concilii Tridentini dispositionem renovavit, atque arbitrio Episcopi assignare Vicariis congruas remisit. Romae servatur regula quam constituit Leo XII [3] vi cuius obventiones in medietate dividuntur inter Capitula et Vicarios perpetuos exceptis peculiaribus conventionibus a RR. Pontificibus adprobandis. Coeterum semel ac portio Vicariis assignata fuit a Rectoribus habitualibus minui non potest, nisi notabilis rei mutatio contigerit ac praevia Ordinarii adprobatione.

396. Quod si nec per Vicarium perpetuum satisfiat necessitatibus paroeciae, ad dismembrationem ipsius deveniendum est, et ad novae paroeciae erectionem. Porro ad hanc dismembrationem paroeciarum quod attinet, praenotandum est, eam tamquam odiosam in iure haberi et nonnisi in subsidium admittendam esse : accedentibus nimirum gravissimis evidentis utilitatis et necessitatis causis, eiusmodi sunt populi augmentum, longa distantia etc. In hac vero dismembratione facienda, si de vera proprieque dicta Paroecia agatur, servari debet forma a Concilio Trid. praescripta [4] seu Parochi et aliorum interesse habentium consensus exquirendus est, quamvis necesse non sit eorum irrationabilem dissensum attendere. Si vero agatur de simplici missione, ea iuris solemnia servanda non sunt, et non obstante rectoris missionarii deputatione, licebit Episcopo de consilio Capituli intra limites missionis cui praeponitur novas ecclesias condere ac portionem districtus iis attribuere, si necessitas aut utilitas populi fidelis id requirat. Quo melius autem missioni quae di-

[1] Constit. *Ad exequenda* 1567.

[2] Benedictus XIV, Constitut. *Cum semper oblatas* 1744.

[3] Constit. *Super Universum* 1824.

[4] Cap. IV, Sess. XXI *de Ref.*

videnda sit eiusque administris prospiciatur, sententia quoque Rectoris exquirenda est, et si a religiosis sodalibus missio administretur, Praefectus Ordinis audiendus est. Denique congrua dos tam pro parochis, quam pro ecclesiae parochialis tuitione in promptu sit oportet ac praesertim pro sacris supellectilibus, lampadis alimento etc. [1] Ordinarie vero imponitur obligatio parocho ecclesiae noviter erectae, ut solemniore aliquo die tributum aliquod offerat ecclesiae, quae dismembrationem subiit ad demonstrandam eius matricitatem.

TITULUS V.

De Clericis ac Missionariis.

397. Postquam de Praelatis qui iurisdictionem exercent in locis sacrarum expeditionum egimus, de Missionariis in hoc capite agendum est, scilicet de clericis qui ad praedicandum Christi Evangelium atque fidem catholicam annuntiandam schismaticis, haereticis et infidelibus, ab Apostolica Sede mittuntur, opportunisque facultatibus instruuntur. Quanta eorum sit dignitas ex finis excellentia apparet, qui est Dei gloria et proximorum salus, quo nihil sublimius excogitari potest. Hinc quod omnium primum spectare ipsi debent, profecto est pietas et sanctitas animi, quae quidem sit non qualiscumque, sed quae gradui eorum ac dignitati respondeat. Verum quia ipsi lucernae etiam sunt super candelabrum positae, necesse quoque est ut continentiae virtutumque omnium in ceteros lumen emittant, in eos enim tamquam in totidem specula suspiciunt quotquot ad veram fidem convertere vel reducere conantur.

Porro canones, ad quos Missionarii eorum vitam exigere debent, partim omnibus communes sunt clericis, partim eorum status sunt proprii. Hinc de privilegiis et oneribus clericorum generatim agemus, addentes quae Missionariorum peculiaria sunt.

[1] S. C. Conc. in Melevit. *Dismemb.* 1 febr. 1843.

CAPUT I.

DE CLERICORUM IURIBUS AC PRIVILEGIIS.

Praemissis quae de clericorum iuribus in genere dicendum est, videbimus de privilegio canonis, de privilegio fori, competentiae, exemptionis ac immunitatis.

ARTICULUS I.

De clericorum iuribus.

398. Communia clericorum iura sunt 1) divina officia celebrare sacrasque functiones peragere [1]. Attamen tum ex dispensatione tum ex consuetudine nonnulla sacra ministeria obire laicis permittitur veluti Ecclesiae ianuas claudere ac aperire, sacras litteras legere etc. 2) Clericorum est iurisdictionem ecclesiasticam exercere; 3) beneficia ecclesiastica possidere ac ecclesiastica stipendia consequi quae propter sacrum officium largiuntur [2], adeo ut nulla beneficii impetratio censeatur quoties in literis clericatus mentio reticita fuerit [3]. 4) Clericorum est honores ac praecedentias iuxta iuris principia habere [4].

ARTICULUS II.

De privilegio Canonis.

399. Ad privilegium canonis quod attinet dicendum est quod a *Concilio Lateranensi secundo* originem habet, quo in concilio sub *Innocentio II. anno 1139* celebrato in canone 15 relato a Gratiano, in can. 29, caus. 17, q. 4. dicitur: *Si quis suadente diabolo huius sacrilegii reatum incurrerit quod in clericum vel monachum vio-*

[1] Cap. 1, tit. 28, lib. 5 decret.

[2] Cap. 2, tit. 6, lib. 3.

[3] Cap. 17, tit. 3, lib. 1. Cf. cap. 2, tit. 6, lib. 3.

[4] Cf. Decret. lib. 1, tit. 33 de maior. et obed.

lentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere nisi mortis urgente periculo donec Apostolico conspectui praesentetur, et eius mandatum suscipiat.

Exinde hoc privilegium canonis appellatum est. Hoc privilegium in Constitutione Pii IX. *Apostolicae Sedis* confirmatum est[1].

400. De hoc privilegio videndum nobis est 1) *quaenam sit personae violatio* quae in canone punitur; 2) *cuinam* hoc privilegium competat; 3) *quaenam sit poena* eiusmodi violationibus inflicta, 4) et tandem *quomodo* hoc privilegium a clericis amittatur. Et quoad primum actio quae punitur « *est iniectio manuum violenta et iniuriosa* ». Violentas manus iniicere autem intelligimus quoties non verbis sed re graviter iniuria fiat in personam nempe vel in corpus ut ecce si veneno clericum sustuleris, vel in libertatem veluti si clericus in carcerem vel alterum privatum locum detrudatur vel in dignitatem veluti si pileum vel baculum Episcopo detraxeris, vel canem in eum irritaveris et momorderit. Dicimus *re;* proinde non sufficit verbis in personam facta iniuria, veluti si minis illum terrueris; item huiusmodi canon iniuriam non respicit quae etiamsi re tamen non in personam facta est, veluti si aliquid clerico clam subripias. Ulterius oportet ut iniectio sit revera iniuriosa, ac saltem ad mortale peccatum constituendum sufficiat. Iniuriosa est autem si fiat a volente, ac in rationabiliter invitum. Quare lex casum haud respicit quo quis ioco ad correctionem vel subita ira clericum percutiat.

401. Quoad secundum nempe quinam canonis privilegio gaudeat, animadvertendum est hanc legem quoad clericos quam maxime favorabilem esse ideoque latae interpretationis. Qua de re hoc privilegium illis omnibus competit qui in iure latissima significatione clerici appellantur, adeo ut hoc privilegium etiam ad religiosos conversos, ad moniales, ad novitios [2], ad eos qui in aliquam religionem licet non-

[1] Collect. S. C. de Prop. Fid. n. 1002.

[2] Cap. 21, tit. 11, lib. 5 decret.

dum canonice adprobatam ingressi sunt, ad tertiarios, et etiam *ad eremitas* qui auctoritate superioris ecclesiastici tales sunt quoties collegialiter vivant [1] vel *alicui Ecclesiae de Episcopi mandato inserviant.* Hoc privilegio etiam *clerici uxorati* gaudent si nupserint *uni et virgini ac habitum deferant et tonsuram ac de mandato Episcopi, alicui Ecclesiae inserviant* [2]. Hoc privilegio pariter et clerici *irregulares, suspensi, interdicti atque excommunicati* gaudent.

402. Quoad tertium nempe quaenam sit poena eiusmodi violationibus inflicta. Poena quae contra clericorum percussores statuta est, alia est *communis* alia *particularis* pro dignitate personarum quae laesae sunt. Poena communis est *excommunicatio maior latae sententiae* et quidem *R. Pontifici simpliciter reservata* iuxta ea quae habentur in Constitutione Apostolicae Sedis quae excommunicationi R. P. simpliciter reservatae subiacere voluit: *violentas manus, suadente diabolo iniicientes in clericos vel utriusque sexus monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis de quibus iure vel privilegio permittitur ut Episcopus aut alius absolvat* [3]. Quae poena *excommunicatum vitandum* constituit etiam *nulla in eum lata fuerit nominatim sententia* [4].

403. Excommunicationem autem *non incurrunt mandantes, non prohibentes ac ratum habentes violationem immunitatis* clericorum, est enim lex poenalis odiosa ideoque strictae interpretationis, etiamsi quatenus clericorum privilegium importat sit favorabilis. Ex altera parte Constitutionis Apostolicae Sedis auctor cum voluit censura et mandantes, non prohibentes, ac ratum habentes innodare hoc expressit. Ita in n. 5 eiusdem constitutionis Apostolicae Sedis excommunicationi R. Pontifici speciali modo reservatae subiiciuntur « *omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostoli-*

[1] Fagnan. in cap. 2 de for. compet., n. 59 et sqq.

[2] Conc. Trid. cap. III, sess. XXIII de Ref.

[3] Collect. S. C. Pr. F. n. 1002.

[4] Martinus V, Constit. *Ad evitanda.* Reiffenstuel de sent. excomm., n. 135.

cae Legatos, vel Nuncios: aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis eiicientes nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium vel favorem ». Ex his patet quod Pius IX. RR. PP. Alexandri III, Innocentii III, Bonifacii VIII constitutiones hac in re abolevit qui etiam mandantes ac ratum habentes excommunicationem innodaverunt.

404. In hanc excommunicationis poenam *non incidunt impuberes;* in rebus enim odiosis principium valet quod id quod legislator voluit expressit.

405. Poenae autem speciales contra clericorum percussores sunt sequentes. Qui Episcopi personam violaverit incurrit officiorum ac beneficiorum sive spiritualium sive temporalium privationem quae a reo ac ab eius cooperatoribus habeantur in Ecclesia cui Episcopus laesus praeest; eius filii fiunt inhabiles ad beneficia ecclesiastica obtinenda in eadem Ecclesia et Dioecesi usque ad secundam generationem. Insuper *interdictum* ponitur in percussorum terris, et si Civitas proprium Episcopum occiderit, Cathedra Episcopalis ab ea removetur [1]. Quod si Cardinalis persona violata sit, poenae speciales et gravissimae in Capite *Felicis* 3 *de poenis in 6*. scriptae sunt, quibus addenda est constitutio Pii V [2] qui eaedem poenae ad eos extendit qui scienter non revelaverint eiusmodi crimina eorumque machinationes. Fatendum tamen est quod poenae de quibus in praedicto capite « *Felicis* » agitur praesertim propter immutatos mores saltem maxima ex parte in desuetudinem abierunt.

406. Quae vero pertinent ad causas poenae temperandae, animadvertendum est, eas tantum versari circa reservationem excommunicationis. Videndum itaque est, quibus in casibus absolvendi facultas aliis fiat, et quinam ii sint. Et primo quidem absolvendi facultas aliquando committitur Episcopo et ei qui iurisdictionem quasi episcopalem in certo territorio habeat, imo et Vicario Generali; haec vero facultas ab Ordinario potest etiam aliis delegari [3]. Epi-

[1] Cf. Thesaur. de poen., par. 2, verb. *iniuria.*

[2] *Infelicis* 19 dec. 1569.

[3] Schmalzgrueber, loc. cit., n. 247.

scopus autem absolvere potest in casibus occultis, exceptis iis in quibus Cardinalis, vel Episcopus, vel Apostolicae Sedis Legatus laesus fuerit, quandoquidem in Constitutione *Apostolicae Sedis* excommunicatio, quae talium laesione incurritur, speciali modo Romano Pontifici reservatur. Potest etiam in quibusdam casibus notoriis; id est, si percussio in se spectata levis fuerit, seu si nullam in corpore maculam aut contusionem reliquit, et quae simul ratione adiunctorum gravi scandalo non fuerit. Si percussio fuerit gravis, poterit eos tantum absolvere, qui collegialiter vivunt [1]. Si enormis poterit absolvere impuberes, sive ante sive post pubertatem petant absolvi, nempe si vera est sententia existimantium eos etiamnum esse obnoxios huic excommunicationi. Denique in casibus notoriis potest Confessarius absolvere, si percussor legitimo impedimento detineatur sistendi se ad Apostolicam Sedem, aut ad eius Legatum, ea tamen lege, ut si impedimentum sit temporaneum, percussor ante absolutionem iuret se, cum primum licuerit, Apostolicam Sedem vel eius Legatum aditurum.

407. Facultas denique absolvendi datur cuicumque sacerdoti, si mortis periculum urgeat, ex. gr. si hostium irruptio timeatur, si loca latronibus infesta adeunda sint, si longa et periculosa navigatio suscipiatur, eadem tamen sub lege, quae supra dicta est, seu ut percussor iuret se cum primum poterit Apostolicam Sedem aditurum.

408. Clericus multipliciter canonis psivilegium amittere potest. Si quidem 1) per degradationem qua clericus Curiae saeculari traditur; 2) si clericus in minoribus constitutus deposito habitu et tonsura statum clericalem derelinquat [2]; 3) si clericus non obstante trina Episcopi monitione artem ludricam exerceat; 4) si matrimonium ineat non servata triplici conditione quae a Bonifacio VIII statuta est quod nempe *a*) deferat clericalem habitum ac tonsuram, *b*) ad secundas nuptias non convolaverit, *c*) imo virginem ducat [3].

[1] Cap. 50 de sent. excom.; Cap. 9 de vita et honest. Cleric.

[2] Ita Pius IX, 20 sept. 1860.

[3] Cap. unic. in VI, III, tit. 15.

5) Si clericus in maioribus matrimonium contraxerit vel delictis ac artibus ignominiosis se immisceat [1].

Ex *collectanea* S. Congregationis Propagandae Fidei quod pertinet ad canonis privilegium haec notanda sunt: 1) *Anno 1624* ad petitionem Archiepiscopi Chiovensis Sacra Congregatio declaravit sacerdotes et clericos *ruthenos* unitos eiusdem privilegii canonis videlicet fori immunitatis gaudere quibus sacerdotes et clerici latini gaudent et potiuntur, iussitque scribi Poloniae Nuntio eos in praedictorum privilegiorum usum restitui vel in eo manuteneri, nisi aliquid quod obstat rescribere, ad Congregationem habeat [2]. Ex qua responsione licitum est deducere principium quod etiam *ad clericos omnes orientales* privilegia canonis et fori pertinent.

Sacra autem *Congregatio Immunitatis anno 1860* declaravit quod si clericus nondum maiores suscepit Ordines sive *sit coniugatus sive non* cum, quoad ea quae S. Concilium Tridentinum Sess. 23, cap. 6, De reformat. disposuit, diligenter non observaverit, privilegium fori amittit, habendus est uti destitutus atque ipso iure et ipso facto destituitur omnibus clericorum privilegiis ita ut haberi tractarique debeat tamquam persona vere laica etiam in causis criminalibus et ad effectus poenales quin ulla nunc et deinceps *triplex admonitio,* sive peculiaris declaratio incidentiae in hanc poenam sit necessaria [3]. In praedicta autem *sessione 23, cap. 6,* Concilium Tridentinum declaraverat quod clerici coniugati non gaudent clericalibus privilegiis nisi Bonifacii VIII conditiones servaverint, non coniugati vero in minoribus constituti nequeant beneficium obtinere ante annum *aetatis 14,* ac nisi habeant beneficium, aut clericalem habitum ac tonsuram deferentes alicui Ecclesiae ex Episcopi mandato inserviant, vel in seminario clericorum aut in aliqua schola vel universitate de licentia Episcopi quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versentur.

[1] D'Annibale Sum. I, 100.

[2] Collect. n. 216.

[3] Collect. S. C. Pr. Fid. n. 232.

ARTICULUS III.

De privilegio fori.

409. Clerici fori privilegio etiam gaudent. Quaestio inter doctores agitatur an fori privilegium ex *iure divino* sit vel *humano*. Sunt qui primum affirmant et cap. *4 De censibus in VI* et *3 de iureiur.* adducunt in quibus expresse dicitur *personas ecclesiasticas etiam divino iure a potestate laica immunes esse.* Insuper in can. *Duo sunt genera,* caus. 12, q. 1, in decreto dicitur duplicem esse potestatum genus ecclesiasticam et civilem, quarum prior tanto secundae praestat quanto spiritualia temporalibus, atqui potestas ecclesiastica quae utpote superior inferiori non subiicitur ex iure divino est, ergo etiam fori privilegium. Alii dicunt fori *privilegium ex iure humano esse imo ex laicae potestatis concessione* originem habere; quod probare conantur ex cap. ult. *de rebus Ecclesiae non alienandis* in quo dicitur libertatem Ecclesiae munitam fuisse privilegiis principum saecularium. Quare in Cod. Iustinianeo *de Episcopis* per modum legis fori privilegium clericis conceditur. Nos dicimus fori privilegium *ab Ecclesia* inductum fuisse, *a civili potestate recognitum at in iure divino fundamentum habere.* Et sane in Concilio Tridentino [1] traditur hoc privilegium constitutum fuisse *divina ordinatione et ecclesiasticis sanctionibus.* Qua de re etiamsi praeceptum ex iure ecclesiastico sit, tamen intentio ex divino iure repetenda est. Huius privilegii vestigium in ipsis sacris literis invenitur veluti in epist. I. Pauli ad Timotheum cap. 5, v. 19, ubi dicitur « *adversus presbyterum accusationem noli accipere nisi sub duobus vel tribus testibus* ». Ceterum legibus ecclesiasticis hoc privilegium diversimode immutatum est, adeo ut dici possit quod in sua iuridica forma ab Ecclesiae legibus pendet.

410. Itaque fori privilegium ad clericos pertinet qui huius privilegii gratia ad saeculare tribunal trahi non possunt. Ex Ecclesiae

[1] Cap. XX, Sess. XXV de Reform.

dispositione fori privilegio gaudent 1) clerici maiores, 2) clerici minores [1] etiamsi sola tonsura sint insigniti dummodo *a*) habitum clericalem ac tonsuram deferant, *b*) alicui Ecclesiae inserviant, ex Episcopi saltem praesumpto mandato, vel Episcopi consensu in aliqua studiorum universitate versentur. Quod si de clericis in minoribus ac coniugatis agatur tertia additur conditio *c*) dummodo nupserint uni et virgini [2].

411. Nomine autem clericorum in casu non modo clerici saeculares veniunt sed et regulares ac novitii nec non moniales ac conversae, imo et heremitae qui habitum ab Episcopo susceperint et ab eius iurisdictione dependeant.

412. Si contractus initus fuerit vel delictum patratum vel in genere factum positum fuerit a clerico antequam clericali militiae esset adscriptus, clericus privilegio gaudere non potest quoties 1) *res amplius integra non sit* quia ea de re *iam vidit iudex laicus,* attamen *sententiae executio ad Episcopum pertinet;* 2) vel clericus in legis fraudem ad laicale iudicium vitandum clericalem habitum susceperit, sed etiam hoc in casu *sententiae executio* in clerici personam *ad Episcopum* pertinet [3]. Ad rem notanda est *responsio Sacrae Congregationis Inquisitionis lata die 23 Ianuarii anno 1886,* qua declaratur excommunicationem in Const. Apostolicae Sedis latam ac speciali modo R. Pontifici reservatam contra trahentes ad saeculare tribunal clericos, non tangere *nisi legislatores qui suis legibus Ecclesiae privilegia detrahunt. Actores* autem etiamsi peccent tamen excommunicationem non incurrunt [4]. 3) Similiter clericus hoc privilegio haud gaudet quoties a laico legitime conveniatur [5]. Ex dictis sequitur etiam laicum fori privilegio gaudere qui in causis civilibus simul cum clerico convenitur dummodo causa sit *individua* [6].

[1] Ex Conc. Trid. cap. VI, sess. XXIII de reform.

[2] Cap. un. de cler. coniug. in VI.

[3] Reiffenstuel de foro comp. 267. Bened. XIV. de Synod. dioec. lib. 12, c. 2.

[4] Collect. S. C. Pr. Fid. n. 240.

[5] Reiffenstuel de mutuis petitionibus, § 2.

[6] Schmalzgrueber, Tit. de foro comp., n. 141.

413. Postremo notamus quod cum hodiernae civiles societates clericorum privilegia non recognoscant, ut quis apud iudicem laicum contra clericum agere valeat, oportet ut prius a proprio clericorum Ordinario *veniam petat, quam licentiam Ordinarii numquam denegabunt praesertim cum ipsi controversiam conciliare non valuerint.* Episcopus autem apud laicum iudicem absque Apostolicae Sedis licentia conveniri non licet. Qui contra agere ausi fuerint ab ipsis Ordinariis poenis ac censuris ferendae sententiae puniri possunt [1].

414. Ad rem S. Congregatio Prop. Fidei die 17 Maii 1886 proposito dubio quinam modus tenendus sit cum sacerdotibus qui recurrunt ad civilia tribunalia, EE. PP. responderunt: « *declarat Sacra Congregatio numquam sese fore admissuram recursum vel appellationem sacerdotum qui ad iudices laicos trahere ausi fuerint vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia Apostolicae Sedis, sive in causa ecclesiastica sive non, nisi prius recursum ad civile tribunal deseruerint. Episcopi vero iuxta declarationem capitis « Cogentes » a Suprema Inquisitione die 23 Ianuarii 1886 editam, possunt in praedictum clericum animadvertere poenis ac censuris ferendae sententiae, maxime suspensione a divinis, servatis tamen servandis, et pro gravitate causae, si id expedire in Domino iudicaverint. Quod si venia conveniendi clericum in foro laicorum ab Ordinariis petatur, ipsi numquam eam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint* » [2]. In Congregat. autem Fid. Prop. die 6. septembris 1886 proposito dubio: « *quomodo agendum cum clericis qui cedunt laicis iura sua erga alios clericos vel Episcopos ut ipsi laici loco eorum recurrant ad tribunal laicum:* Em. Patres responderunt: *quod volens ecclesiasticus sua iura cedere laico in quaestione aliqua contra clericum, exposcere debet prius veniam ab Episcopo, et si de lite agatur contra Episcopum ab Apostolica Sede. Quod nisi faciat vel obtineat subiectus censetur praescriptionibus*

[1] S. C. S. Officii die 23 Ianuarii 1886.

[2] Collect. S. C. Prop. Fidei n. 249.

emanatis contra trahentes clericos vel Episcopos ad forum laicum; censetur enim agere in fraudem legis » [1].

415. Anno 1796 die 6 Iunii Sacra Congregatio Fidei Propagandae ad dubium: *Se debba approvarsi il seguente decreto fatto dal Visitatore per la diocesi di Alessio: Il secolare non debba citare il sacerdote al tribunale turco nè il sacerdote debba esporre le sue querele al detto tribunale senza previa licenza del suo Ordinario.* S. Congregatio respondit: *affirmative ad primam partem, ad secundam venia concedatur nisi gravibus de causis et in criminalibus facta protestatione ad formam sacrorum canonum* [2].

ARTICULUS IV.

De privilegiis exemptionis ac competentiae ac immunitatis.

416. Aliud privilegium quo Clerici gaudent, privilegium est *exemptionis* a publicis muneribus civilibus quae cum clericorum dignitate bene non componuntur. Hoc privilegium non modo lege ecclesiastica sancitum [3], sed etiam antiquitus civili lege recognitum fuit [4]. In Syllab. damnata est propositio 31. qua dicitur: *absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari immunitas qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur, hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.*

417. Tandem Clerici gaudent *competentiae* privilegio. Quoties clericus aere alieno gravatus fuerit, nonnullis exstantibus conditionibus, nec in carcerem detrudi potest nec usque ad ultimum quadrantem solvere cogitur, sed alimenta sibi retinere valet. — Hoc privilegium romanorum iure competebat *a*) *proximioribus consan-*

[1] Collect. S. C. de Prop. Fid. n. 242.

[2] Collect. S. C. Prop. Fid. n. 220. - Cfr. Conc. Baltimorense n. 84.

[3] Can. 69, caus. 12, q. 2.

[4] Cod. Theod. Tit. de Episc. et Cler. (XIV.-2); Const. 1, 2 Cod. Iust. de episc. (I-3); c. 69, c. XII, q. 2; Conc. Tolet. III, a. 589. Cfr. Walter manuale.

guineis idest *fratribus, parentibus, liberis* [1], *b*) *sociis* [2], *c*) *marito quoad dotis restitutionem* [3], *d*) uxori si a marito ex dotis *promissione conveniatur* [4], *e*) *patronis eorumque liberis ac parentibus a libertis conventis* [5], *f*) *militibus sive militiae armatae* [6] *sive togatae* [7]. Gregorius autem IX. hoc privilegium clericis etiam extendit [8]. Imo iam romanis legibus hoc privilegium clericis recognitum fuerat unde statutum fuerat ne in plus quam facere possunt convenirentur [9].

418. Ne autem hoc privilegio delinquentes patrocinarentur, aut iura quaesita laederentur, canonica lege statutum est quod clericus competentiae privilegio non gaudet quoties *a*) *debitum non ex contractu sed ex delicto originem habuerit* [10], *b*) *aut creditores actione reali non personali contra clericum agant* [11], vel *c*) *clericus propria debita non confiteatur* [12], vel *d*) *clericus non promittat se creditoribus soluturum quoties in meliorem fortunam deveniat.* Caeterum de clerici inopia constare debet, vel *e*) *clericus spe hoc privilegio fruendi debita contraxit, f*) vel *bona in creditorum fraudem alienavit pendente lite super debito principali.* Monendum hic est quod clericus coniugatus etiamsi conditiones Bonifacii VIII servet, tamen hoc privilegio non gaudet [13] *.

* Nota. – Hac in re bene forsitan notat clarissimus Walter hoc privilegium iure romanorum inductum ad clericos extensum fuisse in praxi et *ex aequitate,* at nullum in legibus expressis fundamentum

[1] L. 17, 30 ff. de Re iud. L. 16 18 ff. solut. matr.

[2] L. 31 de excusat.; L. 52 ff. Pro socio.

[3] L. 17, 20 ff. de Re iud.

[4] L. 17 ff. solut. matr.

[5] L. 17, 19-49 ff. de re iud.

[6] L. 18 ff. de re iud.

[7] L. 4 Cod. de advocatis divers. iudic.

[8] Cap. 3 *Odoardus* tit. 23, lib. 3. - Sess. XXI de Reform. Conc. Trid., c. II.

[9] L. *Miles* ff. de re iud. Panormit. et alii ad c. 3. de solut.

[10] Fagnanus ad cap. 3. de solut. Barbosa ius eccl. univ. lib. 1, cap. 39.

[11] Barbosa l. cit.

[12] Cap. 3 de solut. X.

[13] Barbosa l. c.

habere, cum caput 3 « Odoardus » *de solutionibus* quod ab auctoribus citari solet nihil in re probet. Nam illud tantum in iure declaratum extat *iniuste excommunicatum fuisse clericum debitorem cum solvere non posset.* At forte is iam bonis cesserat, quare ulterius premendus non erat quam ut repromitteret se tunc soluturum cum ad pinguiorem fortunam pervenisset [1].

419. Tandem clerici etiam immunitatis a vectigalibus privilegio gaudebant, quod tamen privilegium diversis temporibus immutationes passum est [2].

CAPUT II.

DE CLERICORUM OFFICIIS AC ONERIBUS

420. Ecclesia non modo externam sed etiam et quidem quam maxime internam sanctitatem a suis clericis exigit. Ut internam sanctitatem consequantur, Ecclesia optat ut clerici sacramenta Poenitentiae ac Eucharistiae suscipiant. Quare in Tridentino Concilio [3] decernitur « *Sciant maxime decere si saltem diebus dominicis et solemnibus cum altari ministraverint, sacram communionem perceperint* ». Verum praesertim, ut patet, de externa clericorum vita praecepta data sunt.

421. Duplex officiorum genus in quolibet munere continentur. Oportet enim 1) ut clericus, qui munere ecclesiastico ornatur, quae ad idem munus rite exercendum necessaria sunt adhibeat, et 2) ut quae ab eodem munere rite exercendo impedimento sunt, clericus a se arceat.

422. Qua de causa etiam clericorum officia in duplicem classem optime dividi possunt, quatenus alia sint officia *positiva*, alia

[1] L. *Qui bonis* ff. de cess. bon. Cf. Walter Manuale di diritto ecclesiastico p. 1. Gudelini de iure novissimo, lib. 6, cap. 7.

[2] C. 8, 10, 14, 15, 26, 36 C. Th. de episc. (XVI. 2). Const. 1, 2, 3, 6 Cod. Iustin. de episcop. (I-3); c. 4, 7 decret. de immunit. (III. 39); c. 4 de censibus in VI. Clem. 3 eod.

[3] Sess. XXIII, Cap. XIII de Ref. Cf. Sess. XXIV de Ref.

officia clericorum *negativa.* Ad positiva officia pertinent *vitae honestas, sacramentorum frequentia, ministeria ecclesiastica rite explenda;* ad negativa officia alia pertinent quae clericus vitare tenetur sicut *caste et caute* vivere etc.

Sit igitur

ARTICULUS I.

De positivis Clericorum officiis.

423. De honestate vitae primum in genere prae oculis habenda sunt verba Concilii Trid. [1] quibus clericos monet ut *habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum praeseferant, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Deinde in specie quaedam animadvertenda sunt de usu Sacramentorum, de Ecclesiae ministerio ac de habitu.

424. De usu sacramentorum, Poenitentiae scilicet et Eucharistiae, licet nihil praeceptum proprie sit, nihilominus quid Ecclesia a suis Clericis cupiat, indicavit Conc. Trid. [2] ubi praesertim de diaconis et subdiaconis disserens ait: « Sciant maxime decere, si saltem diebus dominicis et solemnibus cum altari ministraverint, sacram communionem perceperint ».

Quod autem attinet ad Ecclesiae ministerium, haec sunt animadvertenda: 1) Nemo in Clerum regulariter est admittendus, qui certae ecclesiae, vel pio loco non addicatur, ubi muneribus fungatur sui Ordinis propriis, neque proinde incertis vagetur sedibus [3]. 2) Si eiusmodi addictio in ipsa ordinatione omissa fuerit, deinceps Episcopi arbitrio fieri potest, si agatur de Clericis presbyteratus ordine nondum auctis, qui ecclesiasticum beneficium nullum habeant;

[1] Sess. XXII, Cap. I de Ref.

[2] Sess. XXIII, Cap. XIII de Ref.

[3] Conc. Trid. Sess. XXIII, Cap. XVI De Reformat. Bened. XIII, Constit. *In Suprema,* 23 sept. 1724.

fieri vero debet, si iidem clerici beneficium habeant [1]. Ea vero fieri non potest quoad presbyteros nullo beneficio auctos, qui ad ecclesiae servitium, sive eidem adscripti aliquando fuerint, sive non cogi nequeunt sine aliquo stipendio [2]. Secus vero dicendum est de presbyteris, qui beneficium habent, licet illud per se servitium non exigat [3]. Animadvertendum est quod Clerici eiusmodi ministerium detrectantes, adigendi sunt poenis, quae tamen non possunt esse pecuniariae [4]. Poenae autem recte versantur aut in exercitio sacrorum eis interdicendo, si ecclesiae ab Episcopo designatae servire nolint [5], aut in neganda eisdem promotione ad altiores ordines et ad beneficia ecclesiastica, si pertinaces sint, vel nulli prorsus ecclesiae servire velint [6]. Ii vero qui titulo missionis inter sacros ministros cooptari cupiunt, tenentur prius iuramentum emittere, quo spondeant missioni cui destinati sunt vel destinabuntur se fore perpetuam operam daturos, quod quidem ab iis qui hoc titulo frui volunt S. Sedes, ut missionum, quarum sumptibus illi aluntur, servitio consuleret, exigere constanter consuevit. Hinc Missionarii qui pro determinatae dioecesis servitio iuramentum emiserunt, non possunt ad aliam dioecesim migrare absque peculiari indulto Sedis Apostolicae, iuramento ipso renovato.

ARTICULUS II.

De negativis clericorum officiis.

425. Clerici *caste et caute* vivere tenentur adeo ut ea etiam vitare teneantur quae incontinentiae suspicionem ingerere possent. Quamobrem cum mulieribus habitare prohibentur de quibus *incon-*

[1] Bened. XIII, loc. cit.

[2] Sac. Cong. Conc. in Senien. *decretorum* 13 sept. et 22 nov. 1749.

[3] S. Cong. Conc. 12 iun. 1677 apud Bened. XIV, Inst. 31.

[4] S. Cong. Conc. 19 iul. 1618 apud Giraldi parte II, sect. 106.

[5] Conc. Trid. l. c.

[6] Bened. XIV *de Synod.* Lib. XI, cap. II; et Lib. XII, cap. VI.

tinentiae suspicio sit [1], etiamsi *consanguineae* sint [2]. Clericus qui contra sacrorum canonum dispositionem cum muliere de incontinentia suspecta cohabitat, *concubinarius* in iure consideratur. Caeterum vere clericus concubinarius est qui pravum et habituale commercium cum una aut pluribus mulieribus, vel mulieres suspectas domi aut alibi retinet. Tridentinum Concilium dum poenas contra clericos concubinarios statuit, eos quatuor in classes distinguit. Etenim alii sunt 1) qui *beneficia* et *pensiones ecclesiasticas habent,* alii 2) nec *beneficia* nec *pensiones possident,* alii 3) sunt *Episcopi,* alii 4) sunt *parochi.* Quoad primos Tridentinum Concilium statuit ut imprimis personaliter moneantur [3], quod si non resipuerint *ipso facto* privantur *tertia parte fructuum* obventionum et *proventuum beneficiorum ac pensionum* quae ab eidem possideantur, quae bona Ecclesiae *fabricae vel pio loco Ordinarii arbitrio* adplicantur. Verum notandum est 1) quod *ab his fructibus quotidianae distributiones excipiuntur* 2) et insuper criminis *declaratoria* sententia *requiritur. Post autem fructuum privationem* clericus concubinarius in crimine perseverans *iterum monendus* est, et si non paruerit, eo ipso *fructus omnes beneficii vel pensionis* in utilitatem *fabricae* Ecclesiae vel *alterius pii loci* Ordinarii arbitrio amittit. Tandem clericus concubinarius *adhuc contumax beneficiis, pensionibus, et officiis ecclesiasticis* privatur ac ad beneficia, dignitates, honores consequendos in Ecclesia *inhabilis declaratur.* Postremo clerici concubinarii *excommunicationis poena* plectuntur. *Quoad secundos* si post monitionem non resipiscant, *iuxta delicti qualitatem puniuntur. Episcopi vero in Concilio Provinciali a Metropolitano eoque impedito ab antiquiore suffraganeo monentur.* Post autem monitionem Episcopus *contumax ipso facto suspensus est,* ac *ad Sedem Apostolicam* deferri debet. Contra tandem *parochum* vel proceditur sicuti contra

[1] Can. 18, distinct. 32.

[2] Cf. cap. 9, tit. 1, et cap. 1, tit. 2, lib. 3 decret.

[3] Trident. cap. XIV, sess. XXV.

eum qui possidet beneficium ut supra diximus [1] vel sicuti praescribitur in cap. 6, sess. XXI Trident. Concil. in quo decernitur ut primo parochus personaliter moneatur et deinde debita plectatur coercitione, et tandem parochiali beneficio privetur omni remota exceptione ac appellatione. Praedictae autem *monitiones personaliter faciendae sunt* etiamsi de *concubinariis notoriis* agatur [2].

426. Similiter propter incontinentiae periculum *clericis ad Monasteria frequens accessus* sine rationabili causa vetitus est [3], alioquin ab Episcopis, etiam censuris adhibitis ecclesiasticis, puniri possunt [4]. Verum regularibus absolute ad Monialium monasterium accessus prohibetur, alioquin *quacumque exemptione non obstante ab Episcopo tamquam Apostolicae Sedis delegato poena etiam excommunicationis ac privationis vocis activae et passivae puniri possunt, quin ab his poenis a suis superioribus Regularibus absolvi possint.* Ab hac prohibitione tamen excipiuntur 1) fratres ac consanguinei, 2) confessarii ordinarii vel extraordinarii sive saeculares sive regulares, 3) procuratores Monasteriorum aliique in Monasteriis officium habentes.

427. Clerici quam maxime sese inebriandi periculum vitare debent, adeo ut contra clericos qui in ebrietatis vitio insordescunt Episcopus poena suspensionis ab officio et beneficio procedere potest [5], imo absque necessitatis causa tabernas seu cauponas bibendi aut edendi causa ingredi prohibentur [6].

428. Clerici laicales vestes induere prohibentur quae tales sive quoad formam, sive quoad colorem habentur [7] ac tonsuram deferre tenentur. Imo saltem eo tempore quo in ecclesia divina ce-

[1] Cap. XIV, Sess. XXV.

[2] Cf. Garcias de Benef. Part. 2, cap. 10, n. 186. Barbosa cap. 4, Tit. 2, lib. 3, n. 6.

[3] Cap. 8, Tit. 1, lib. 3.

[4] Bened. XIV. in epist. decretali *Gravissimo* 26 Iunii 1749.

[5] Cap. 14, Tit. 1, lib. 3.

[6] Cap. 15, tit. 1, lib. 3 Conc. Baltim. n. 80.

[7] Bened. XIII, Constit. *Cath. Eccl.* 1725.

lebrant officia vestem talarem nigrique coloris praecipitur [1]. Caeterum quae sint laicales vestes ac de clericali habitu leges ferre Episcoporum est [2]. Quare inspecta etiam historia legislationis canonicae circa vestes a clericis induendas hoc erui potest nempe 1) *Ecclesiam semper optavisse ut clerici etiam in exteriori habitu singularem modestiam praeseferrent;* 2) *ut in determinatione habitus ut plurimum dioeceseos usus et Antistitum decreta attendenda sunt.* Clerici minores non deferentes habitum et tonsuram iuxta hodiernam disciplinam a statu clericali decidunt ac tamquam laici sunt considerandi. S. C. Immunitatis 20 Sept. 1860 decretum edidit iussu Pii IX, quo statutum est clericos in minoribus constitutos sive coniugatos sive caelibes semel ac conditiones non servaverint a Conc. Tridentino statutas [3] pro privilegio fori ipso facto absque ulla praevia monitione omnia alia privilegia clericorum amittere et considerandos esse et tractandos ceu personas mere laicales. Etiamsi haec dispositio lata videatur pro ditione temporali Pontificia, attamen cum eadem subsit causa vim legis universalis habere dicenda est.

429. Clerici autem maiores qui habitum et tonsuram non deferant, ab Episcopo *etiamp ublico edicto monentur; hinc ab ordine, officio et beneficio suspenduntur,* et tandem *eisdem officiis ac beneficiis privari possunt* [4]. Sixtus V in constitutione « *Cum Sacrosanctum* » statuerat ut clerici non incedentes in habitu talari incurrant ipso facto privationem beneficiorum, praestationum atque pensionum. In alia constitutione a lata lege clericos exclusit possidentes pensionem non excedentem summam 60 scutatorum de camera, nec non familiares qui ratione officii habitum clericalem gestare non tenentur. Verum Sixtina constitutio ut supra dictum est in desuetudinem abiit. Benedictus XIII [5] decrevit Episcopos contra clericos

[1] Bened. XIV. *De Synodo dioec.* l. XI, Cap. 8.

[2] Conc. Trid. sess. XIV, cap. VI de Ref.

[3] Conc. Trid. cap. VI, sess. XXIII de Ref.

[4] Conc. Trid. cap. VI, sess. XIV de reformatione ubi constitutione Conc. Viennensis renovatur quae refertur in cap. 2, tit. 1, lib. 3 Clem.

[5] Const. Apost. *Eccl. regim.*

non deferentes habitum et tonsuram procedere debere post monitiones domi relictas vel ad valvas Ecclesiae defixas si alibi morarentur, interim non facere fructus suos et deinde beneficiis privandos esse iuris ordine servato ; beneficia quae ita vacant Sedi Apostolicae reservantur.

430. In instructione S. C. de Propaganda Fide 18 Oct. 1883 ad Vicarios Apostolicos Synarum confirmat quae statuta sunt in cap. X, n. 10 Synodi Sutchuensis [1] caetera relinquens prudenti Episcoporum arbitrio, id tantum animadvertens curandum omnino esse ut circa vestes a clero adhibendas caute procedatur ne difficultates inter sacerdotes in opportunis innovationibus excitentur [2]. Anno 1752 ad Praef. Mission. Thibet rescriptum est licitum esse clericis induere vestes laicales si aliter transire vel permanere non poterint in Missione « *quando pertanto gli accennati missionarii non possono ivi vestire gli abiti proprii della Religione che hanno professato, la Santità di N. S. permette ad essi che vestano gli abiti propri del paese, che dormano anche con essi, e quando vogliono celebrare la S. Messa se gli è di grave incomodo il rivestire l'abito della Religione mettano gli abiti sacri sopra gli usuali* [3] ». Anno 1783 cum expositum fuerit S. Congr. Propag. F. quod gentiles maxime abhorrent a vestibus nigri coloris, imo plurimos christianam fidem amplexuros esse si togae albi coloris missionariis permitterentur, S. C. permisit ut missionarii vestes cuiuslibet coloris ibi adhibere possent, dummodo nullum adsit periculum superstitionis, neque sint signum protestationis falsae religionis, nec vestes a modestia et gravitate sui muneris non abhorreant. Hortatur tamen S. C. ut nihil innovetur nisi de consilio et communi consensu missionariorum ut concordia et uniformitas nullum capiant detrimentum [4].

[1] Vide Collect. S. C. Prop. F. pag. 91 in nota.

[2] Collect. S. C. Pr. F. n. 238.

[3] Collect. S. C. Pr. F. n. 279.

[4] Collect. Prop. F. n. 318.

Anno 1844 rescriptum est a S. C. Prop. Fidei *non licere Missionariis induere vestes a Sacerdotibus Lama adhibitas neque ut facilius inter Tartaros fides catholica propagaretur cum ut patet* illae vestes signum essent falsae religionis [1].

Anno 1869 S. C. Prop. Fidei ad Vicarios Apostolicos Indiarum hortatur clericos ut saltem in publico vestes talares seu albi seu nigri coloris iuxta regionum consuetudines deferant. Quod si necessitate cogente et causa itineris eas exuere cogantur, vestes tamen adhibeant sacerdotalem modestiam praeseferentes [2]. Ex quibus decisionibus eruitur 1) Sedem Apostolicam aliquando iusta interveniente causa concedere ut clerici vestes etiam laicales induant; 2) Sedis Apostolicae voluntatem esse tamen ut quo fieri possit uniformitas servetur; 3) numquam vero permittere ut clerici vestes induant quae vel superstitiosae habeantur vel sint signum falsae religionis.

In Concilio III Baltimorensi postquam Patres monuerunt quod clericorum habitus conciliare debet dignitati status reverentiam, praecipiunt ut clerici sive domi sive in templo veste talari utantur. Cum foras prodeunt muneris vel animi recreandi causa vel in itinere breviori quadam veste indui licet quae tamen nigri sit coloris et ad genua producatur ita ut a laicis distingui possint. Stricto praecepto ulterius iniungitur ut domi et foris collare quod romanum vocatur gerant. Quibus regulis tenentur et regulares quoties seposito habitu sui ordinis foras prodeunt [3].

431. Clericis vetitum est comam immodice excolere alioquin etiam censuris puniri possunt. Nec eis est licitum deferre comas adscititias in missae celebratione absque Sedis Apostolicae indulto [4].

[1] Collect. Prop. F. n. 322.

[2] Collect. Prop. F. n. 326.

[3] Conc. Baltim. n. 77.

[4] S. R. Congr. 21 Ianuar. 1626. Bened. XIV, Inst. 34, et 96, et de Syn. Lib. XI, cap. IX.

432. Clerici sive maiores sive minores [1] negotiationem exercere prohibiti sunt. Negotiatio alia est *oeconomica,* alia *lucrativa. Oeconomica* negotiatio consistit in emendis quae necessaria sunt, aut vendendis quae superflua sunt, eaque gerendis quae ad suarum rerum curam et locationem pertinent. Negotiatio *lucrativa* e contra alia est *artificialis,* alia *quaestuosa. Artificialis* in alicuius artis exercitio consistit; *quaestuosa* vero exercetur commercio rerum aliunde coemptarum vel conductione alienarum operarum ad lucrum captandum vel ipsius *pecuniae negotiatione.* Negotiatio oeconomica clericis prohibita non est [2]. Quare clericis licitum est vinum suum etiam minutim per alios vendere in aliqua taberna, vel res ad proprios usus coemptas carius etiam divendere licet superflua non sint ut lucrum ex iis quaeratur [3]. Attamen non licet clericis interesse omnibus passim nundinis quamvis ad res proprias vendendas; hoc in casu saltem vitium est in modo quo oeconomica negotiatio exercetur [4].

Negotiatio *artificialis* similiter clericis licita est dummodo nihil in se habeat quae a clericali officio aut dignitate abhorreat. Quare illicitum est clericis aliena praedia absque necessitate habitualiter conducere, per conductos famulos facere vinum, pannos, panem etc. [5].

433. Negotiatio tandem *quaestuosa* omnino illicita est nisi causae excusantes adsint, in dubio autem ab Apostolica Sede responsum petendum est [6]. Quare prohibitum est clericis publica vectigalia redimere seu conducere praedia absque necessitate ac lucri causa conducere [7], animalia aliunde coempta locare aut in societate ha-

[1] Fagnanus in cap. *Multa Ne* clerici vel monachi n. 83. SCHMALZGRUEBER h. t., n. 25.

[2] Clem. XIII. Encycl. *Cum primum* 1759, 17. sept.

[3] GONZAL. in cap. 6. cf. *Clerici.*

[4] Clem. XIII, Const. cit.

[5] Clem. I de vita et honest. cler.

[6] Cap. 6, Tit. 1, Lib. 3.

[7] UGOLIN in cit. capite.

bere [1]. Notandum est autem iuxta responsionem S. Univers. Inquis. 17 Nov. 1875 non esse inquietandos qui nomina seu actiones viarum ferrearum similiumque societatum aut arcarum publicae utilitati inservientium de sua pecunia acquirerent, dummodo parati sint stare mandatis apostolicis et certo sciant eas societates nullum habere propositum finem illicitum vel quomodolibet suspectum et dummodo nullam in eis societatibus administrationis partem suscipiant neque actionum earumdem societatum negotiationem exerceant. Pius VI in Congregat. S. Officii 1782 declaravit necessitate exigente tolerari poterit ut sacerdotes titulo missionis ordinati aliquam exerceant negotiationem ad propriam sustentationem, modo contractus natura sua sit licitus et ab iis solummodo impendatur quantum honestum patrimonium constituat. Quod si vero futuris necessitatibus dumtaxat sit consulendum Ordinarius ea facultate utatur quam Clemens XIII Episcopis extra Italiam concessit et dispensationem sacerdotibus indulgeat ut sua industria possint subsidia quaerere ad vitandam egestatem iuxta tamen illas conditiones et regulas quas S. Pontifex in ea epistola praescribit [2].

434. Quoad missionarios in Collectanea S. Cong. Prop. Fidei has resolutiones invenimus. 1) Anno 1675 quaesitum fuit: se i missionarii possano portare una parte dei viatici in corallo che è più comodo del danaro senza che ciò sia contro le proibizioni di fare mercanzie. Portandoli tutti in oro ci perderebbero per essere stimato poco, e l'argento riesce d'incommodo non così il corallo che possono venderlo con guadagno. Responsum fuit: *Posse per modum permutationis et in hac specie tantum* [3]. 2) Anno 1665 quaesitum est an missionarii qui absque sacro patrimonio ordinantur ad sui sustentationem mercaturam exercere, pecunias suas mercatoribus dare, et cum ipsis societatem inire si aliunde non habeant quomodo sese sustentare, responsum est: Toleratur ad sustenta-

[1] Gonzalez cap. 6 Ne clerici.

[2] Collect. S. C. Prop. Fid. n. 342.

[3] Collect. decret. n. 335. Cf. n. 341.

tionem suam dumtaxat modo contractus natura sua sit licitus et tantum solummodo impendant quantum honestum patrimonium constituat. 3) Anno 1834 quaesitum est: Che cosa debba rispondersi al Vic. Ap. del Sutchuen sul dubbio relativo al lucro proveniente dalla vendita delle mercanzie che colà si trasportano in luogo del danaro spettante alla Missione. Responsum est: posse missionarios subsidiorum sibi debitorum securitati et missionis ipsius bono consulere accipiendo per modum permutationis merces pecuniis sibi debitis emptas easdemque ad se delatas vendere et suum facere pretium ex venditione earum retrahendum [1]. Anno 1837 quaesitum est: se debba accordarsi la facoltà chiesta dal Vicario Apostolico del Tonchino Occidentale di potere convertire in merci il danaro che da Macao si manda a quella missione affinchè più difficilmente sia esposto alle rapine dei corsari, alla perfidia dei portatori ed alle angarie del governo; responsum est: dummodo absit omnino lucri studium vel propositum, et necessitas ita agendi perduret, et dummodo lucrum in missionis utilitatem cedat, et pro hoc tantum casu tribuatur petita facultas ita tamen ut non evadat in exemplum quasi negotiari liceat missionariis ob missionis utilitatem [2].

Anno 1851 a S. Cong. S. Officii declaratum fuit: posse missionarios et subsidiorum sibi debitorum securitati et missionis ipsius bono consulere accipiendo per modum permutationis merces pecuniis sibi debitis emptas easdemque ad se delatas vendere et suum facere pretium ex venditione earumdem retrahendum [3].

435. Ad poenas quod attinet contra clericos negotiatores, in iure canonico statutum est 1) clericos quoad res in quibus negotiationem exercent privilegium exemptionis a vectigalibus amittere [4]. 2) Bona quae clericus negotiatione indebite sibi comparavit spolio

[1] Collect. S. C. Prop. Fid. n. 343.

[2] Collect. n. 344, 345. Cf. n. 346.

[3] Collect. n. 347.

[4] Thesaurus de poenis, verbo *Negotiationis*

subiiciuntur ac de illis testari nequit [1]. 3) Arbitrio Ordinarii etiam clerici negotiatores puniri possunt [2] etiam censuris [3].

436. Ad Missionarios quod attinet sciendum est quod ex constitutionibus Urbani VIII [4] anno 1633, Clementis IX [5] 1669 censurae latae sententiae latae sunt contra Ecclesiasticos ac missionarios mercaturam in Indiis Orientalibus ac America exercentes. Dubitatum est an post constitutionem *Apostolicae Sedis* Pii IX illae censurae adhuc perseverarent, sed S. Cong. Inquisitionis declaravit anno 1872 praedictas censuras adhuc perdurare, quod et Romanus Pontifex probavit. Haec tamen excommunicatio nulli est reservata, sed nemo absolvi potest praeter in periculo mortis nisi lucris prius restitutis [6].

437. Tandem causae excusantes a negotiatione exercenda sunt 1) venia superioris auctoritatis nempe R. Pontificis pro Italia et insulis adiacentibus, Ordinarii quoad alias regiones; 2) vitium non sit in modo quo negotiatio exercetur. Ceterum clerici neque per aliam personam negotiationem exercere possunt quae illis per se exercere prohibetur [7].

438. Clericis nonnulla *officia sive politica sive civilia* sunt etiam prohibita. Debent igitur clerici sese abstinere ab illis politicis officiis quae ad reipublicae regimen spectant. Qua de re anno 1840, S. Congregatio Prop. Fidei ad Vicarium Apostolicum Scopien. scribebat: « essere massima fondamentale fissata e pubblicata dalla medesima S. C. del 15 Gennaro 1622 che l'intenzione della Propaganda non è di alzare tribunali, e di esercitare giurisdizione tem-

[1] Bened. XIV. Constit. *Ap. servitutis* 1741.

[2] Conc. Trid. sess. XXII, cap. I de Reform.

[3] Clem. XIII, Const. *Cum Primum*.

[4] *Ex debito*. Collect. n. 333.

[5] *Sollicitudo*. Coll. n. 338.

[6] Clem. IX in cit. constit. *Sollicitudo* § 3. - Coll. n. 338. - Coll. 352. Cfr. Conc. Baltimor. n. 82.

[7] Bened. XIV, Constit. *Apost. servitut.* anno 1741; Clemens XIII, Encycl. *Cum primum* 1759; Urbanus VIII, Const. *Ex debito* 1633.

porale in alcun luogo nè di tenere maniere violente o insolite, ma è di attendere per vie soavi e piene di carità che sono proprie dello Spirito Santo alla conversione degli infedeli predicando ora insegnando e disputando e ora ammonendo, esortando e pregando....... che però sì per la esposta massima, sì pel sacro carattere del sacerdote, sì per le leggi ecclesiastiche, sì per la poca idoneità di quei parochi a giudicare rettamente è stata d'avviso la S. C. di vietare di mescolarsi nelle questioni civili, tranne i casi di amichevoli compromessi ai quali ambe le parti si obbligano a deferire solamente al giudizio arbitramentale del parroco o di altro sacerdote da V. S. designato »[1]. Et in instructione eiusdem S. Congregationis anni 1845 de clero indigeno S. Congregatio sub n. 7 rursus inculcat quod iam Alexander VII in Constitutione « *Sacrosancti Apostolatus Officii* » monuerat Induum parochos ut nempe abstineant ullo se modo ingerere in rebus spectantibus ad politiam saecularem[2]. Quae monita eadem S. Congregatio iam dederat in sua epistola anni 1659 ad Vicarios Apostolicos ex Societ. Missionum ad exteros[3].

Concilium pariter Baltimorense III monet ut a discutiendis publice rebus politicis aut mere saecularibus tum extra ecclesiam tum multo magis in ipsa sacerdotes sedulo abstineant[4].

439. Sacerdotes qui latam legem non servabunt olim excommunicatione, praevia trina monitione vel una pro tribus olim statuta, ipso iure incurrenda puniebantur[5]. Hodie vero poena arbitrio Romani Pontificis quoad Episcopos, arbitrio Episcopi quoad clericos remittitur[6].

440. In citata vero instructione S. Congregationis Prop. Fidei anni 1659 iubetur, nulla interposita mora ex missionibus dimitti atque expelli missionarios debere qui huiusmodi rebus se ingesserint.

[1] Collect. n. 198.

[2] Collect. n. 228.

[3] Collect. n. 300.

[4] Conc. Baltimor. n. 83.

[5] Cap. 5 Ne Clerici vel Monachi.

[6] Cf. Suarez de censuris, disput. 23, sect. 3, n. 22.

Caeterum permittitur ut clerici dignitatem Senatoris vel Consiliarii Principis accipiant, cum hae cum dignitate clericali non repugnent, et ex altera parte Ecclesiae bono conferre possint. Tamen a ferendo consilio in iudicio sanguinis clerici sese abstineant. Imo in praedicta instructione edicitur : quod si Princeps quandoque eorum consilia exquisierint nonnisi multoties rogati et prohibitionem habitam causati ea dent quae fidelia sint et iusta aeternitatemque sapientia, mox vero Curiam Aulamque relinquant [1].

441. Ulterius *officia civilia* quae nempe ad *forum laicale* et ad *saecularem administrationem* pertinent, clericis prohibita sunt. Attamen clericis in minoribus constitutis nulloque beneficio auctis officium procuratoris seu advocati aliquando in foro laicali permittitur dummodo non habeant sive ex beneficio sive aliunde commode vivant, ac exceptis sanguinis causis [2]. Clerici vero in maioribus constituti vel beneficiarii nonnisi pro seipsis, vel pro sua Ecclesia vel pro personis coniunctis aut miserabilibus officium advocati vel procuratoris exercere valent. Regularibus vero advocati ac procuratoris officium lex canonica non prohibet pro suo tantum Monasterio, dummodo sui superioris mandatum accedat, ac ordinis constitutiones non obstent [3]. Qui indebite officium procuratoris ac advocati officium exerceat Ordinarii arbitrio puniri potest, ac adversae partis petitione quae acta sunt irritari possunt [4]. Quod si sacerdos causam contra Ecclesiam in qua habet beneficium defendat, beneficio ipso privari potest, nisi tamen consanguineum defenderit [5]. De caetero quocumque in casu prohibitum non est quominus Clerici domi suae, voce vel scriptis vel pro rei veritate vel pro aliqua ex partibus litigantibus allegationes conscribat [6].

[1] Collect. S. C. Prop. Fid. n. 300.

[2] Fagnanus in cap. 1 de postulando. – Giraldi part. 2 in append. ad sect. 73.

[3] Cap. 2 de postulando.

[4] Antonelli de iuribus et oneribus Cler. L. 1, p. 2, cap. 25, n. 12. Squillant. de obligat. Cler., part. 2, n. 35.

[5] Fagnanus cap. 3 de post.

[6] Fagn. l. c.

442. Clericis ulterius *officium Tabellionis* in genere prohibitum est. Verum duplex est tabellionum classis 1) illorum qui publica auctoritate *contractus scribunt* quique *dicuntur Notarii;* 2) illorum qui *acta iudicialia scripto consignant et appellantur Cancellarii.* Haec officia clericis *permittuntur* quatenus clericus sive *ex beneficio* sive *ex patrimonio non habeat unde sustentetur,* et id sive *in sacris* sive *in minoribus constitutus sit* [1]. *Excipiuntur* tamen *causae natura sua spirituales,* et praesertim si *causa sit haeresis* in quibus *Cancellarii officium a clericis exerceri posse certum est* [2]. Qui has leges transgrediatur Ordinarii arbitrio puniri potest.

443. Clericis etiam *munus tutoris* interdicitur. *Tutela est: vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter aetatem sese defendere non potest.* Tutela alia est *testamentaria* quae *a testatore* alicui defertur in filios proprios; alia est *legitima* quae deficiente testamentaria *ex legis dispositione proximioribus agnatis defertur;* alia tandem *dativa* quae testamentaria vel legitima deficiente datur *a magistratu.* Cum tutela affinitatem habet *curatela* quae regulariter minoribus praesertim ad eorum bona administranda datur. Hisce praehabitis in genere tutoris ac curatoris munus clericis interdictum iam fuit a Concilio Africano, et ab ipso Iustiniano imperatore [3]. Attamen, *iusta interveniente causa, tutela testamentaria ac dativa nec non curatela* a clericis suscipi possunt, interveniente tamen *Sedis Apostolicae Indulto* [4]. Ad tutelam legitimam quod attinet evidens est licere clericis illam accipere quin ullam poenam incurrant veluti v. gr. legati amissionem quod a testatore cum onere tutelae relictum fuerit. Caeterum Episcopus iusta de causa iubere potest ut clericus legitimam tutelam suscipiat [5].

444. Quod si clericus antequam clericatum suscipiat, curationes ac administrationes saeculares gesserit, illis pendentibus in cle-

[1] Fagn. cap. 8 Ne clerici, n. 32.

[2] Cap. *Ut officium* de haereticis in 6.

[3] L. 15 Cod., Tit. de Episcopis et Cler.

[4] Antonelli op. cit., lib. 1, p. 2.

[5] Passerini de statu hom., tom. 2, quaest. 187, a. 2.

rum saecularem suscipi non potest, etiamsi si agatur de tutela legitima ac miserabilium personarum quoties iudicio ob dolum iam conventus fuerit. In clerum autem regularem admitti nequit ille qui rationibus reddendis sit obnoxius, imo nec ille qui aere alieno supra vires gravatus est ; idque sub poena privationis officiorum, graduum ac vocis activae ac passivae nec non inhabilitatis ad eadem officia ab ipsis superioribus incurrenda qui illum admiserint [1].

Caeterum Praelatis, clericis sive saecularibus sive regularibus *licitum est officium executoris testamentarii suscipere* nisi legibus ordinis hoc prohibeatur. Attamen Praelato rationes peractae executionis reddendae erunt [2]. Contra clericos qui indebite aut tutelas suscipiant aut bonorum administrationes, Episcopi arbitrio procedere possunt, contra eos qui tamen tutelam dativam aut testamentariam indebite susceperint, ad ordines promoveri prohibentur quousque tutoris ac curatoris officium deposuerint, eaque quae ab ipsis gesta sunt uti irrita habentur [3].

445. Clericis etiam *legum romanarum inordinatum studium prohibitum fuit.* Sane cum saeculo XI praesertim inter regulares iuris romani studium instaurari coeperit, occasio fuit ut illi divinarum rerum studia negligerent, imo extra claustra degentes causas civiles ac criminales defenderent. Quare ad hos abusus tollendos in Concilio Lateranensi II anno 1139 praeceptum est ut monachi ac canonici regulares Theologiae studio vacarent neglectis studiis legum saecularium ac causarum patrociniis. Quae dispositio ita interpretata est ut tamen monachis liceret operam dare studiis legum romanarum ad illustrandas ac firmandas canonicas dispositiones. Hoc primum facto confirmavit Gratianus qui in suo decreto etiam fragmenta legum romanarum posuit. Lucius autem III [4] aperte ait « sicut humanae leges non dedignantur sacros canones imitari, ita

[1] Clemens VIII, Const. *in Suprema* 2 Apr. 1602.

[2] Reiffenstuel l. 1 de testamentis. - Fagnanus in Cap. *Tua nobis* de testam.

[3] Thesaurus de poen., verbo *tutela*, cap. 1.

[4] Cap. 1, Tit. 32, lib. 5.

et sacrorum statuta canonum piorum principum constitutionibus adiuvantur. – Hae dispositiones quae pro clericis regularibus latae sunt in Concilio Lateranensi III an. 1179 sub Alexandro III ita extensae sunt clericis saecularibus cum his prohibitum est ne causarum defensiones in foro laicali susciperent nisi de causa propria, vel Ecclesiae, vel miserabilium personarum ageretur. Hilarius autem III expresse ad clericos saeculares canones concilii Lateranensis II. extendit [1]. Verum haec prohibitio ita intelligenda est ut clericis saecularibus ita interdicatur studium legum romanarum quatenus non ducat ad assequendam iuris canonici notitiam ac ad Ecclesiae utilitatem non inserviat. Sane hodie in Pontificiis Universitatibus utrumque ius romanum ac canonicum docetur, et de caetero legum romanarum cognitio necessaria est iis qui perfecte ius canonicum intelligere cupiant.

446. Clericis prohibitum est *artem medicam* seu *chirurgicam* exercere [2], attamen iusta intercedente causa apostolicum indultum concedi solet. Similiter clerici qui *militiae armatae dent nomen depositionis poena puniri possunt* [3]. Caeterum clericis prohibitum non est hostium iniuriam vi repellere moderamine servato inculpatae tutelae [4]. *Armorum delatio similiter clericis prohibita est,* et *portantes excommunicari* etiam possunt [5]. Attamen quod *ad venationem* pertinet, *triplex in re adest sententia.* Sunt enim *a*) qui dicunt ipsam *omnino clericis vetitam esse* et hoc deducunt ex canonibus 8 et 19, dist. 80, relatis in decretalibus Gregorii IX in Tit. 24, lib. 5, et cap. 12, sess. 24 de Ref. Conc. Trid. *b*) Alii distinguunt inter *venationem tacitam* et *clamorosam,* et hanc prohibitam clericis volunt. *c*) Verum tertia sententia probabilius tenet *iure attento* constituto *nullam* venationem clericis *prohibitam* esse dummodo vi-

[1] Cap. 10, tit. 32, lib. 5.

[2] Cap. 10, tit. 1, lib. 3.

[3] Cap. 9 et ult. tit. 34, lib. 3; cap. 25, tit. 39, lib. 5.

[4] Cap. 2-8, tit. 12, lib. 5; can. 4, caus. 20, q. 3; cap. 2, tit. 49, lib. 3.

[5] Cap. 2, tit. 1, lib. 3.

tium non sit in modo. Sane citati canones loquuntur de venatione quae fiebat intra certos theatri fines cum belluis in Idolorum superstitione; huiusmodi exercitia superstitiosa in illis canonibus prohibentur, non vero venatio proprie dicta. Haec sententia iure merito defenditur a clarissimo Berardi in opere. *Ius ecclesiasticum universum* vol. 2. p. 2.

447. Postremo notamus, clericis nonnullas *artes viles* exercere prohibitum esse veluti artem *histrionum, jaculatorum aut buffonum* [1], alioquin si praedictam artem per integrum annum post iuutiles Episcopi monitiones exercuerint, *omnia privilegia clericalia amittent.*

448. Tandem nequeunt clerici *in laicorum domibus* licet sub *quovis honestiori titulo servitia abiecta praestare* et contra agentes ab Episcopo ad clericalia munera revocari debent [2].

SECTIO II.

De gradibus potestatis iurisdictionis in personis moralibus seu collegiis exercendae.

449. Ut alibi innuimus sicuti a temporibus apostolorum iurisdictionis potestas tum a personis individuis tum a personis moralibus exercebatur, ita Ecclesia hanc disciplinam servavit. Quare videndum quaenam sint haec Collegia quibus iurisdictionem exercere spectat. Collegia in tres classes dividi possunt, alia enim sunt Collegia ordinis pastoralis, quorum est iurisdictionem pastoralem exercere, inter quae enumerantur Concilium Oecumenicum iurisdictionem iure divino exercens, Concilia nationalia ac provincialia, necnon Synodus dioecesana. Alia sunt collegia ordinis Senatorii, quorum est Superiori dare consilium: talia sunt Collegium S. R. E. Cardinalium, nec non Capitula ecclesiarum Metropolitanarum ac Cathedralium. Alia tandem

[1] Cap. 12, tit. 1, lib. 3; cap. un. eiusd. tit. in 6.

[2] Ep. Enc. *Cum primum* Clem. XIII, 17 Sept. 1759.

sunt Collegia ordinis administrativi inter quae eminent SS. RR. Congregationes, Tribunalia ac Officia ecclesiastica. De singulis proinde nobis agendum est.

TITULUS I.

De Collegiis ordinis pastoralis.

Inter Collegia ordinis pastoralis quorum nempe est iurisdictionem pastoralem ac vere animarum gubernatoriam potestatem exercere, iure divino adnumeratur Oecumenicum Concilium, dein iure ecclesiastico Concilia Nationalia, Provincialia ac Synodus dioecesana.

CAPUT I.

DE CONCILIIS GENERALIBUS SEU OECUMENICIS.

450. Concilium generale illud est ad quod Romani Pontificis auctoritate omnes ordinarii Ecclesiae Episcopi vocantur ad Ecclesiae negotia cum deliberandi facultate transigenda [1].

Hinc facile deducitur: 1) Quodnam sit Conciliorum generalium obiectum; 2) Quae sint personae quibus ea coalescunt; 3) Quae earumdem in iis sint partes; 4) Quae ad eorum legitimitatem et firmitatem requirantur; 5) Quis ordo in iis servetur.

Obiectum Conciliorum generalium ecclesiastica sunt negotia, quae scilicet universae Ecclesiae interesse possunt; unde sequitur: *a*) iustam ea convocandi causam Ecclesiae necessitatem esse, sive ea pertineat ad eiusdem incolumitatem servandam, sive ad bonum augendum, adeoque *b*) perperam a nonnullis existimatum esse extra causam haereseos convocari Concilium generale non posse; absurdum quippe est in ceteris necessitatibus, quae absque concilio, neque satis plene, neque satis commode depelli valeant, Ecclesiam opportuno remedio privari.

[1] Cf. Devoti *Inst. Canon., Proleg.* § 38 et seqq.

451. Porro personae, quibus Concilia generalia coalescunt, duplicem in classem sunt distinguendae; in earum quae proprio ac nativo iure, et in earum quae ex privilegio eisdem intersunt.

1) Proprio ac nativo iure ad ea conveniunt Episcopi; quandoquidem soli ii sunt, qui ex divina ipsa Ecclesiae constitutione per legitimam Apostolicae Sedis missionem positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei.

2) Ex Apostolicae Sedis privilegio intersunt iisdem [1]: *a*) Cardinales non Episcopi; *b*) Generales Ordinum regularium; *c*) Abbates consecrati et habentes iurisdictionem.

Partes autem, quae eisdem in Concilio competunt, hae duae sunt, Legislatorum et Iudicum, quas quidem unusquisque exercet, non in eam tantum fidelium partem, quae sibi commissa est, sed in Ecclesiam universam, sive iure ab universae Ecclesiae Primate communicato, sive, quoad Episcopos, iure proprio, supposita divina clericorum institutione, quae porro tenenda est [2]. De quibus officiis haec sunt notanda:

1) Eorumdem veritatem et naturam in eo sitam esse, quod singuli auctoritate propria (sive communicata ea sit a Romano Pontifice, sive divinitus delata) leges ferunt, ac sententias dicunt, quae universos fideles obligant.

2) Eorumdem exercitium duplici conditione obligari, sive ex ipsa rei natura, sive ex divina Ecclesiae constitutione; idest ut in iudiciis fidei, quae natura sua varia esse non potest, secundum rem iudicatam, si qua forte praecesserit sive alterius Concilii, sive solius Romani Pontificis, iudicandum sit, non autem contra illam; ut cum Romano Pontifice, sine quo Ecclesiae Corpus truncum et acephalum est, Concilii Patres, in sententiis ac legibus ferendis coniuncti esse debeant ita, ut illae eiusdem confirmatione indigeant, ut firmae sint ac legitimam habeant executionem.

[1] Confer. Schmalzgrueber in *Dissert. prooem.* n. 326, seqq.; Devoti in *prolegom.* § 40.

[2] Schmalzgrueber loc. cit., n. 311, seqq.

3) Quod ex dictis consequitur, perperam a Febronianis asseri per conditiones praedictas utramque potestatem, Legislatoris scilicet et Iudicis, ab Episcopis abrogari, concilia autem inutilia effici; quandoquidem sub utraque conditione semper verum est, Episcopos auctoritate propria leges ac sententias ferre ac fideles obligare, adeoque veros iudices et legislatores esse; sua vero cum Romano Pontifice concordia et consensu efficere, ut melius comprimatur pravorum contumacia, debiliumque infirmitati consulatur; unde manifeste conciliorum utilitas ac necessitas apparet. Imo quoad primam conditionem rei iudicatae in iudiciis fidei servandae, Febronianorum assertio non modo ecclesiastico, verum etiam civili iure erronea est; quandoquidem eadem conditio in civilibus quoque iudiciis servari debet [1]. Quoad alteram quae Romani Pontificis confirmationem exigit, assertio Febronianorum cum ipso pugnat febroniano systemate, quo nimirum, licet per iniuriam, statuitur, executionem habere non posse 1) leges Romani Rontificis absque placito Episcoporum; 2) leges generatim ecclesiasticorum Praesulum absque placito regio; 3) leges omnes sive ecclesiasticas sive civiles absque populi acceptatione; neque tamen in eodem systemate existimatur abrogatam esse a Romano Pontifice, ab ecclesiasticis Praesidibus, ab omnibus denique Principibus legislatoris auctoritatem.

4) Minus etiam proprie a nonnullis Theologis Conciliorum de causis fidei iudicia in duplicem classem distingui, in iudicia auctoritatis, quae scilicet ex intimo causae merito, seu ex intima cognitione deducuntur, et in iudicia adhaesionis, quae ex auctoritate extrinseca, idest ex antecedente re iudicata feruntur [2]; cum utraque dicenda sint iudicia auctoritatis, quae nimirum auctoritate iudicantium et feruntur et fideles obligant; illa autem distinctio confundat naturam ac vim iudicii cum fundamentis quibus ipsum innititur.

452. Iamvero requisita Conciliorum, ut legitima ac firma sint, quinque praecipue recensentur, nimirum:

[1] L. 1 *Ex quibus causis maiores 25 annis etc.*

[2] Conf. Zaccaria *Antifebron. vindicat.* cap. 6, n. 6, seqq.

1) Ut legitima indicantur auctoritate, idest a Romano Pontifice: siquidem Concilii Generalis convocatio est actus sua natura ecclesiasticus, idemque potestatis supremae cum de obligandis totius Ecclesiae Episcopis agatur. Potestatem autem supremam unus habet in Ecclesia Romanus Pontifex. Unde sequitur

a) Perperam Protestantes ac Febronianos laicis Principibus eiusmodi auctoritatem asseruisse; argumentum autem, quod ex facto priorum octo Conciliorum deducunt, vanissimum esse. Peccat enim quoad factum, cum certum sit, saltem eorumdem convocationem Romanorum Pontificum assensu legitimam fuisse, uti constat de quatuor prioribus ex solemni Legatorum Romani Pontificis testimonio adversus Dioscorum edito in actione prima ipsius IV Concilii (nempe Chalcedonensis), quod nimirum haereticus ille Concilium (seu potius conciliabulum ephesinum) absque Romanae Sedis auctoritate convocasset, his verbis ab iisdem legatis nemine refragante prolatis: « Quod nunquam factum fuit, nunquam licuit ». Item de iisdem quatuor Conciliis, deque duobus insequentibus, ex prosphonetico ad Imperatorem Sexti ipsius Concilii idest Constantinopolitani III. Item de sex iisdem prioribus, et de septimo, implicite quidem sed gravissime, ex actione sexta ipsius Septimi Concilii, idest Nicaeni II, ubi reiicitur Iconomachorum Conciliabulum hac de causa, « quia non habuit « cooperantem illius temporis Papam vel « Sacerdotes eius, neque per Legatos, neque per encyclicam epistolam « ut postulat lex Conciliorum ». Explicite autem de septimo ex Epistola Hadriani II ad Basilium Imperatorem. Sed peccat argumentum febronianum etiam respectu iuris. Cum enim ex rei natura et divina Ecclesiae constitutione evidens sit, non posse Concilia ecclesiastica a laicis Principibus convocari, quid quid secus actum reperiatur, id iusti argumenti loco esse non potest; sed alterutrum dicendum est aut iniuria factam esse, aut convocationem illam non fuisse formalem, sed materialem atque executoriam, vel ad summum integralem. Haec autem triplici de causa permittebatur, 1) ut quaevis offensionis occasio evitaretur, quia conventus publicos leges civiles ve-

tabant[1]; 2) ut adversus contumaces praesidium ab iis haberetur; 3) ut itineris expensae et concilii tempore alimenta subministrarentur quibus Episcoporum paupertas sufficere non poterat[2].

b) Perperam etiam Febronianos censuisse, si Romanus Pontifex Concilium convocare nollet, eodem invito posse illud celebrari: argumentum autem deductum a Papa dubio nullum est, quandoquidem Papa dubius est Papa nullus; deductum ab hypothesi Papae haeretici et nullum est, quia sicut homo mortuus non est homo, ita Papa haereticus non est Papa[3], et est iniuriosum, quia plenissima et nunquam interrupta series omnium Pontificum quotquot usque extiterunt, eam hypothesim iniuriosam facit; denique deductum ex similibus aliis hypothesibus Papae manifesto scandalosi, manifesto simoniaci hoc est simonias exercentis, patrimonii ecclesiastici manifesto dissipatoris, laborat falso supposito quia falso supponitur (quidquid alii dixerint) in iis casibus verum haberi posse Concilium adversus Pontificem, nam illis etiam in casibus dicendum esset « prima sedes a nemine iudicatur » adeoque etiamsi comitia aliqua haberi e re esse censeretur, ea tamen non essent Concilium, quod scilicet iudicandi legesque ferendi vim haberet, sed coetus essent inferiorum, qui tantum obsecrare, admonere, obedientiam in rebus manifeste iniustis denegare, atque ut alii quoque denegent, curare possent[4].

2) Alterum requisitum est ut omnes Episcopi generali convocatione, quae omnibus saltem maioribus christianis provinciis innotescat, vocari debeant, licet non omnes adesse necesse sit[5]. Unde sequitur:

a) Generali convocatione facta, licet maxima Episcoporum pars non accedat, Oecumenici qualitatem Concilio non detrahi, quod

[1] L. 3, § *In summa, ff. de Collegiis*; L. 2 *ff. de extraord. Criminibus.*

[2] Conf. Charlas *De libertatibus Ecclesiae Gallicanae* lib. 5, cap. 3 et seqq.; Zaccaria *Antifebr.* 2, l. 4, cap. 5; cl. D. Palmieri S. I. *Tract. de Rom. Pont.*, Thes. XXVIII.

[3] Cfr. Augustinus Triumphus in *Summ. de Eccl. potest.* q. 5, art. 1.

[4] Cf. Zaccaria *Antif.* p. 2, l. 4, cap. 1.

[5] Bellarm. *de Conciliis* l. 1, cap. 17; Palmieri loc. cit., *Scholion* I.

patet ex facto Concilii Ephesini, ubi Episcopi 210 convenerunt, cum una Africa eo tempore tercentos fortasse haberet.

b) Ipsos tamen Episcopos teneri ad Concilium accedere, nisi legitime impediantur, quod patet ex auctoritate vocantis et ex episcopali officio.

c) Ex accedentibus neminem excludi posse, nisi excommunicatus sit, aut rei partes agere debeat.

3) Ut Romanus Pontifex sive per se, sive per Legatos praesideat, quod quidem quadruplici praesertim in iure situm est: 1) ut sedem primam habeat; 2) ut methodum rerum agendarum praescribat; 3) ut ordinem vel pacem turbantes coerceat; 4) ut primus subscribat. Ex quibus sequitur:

a) Concilium Constantinopolitanum I, cui Romanus Pontifex neque per se, neque per Logatos praefuit, Oecumenicum non fuisse, nisi cum eiusmodi defectus Romani ipsius Pontificis confirmatione sanatus est.

b) Sedem, quaecumque illa fuerit, quae Imperatoribus aliquando in Conciliis permissa est, non iam Praesidis, sed honoris causa iisdem fuisse delatam, atque inde est, quod nonnisi post omnes Episcopos iidem subscribere consueverunt, quemadmodum ipse testatus est Basilius Imp. in Concilio VIII, seu Constantinop. IV. Act. 15 sub finem.

4) Ut libertas sententias dicentium non laedatur, vi scilicet iniuste illata.

5) Ut peractum Concilium a Romano Pontifice confirmetur, etiamsi eius Legati eidem adfuerint, ita ut absque ea confirmatione neque infallibilitatem, neque vim ullam Concilium habeat. Id porro patet ex vi Primatus, atque hinc ex celebri Ecclesiae Canone, de quo Graeci etiam omnes testantur. Denique ex praxi perpetuoque ipsius Ecclesiae iudicio, quae Concilia a Romana Sede non confirmata semper repudiavit; cuiusmodi fuere Mediolanense an. 363, ubi plusquam sexcenti convenerunt, aliaque non pauca [1]. Unde sequitur:

[1] Cfr. Schmalzgrueber in *Prooemio*, n. 342 et seqq.

a) Perperam Febronianos Romani Pontificis confirmationem in ea re tantum constituere, ut sit publica quaedam declaratio legitimas solemnitates fuisse adhibitas.

b) Perperam item ad imperitorum mentes turbandas varios sensus ab iis distingui verbi *confirmare*. Sive enim assentiendo, sive ratum habendo, sive auctoritatem impertiendo (qui tres sensus sunt quos distinguunt) Romanus Pontifex Concilium confirmet, dummodo detur magnam ab eiusmodi confirmatione obligandi vim illud accipere et absque ea irritum esse, id satis est.

c) Perperam quoque et Febronianos et Gallicanos asseruisse Concilium Generale Romano Pontifici auctoritate praeeminere.

d) Perperam denique, et non sine turbatione totius status Ecclesiae a sententia Romani Pontificis appellatum aliquando fuisse ad futurum Concilium, quam proinde temeritatem merito damnarunt sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae Pius II et Iulius II [1], qui etiam addit, eiusmodi criminis reos pro veris et indubitatis schismaticis et de catholica fide male sentientibus habendos esse [2].

453. Restat ut de ordine dicamus, qui in Oecumenicis Conciliis teneri debet, quique ad duplex caput referri potest.

I. Ad materias in Concilio tractandas ; de quibus haec duo animadvertenda sunt :

a) Ordinem in iis tractandis eum tenendum esse, qui a Romano Pontifice sit definitus ; qui si a Concilio absit, nihilque praescripserit, cura ordinis definiendi ad eius Legatos devolvitur, qui tamen in rebus praesertim gravioribus, ut suavius agant, Patres in Concilio coactos recte consulunt.

b) Sapienti consilio exemploque imitando in Tridentina Synodo ac Vaticana institutum est, ut congregationibus generalibus particulares quidam coetus praemitterentur, quibus materia generali conventui sufficienda apte praepararetur, tranquilleque prius exami-

[1] Pius II, Const. *Execrabilis* 18 Ian. 1459, et Iulius II, Const. *Suscepti regiminis* 1 Iul. 1509.

[2] Conf. Zaccaria *Antifebr.* p. 2, l. 4, cap. 1.

naretur; idque ad praecavendum tum confusionem, tum privatas conspirationes, tum denique deliberationes inopinas, quae turbulenti cuiuspiam ingenii eloquentia extorqueri fortasse possent.

II. Ad personas, idest ad ordinem, quo illas sedere ac deinceps subscribere oportet, qui porro eiusmodi esse debet, ut 1) sedeant Legati Romani Pontificis; 2) Cardinales [1]; 3) Patriarchae; 4) Archiepiscopi; 5) Episcopi habita ratione temporis promotionis ad Ecclesias [2].

CAPUT II.

DE CONCILIIS NATIONALIBUS AC PROVINCIALIBUS.

454. Cum hodie sileat omnino in Ecclesia vera iurisdictio Primatum qui nonnisi honoris causa existunt, ita concilia vere Nationalia quibus Primas praeerat amplius non celebrantur. Si aliquando Episcopi unius nationis in Concilium celebrandum convenient, eorum concilium nonnisi improprie Nationale nuncupatur, eique non praeest Primas aut archiepiscopus iurisdictione propria sed tanquam Romani Pontificis delegatus. Ita Concilium tertium Baltimorense Nationale Concilium nuncupatur, sed illi praeerat Archiepiscopus Baltimorensis tanquam Apostolicae Sedis delegatus. De Conciliis Nationalibus proinde in sensu iuris non est ut agamus.

455. Ad Concilium Provinciale quod attinet: Concilium provinciale est coetus publicus Episcoporum ad eamdem provinciam pertinentium, qui regulariter ab eorum Metropolita cogitur, vocatis vocandis de iure vel consuetudine, quique ab eorum Praeside celebratur ad deliberandum de ecclesiasticis Provinciae negotiis. Quatuor autem partibus hunc de Concilio provinciali tractatum complectemur, quarum 1) de personis, quibus illud coalescit; 2) de eiusdem adiunctis ac legibus; 3) de potestate; 4) de approbatione et publicatione agetur.

[1] Eugenius IV, Const. *Non mediocri* an. 1438.

[2] Pius IV, Const. *Sicut ea* 1 Ianuarii 1500.

456. De personis duo sunt inquirenda: quaenam sint et quibus obligationibus teneantur. Porro ut a primo exordiamur, personarum, quibus Concilium provinciale coalescit, quadruplex est gradus, in quorum primo est ipse Metropolita quive eius locum tenet, in secundo qui suffragium habent decisivum ; in tertio qui consultivum; in quarto qui ad ea tantum exponenda, quae sua intersunt, ad Concilium admittuntur aut vocantur.

De Metropolita quaerendum est: quid ipse in Concilio provinciali valeat; quo in casu sufíici eidem alius et quis debeat. Quoad primum, hoc dici generatim potest, Metropolitam in Concilio provinciali esse eiusdem Caput ac Praesidem, auctoritate tamen haud maiore quam praecipui iudicis, ita ut Concilio quadamtenus etiam subsit [1]. Inde haec sequuntur:

457. Ex eo quod ipse Concilii Praeses et Caput sit, ad eum pertinere: *a*) Concilium convocare [2]. *b*) Eidem praeesse, ita tamen, ut eo iure, praeter praeeminentiam in sedendo atque in subscribendo, id tantum contineatur, ut curet unumquemque suo loco sententiam dicere, neque Concilium turbare; non autem ut possit sine offensa Concilii aut illud dissolvere, aut cuiquam Episcopo, etiamsi inurbane contra ipsum se gesserit, censuram infligere, vel silentium indicere, aut iubere aliquem exire vel intrare, aut libellum aliquem legi vel reiici [3]. *c*) Totius Concilii sententias suo nomine inscribere easque de consilio et consensu Suffraganeorum pronuntiare, adeo ut si Archiepiscopus pronuntiare sententiam aliquam nolit, eadem ferri a ceteris non possit, sed Summus Pontifex sit in eo casu adeundus.

458. Ex eo quod sit merus iudex, licet praecipuus, una cum ceteris, sequitur: *a*) In sententiis sive decretis ferendis maiori suffragiorum numero cedere eum oportere; *b*) Episcopos, non obstante Metropolitani praesentia, uti in Concilio posse veste linea, quae audit *Rocchetto,* una cum *Mozzetta.*

[1] Petra *ad Const. unicam Honorii II,* sect. 1, n. 41 collatis n. 75, 92, 86.

[2] Cap. 25 de accusat. Trident. Sess. XXIV, Cap. II *de Reform.*

[3] Petra loc. cit. n. 72; Fagnanus in Cap. 25 de accusat. n. 98 seqq. ibique S. Cong. Concilii.

459. Ex eo quod Concilio quadamtenus subsit, sequitur: *a*) Concilium de querelis adversus Metropolitanum propositis recte cognoscere, easque definire [1], eiusque negligentiam praesertim circa Seminarii erectionem corripere [2], licet de ipsa eius persona ac statu iudicare nequeat. *b*) Concilii ipsius decreta servari a Metropolitano debere, nec variari ab eo posse, argument. *Clementinae* 1 de sentent. excomm., verbo *Quod etiam*.

460. Quod autem pertinet ad alterum, quando scilicet et quis suffici Metropolitano debeat in Concilii provincialis convocatione ac regimine, ita statutum est: Metropolitano legitime impedito, eius vices geri ab Episcopo antiquiore ex Suffraganeis [3], ac proinde nec a Metropolitae Vicario Generali, neque a Capitulo Metropolitanae Ecclesiae, aut sede vacante ab eius Vicario Capitulari.

461. Post Metropolitanum sequuntur ii, qui votum habent decisivum in Concilio. Hi vero sunt iure proprio, qui Ordinarii appellantur, seu Episcopi Suffraganei; Praelati qui iurisdictionem quasi episcopalem habent; Episcopi, vel iurisdictionem quasi episcopalem habentes, qui exempti sunt, quique scilicet ex decreto Tridentini Sess. XXIV, Cap. II, *de Reform.* tenentur eligere vicinum aliquem Metropolitanum, possunt autem eligere eum etiam, qui non habet Suffraganeos [4], in cuius Synodo provinciali interesse debeant; Vicarii et Praefecti apostolici qui in Provincia sunt. Vicarii Capitulares, sede Cathedrali vacante. Iure communicato sunt Episcopi titulares, si ad Concilium invitati sint; Procuratores Suffraganeorum absentium, si Concilio placuerit, secus enim suffragio tantum fruentur consultivo [5]. Tandem qui a consuetudine ius habeat [6], vel cui

[1] Fagnanus in Cap. 25 de accusat., n. 41.

[2] Conc. Trid. Sess. XIII, Cap. XVIII *de Reform.*

[3] Conc. Trident. Sess. XXIV, Cap. II *de Reform.* Fagnanus in cap. 25 de accusat. n. 16. Petra l. c., n. 35.

[4] Petra l. c., n. 32, ibique Cong. Concilii.

[5] Fagnanus in cap. 10 de his quae fiunt a Praelatis, n. 54; Petra l. c., n. 39.

[6] Conc. Trid. Sess. XXIV, Cap. II *de Reform.*; Fagnanus l. c., n. 34. Petra loc. cit., n. 45.

a privilegio Apostolico, vel a Metropolitano, toto consentiente Concilio ius confertur.

462. Sequuntur denique duo posteriores gradus, in quibus continentur: 1) Qui consultivum tantum votum habent, iique sunt Episcoporum coadiutores, ne in sententiarum discrepantia duplici suffragio una pars adversus alteram tueatur [1]; Capitula Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum quasi episcopalem iurisdictionem habentium, Capitula enim omnia Provinciae ius habent ut invitentur, licet ei adesse non teneantur ; deputati eorumdem Capitulorum [2]; Abbates, etsi tantum Commendatarii; et quicumque a consuetudine ius habent, vel a privilegio Sedis Apostolicae, vel a Metropolitano, toto assentiente Concilio. 2) Qui nullo pollent suffragio, sunt, qui se laesos existimant et ad iustitiam petendam accedunt. Petra [3], qui addit praeter hanc causam laicos, neque ad decidendum, neque ad consulendum, admitti debere, allatis ea de re S. Congregationis Concilii resolutionibus.

463. Iamvero de obligationibus quibus praedictae personae tenentur, videndum est: quae sint; an omnibus aeque incumbant; quae causae ab iis excusent. Duo priora expedire breve est, quandoquidem obligationes duae sunt, accedendi ad Concilium, et ab eo ante eiusdem dissolutionem non recedendi [4], sub poena privationis communionis aliorum Episcoporum usque ad futurum Concilium, vel etiam (trina tamen monitione praemissa) proprie dictae excommunicationis, quae censura, si lata fuerit per canonem, tolli poterit etiam ab Archiepiscopo, si per sententiam, nonnisi ab ipso Concilio [5]. Praedictae vero obligationes iis tantum incumbunt, ad quos iure proprio pertinet suffragium decisivum ferre vel quibus necessitas ad Concilium accedendi ex consuetudine nata est. Excipiuntur autem : Episcopus non consecratus, licet possessionem episco-

[1] Sacr. Cong. Fid. Prop. mai. 1852.

[2] Fagnanus l. c., n. 9, 53.

[3] Petra l. c., n. 45.

[4] Can. *Si quis autem* distinct. 18; Conc. Trident. Sess. XXIV, Cap. II *de Reform.*

[5] Petra l. c., n. 112.

patus adeptus fuerit, qui vocandus quidem est, et ad Concilium accedens, suffragio pollet decisivo, sed accedere non cogitur; successor Episcopi post vocationem ad Concilium demortui, nisi et ipse denuo vocetur.

464. Superest ut de legitimis causis dicatur, quae a praedictis obligationibus excusant, nimirum quae sint, quomodo sint allegandae, quam habeant conditionem adnexam, et quamdiu earum beneficium duret. Itaque causa, ut legitima sit, ex gravi necessitate oriri debet, ita ut, iuxta Glossam in can. *Placuit*, distinct. 18, verbo *Aegritudine*, levis febricula, vel vetus quartana non sufficiat. Allegatio facienda est per literas ad Metropolitanum, additis legitimis probationibus. Eam habet conditionem adnexam, ut procurator cum speciali mandato mittendus sit ad ea, quae acta vel decreta sunt in Concilio, recipienda [1]. Tamdiu denique excusat quamdiu durat; adeoque, impedimento cessante, is qui abest compelli potest ad accedendum, additis etiam poenis.

465. Nunc verum ad ipsum Concilium gradum facientes, leges quae eius celebratione servandae sunt, tres in classes distribuemus: in eas, quae Concilii celebrationem praecedunt ac disponunt; in eas quae idem actu ordinant; et in eas quae finem eidem imponunt. Priores leges hac generali continentur, ut praemittatur Concilii indictio legitimo tempore ac legitimo modo facta. Tempus ex decreto Concilii Tridentini [2] recurrit quolibet saltem triennio. Unde sequitur etiam frequentius celebrari posse, ita tamen, ut sub alterutra conditione id intelligatur, concursus videlicet seu consensus Suffraganeorum, vel iustae causae, quae etiam S. Congregationi Concilii aperienda est. Modus his praecipue legibus continetur. Ut omnes qui iure vel consuetudine vocari debent vel per edictum generale, vel potius per literas singulis missas, vocentur, indicato die et loco futuri Concilii [3]. Ut congruus dies, iuxta Tridentinum [4] post octa-

[1] PETRA loc. cit., n. 110.

[2] Sess. XXIV, Cap. II *de Reform.*

[3] PETRA loc. cit., n. 25 seqq.

[4] Sess. XXIV, Cap. II *de Reform.*

vam Paschatis, vel alio commodiori tempore pro more provinciae, statuatur; itemque congruus locus, qui regulariter Ecclesia Metropolitana, vel alius intra provinciam atque convocandorum commoditati aptus sit. Ut populus quoque per singulas parochias praemoneatur ad preces pro felici exitu fundendas. — Concilio autem iam coacto, leges, quae actualem eiusdem celebrationem moderantur, hae praecipuae sunt. Quoad vitae rationem, ut ii qui Concilio intersunt, piis operibus exercere se debeant, conviviis aliisque actionibus laicalibus submotis. Quoad ordinem in sedendo, adeoque in sententia dicenda, atque in subscribendo, ut Metropolita, quive eius vice fungitur, mitram gerens omnium pretiosiorem praecedat; deinde ceteri, ut infra, sequantur nimirum: 1) Si qui prius Archiepiscopi, deinceps ad episcopalem Cathedram fuerint translati; 2) Ceteri Episcopi comprovinciales iuxta tempus ordinationis [1], ita tamen, ut qui forte exemptus sit, ei, qui suppar est tempore, praecedat; 3) Si quis sit Episcopus titularis ad Concilium admissus; 4) Capitula ecclesiarum Cathedralium, si capitulariter interveniant; 5) Abbates; 6) Commendatarii; 7) Dignitates; 8) Procuratores Episcoporum; 9) Canonici Cathedralis, qui uti singuli interveniant; 10) Collegiatarum Archipresbyteri seu Plebani; 11) Si qui intersunt Parochi [2]. Quoad actus praemittendos: Professio fidei quoad eos, qui a promotione ad episcopatum, ad Concilium provinciale primum accedunt, quae professio debet esse illa a Pio IV et Pio IX praescripta. Graeci utuntur formula professionis fidei praescripta a Gregorio XIII, alii Orientales formula praescripta ab Urbano VIII, omnes tamen cum additionibus a Pio IX praescriptis. Decretum de praeiudicio non afferendo ob eum sedendi ordinem, qui in Concilio tunc adhibetur, tum alterum de non recedendo a Synodo ante eius dissolutionem absque causa cognita et comprobata ac Metropolitani licentia. Deputatio tum ministrorum Concilii, cuiusmodi sunt Secretarii, Promotor ac Notarii, tum Congregationum particularium,

[1] Coadiutores cum futura successione in Synodo sedere debent iuxta tempus eorum promotionis. S. Congr. Rit. apud Gardellini t. 1, pag. 24, edit. 3.

[2] Petra loc. cit., n. 60 seqq.

quae ea disponant, quae absque praevio examine proponi Concilii Patribus utiliter non possent, cuiusmodi est ex. gr. Congregatio quae sit deputata ad cognoscendas causas absentium, tum ea quae ad cognoscendas querelas adversus Episcopos, tum ea quae ad examinandas alias controversias instituta est. Admissio ac interrogatio singillatim ac secreto facienda testium synodalium, idest eorum, qui in praecedente Concilio per singulas Dioeceses electi sunt ad ea investiganda, quae sint correctione digna [1]. Quoad ordinem rerum agendarum, ut unusquisque loco suo possit id proponere, quod e re esse existimat; ut pro maiore suffragiorum numero res definiatur. — Denique leges ad Concilium rite finiendum sunt: ut dimissio Concilii ex Patrum suffragatione decernatur, et ante dimissionem fiant acclamationes sanctae cum gratiarum actionibus [2]; ut omnes inter se dent osculum pacis ordine debito [3].

466. Iamvero de potestate Concilii provincialis duo quaerenda sunt: quae sint eiusdem obiecta, seu ad quas causas extendatur; quomodo cesset aut suspendatur.

Ad primum quod attinet, dici generatim potest, Concilium provinciale causas maiores non posse attingere; quoad cetera *in re legifera* a nimia statutorum multitudine abstinere debere [4], neque adversus ius commune, aut Romanorum Pontificum decreta quidquam constituere posse; in *re* autem *iudiciali*, neque ea sibi posse subiicere, quae ad forum Archiepiscopale superius iam sint delata, neque ea ad se avocare, quae coram Archiepiscopo aut locorum Ordinariis sunt iam introducta, nisi quatenus id a iure permittitur [5]. Unde sequitur, de causis fidei iudicare non posse, nisi forte agatur: 1) de manifesta haeresi, ita ut iudicium sit potius de persona,

[1] Cap. 25 de accusation., ibique FAGNANUS n. 2. Lectio decretorum Pauli III et Pii IV de residentia; Conc. Trident. Sess. XXV, Cap. II *de Reform.*, utque addit PETRA loc. cit., n. 79, aliorum canonum ac principalium Bullarum.

[2] PETRA loc. cit., n. 116.

[3] PETRA loc. cit.

[4] PETRA *ad Constit. unic. Honor. II*, sect. 1, n. 98.

[5] FAGNANUS in cap. 25 de accusation., n. 54 seqq.

quam de doctrina ; 2) de re facili de qua inter DD. nullum sit dubium ; 3) de casu de quo mandatum Sedis Apostolicae habeatur. Ita fere Bellarminus *de Conciliis* [1] ubi ad haec tria capita exempta redigit Concilia Provincialia, quae de causis fidei iudicasse dicuntur [2]. De causis gravibus criminalibus adversus aliquem Episcopum item agere non posse, ita, ut ne inquisitionem quidem instituere queat eo etiam fine ut processum transmittat ad Apostolicam Sedem, nisi mandatum ab eadem ea de re datum fuerit [3]. Eademque generatim dicenda sunt de iis, quae Pontifici Maximo utcumque reservantur, de quibus conferri potest Fagnanus [4]. Indulgentias quoque iis maiores, quae Episcopis permittuntur, non posse concedere [5]. Item negotia indefinita non posse extra Synodum alicui committi, nisi forte agatur de casu in iure expresso [6]. Ceterum auctoritate sua ea generatim complecti, quae pertinent vel ad moderandos mores, vel ad corrigendos abusus, vel ad controversias componendas [7]. In specie autem animadvertendum est, in Concilio provinciali deputandas esse quatuor per singulas Dioeceses personas, quibus ab Apostolica Sede causae committi tuto possint, earumque designationem ad Romanum Pontificem esse transmittendam prout superius diximus [8].

467. Quod vero pertinet ad alterum, sat est animadvertisse, Concilii Provincialis potestatem cessare: 1) Si Archiepiscopus tamquam suspectus merito allegatus fuerit ; eo enim in suspicionem vocato, totum Concilium suspectum dicitur ; 2) per appellationem

[1] Lib. 2, cap. 10.

[2] Conf. ZACCARIA *Antifeb.* p. 2, l. 1, cap. 3, et *Antifeb. vindicat.* dissert. 5, cap. 1.

[3] Concilium Trident. Sess. XXIV, Cap. V *de Reform.;* PETRA l. c., n. 82 et *ad Const. 2 Leonis IX,* sect. 1, n. 24 seq.

[4] In cap. *Perniciosam* de offic. ordin., n. 55 seqq.

[5] PETRA *ad Const. unic. Honor. II,* sect. 1, n. 100.

[6] FAGNANUS in Cap. 25 de accus., n. 48.

[7] Trid. Sess. XXIV, Cap. II *de Reform.*

[8] Trid. Sess. XXV, Cap. X *de Reform.* PETRA *in Const. unic. Honor. II,* sect. 1, n. 90.

ad Romanum Pontificem [1], nisi tamen de eiusmodi materia agatur, in qua nonnisi in devolutivo appellatio admittitur [2].

468. Concilio peracto, nihil aliud superest, nisi ut approbetur et publicetur. Iamvero eiusmodi approbatio a Romano Pontifice petenda est, qui acta conciliaria per S. Congreg. Concilii recognosci, et, si opus sit, emendari curat [3], et pro locis missionum per Sacr. Congr. Fid. Prop. Eiusdem natura sita est in revisione atque emendatione, ne quid scilicet contra canones ibidem statuatur, non autem in propria dicta confirmatione, licet aliquando eam quoque Romanus Pontifex adiecerit. Quoad publicationem notandum est eam faciendam esse a singulis Episcopis in propriis Dioecesibus, ut primum fieri potest, ita tamen ut approbatio Apostolicae Sedis praecesserit [4]. Effectus eiusdem est ut statutis conciliaribus omnes Provinciae subditi obligentur [5], ita tamen ut eiusmodi obligatio sit ad poenam, non ad culpam, nisi Concilium ipsum secus declaraverit [6].

CAPUT III.

DE SYNODO DIOECESANA.

469. Remissive ad tractationem de Episcopis pag. 243. Quare hic nil addendum esse censemus.

[1] Petra loc. cit.

[2] Conf. Benedictus XIV, Const. *Ad militantis* 13 martii 1742.

[3] Sixtus V, Const. *Immensa* 1 februarii 1588.

[4] Conf. Canon. ultim. distinct. 18, et Petra l. c., n. 117 et 122.

[5] S. Congr. Conc. apud Fagnanum in cap. ex his quae fiunt, n. 5 et seqq.

[6] Petra l. c., n. 120.

TITULUS II.

De Collegiis Ordinis Senatorii.

470. Collegia ordinis senatorii illa dicuntur, quibus ex iuris dispositione ius competit Superioribus praebendi consilium; imo nonnullis in casibus eiusdem collegii consensus ius exigit. Collegia ordinis senatorii quoad Romanum Pontificem est collegium S. R. E. Cardinalium, quoad Archiepiscopos ac Episcopos Capitula sunt Metropolitanarum ac Cathedralium Ecclesiarum. De singulis agemus.

CAPUT I.

DE S. R. E. SACRO CARDINALIUM COLLEGIO.

471. Collegium Cardinalium [1] est sacer Ecclesiae Romanae Senatus septuaginta viris ad summum constans, quorum sex vicinorum Episcopatuum, qui suburbicarii dicuntur, sunt Episcopi, quinquaginta ad summum sunt presbyteri ; Diaconi ad summum quatuordecim [2] et quorum speciale officium in eo est, ut Romano Pontifici in regimine Ecclesiae universae consilio suo opem ferant [3]: quo fit, ut unum corpus cum eo efficiant [4] adeoque etiam Episcopos dignitate antecellant, licet iisdem sint ordine inferiores [5].

De Cardinalibus agentes videbimus 1) de S. R. E. Cardinalium creatione; 2) de S. R. E. Cardinalium obligationibus; 3) de S. R. E. Cardinalium potestate: 4) de S. R. E. Cardinalium privilegiis.

[1] Agunt de Cardinalibus COHELIUS IAGOBUS; PLATUS HIERONYMUS; MANFREDUS HIERONYMUS; TAMAGNA, *Origine e prerogative de' Cardinali;* GERMONIUS, *De indultis Cardinalium;* ALBITIUS, *De iurisdictione Cardinalium in propriis titulis;* BRANCATUS, *De privilegiis Cardinalium in propriis cappellis,* Idem, *De optione seu Episcopatu Cardinalium,* aliique.

[2] Xixtus V, Const. *Posteaquam* 3 Dec. 1576.

[3] Conc. Trid. Sess. 25, cap. 1, de Reform., § *Quae vero.*

[4] MANFREDUS *de Cardinalatu,* decis. 381.

[5] EUGENIUS IV, Constit. *Non mediocri,* 1438.

ARTICULUS I.

De S. R. E. Cardinalium creatione.

472. De creatione seu promotione ad Cardinalatum tria sunt quaerenda: 1) quomodo ea fiat; 2) qui eiusdem sint ritus; 3) quodnam eius oporteat esse subiectum. Porro creatio quoad rei substantiam fit sola voluntate Romani Pontificis sufficienter declarata; quae quidem de plenitudine potestatis solo nudoque verbo exprimi potest [1]. De iure autem ordinario denunciari solet in Consistorio, seu conventu Cardinalium, secreto requisito eorumdem consilio per consueta verba *Quid vobis videtur?* Deindeque facto promotionis decreto [2]. Unde sequitur:

a) Cardinalem ita renunciatum verum esse Cardinalem, adeoque si Apostolica Sedes interim vacet, posse in electione Romani Pontificis suffragium ferre, etiamsi Cardinalatus insignia nondum acceperit [3].

b) Eiusmodi Cardinalium offensores incidere in poenas, quae adversus offensores Cardinalium latae sunt [4].

Licet autem ad substantiam actus non pertineant, tamen adiiciuntur creationi quidam ritus, quorum praecipui sunt:

a) Impositio birreti rubri, quod quidem in curia praesentibus ab ipso Romano Pontifice absque ulla solemnitate imponitur; absentibus mittitur per aliquem Romani Pontificis familiarem [5]; quo tempore iurare iidem debent, se intra annum ad urbem accessuros sub poena privationis eiusmodi dignitatis ipso facto incurrenda [6].

[1] Card. Petra *Comment. in Constitutiones Apostolicas* ad Constit. 1am Eugenii IV, n. 4.

[2] Card. Petra l. cit., n. 13.

[3] Pius V, Const. *Quia aliquando,* 26 Ian. 1571.

[4] Card. Petra l. c.

[5] Petra l. c., n. 19.

[6] Xistus V, Const. *Postquam,* § 19, 3 Dec. 1586.

b) Impositio pilei rubri, in quo est Cardinalatus insigne quique solemniter coram ceteris Cardinalibus ab eodem imponitur R. Pontifice [1].

c) Occlusio oris, quae fit in sequenti Consistorio, qua scilicet Cardinalis a Romano Pontifice inhibetur in Consistorio loqui, donec eidem os aperiatur [2].

d) Aperitio oris, quae in altero, vel in tertio Consistorio fit, qua scilicet facultas eidem fit in Consistorio loquendi; quo etiam tempore annulus eidem traditur, et titulus adsignatur, idest aliqua ex illis Ecclesiis, quibus in urbe titulus Cardinalatus est adnexus [3].

Denique de legitimo Cardinalatus subiecto, seu de personis, quas ad hanc dignitatem evehi decet, hoc in primis animadvertendum est, leges ea de re latas proprie tales dici non posse; quia ne Romanus quidem Pontifex potest successoribus suis legem imponere; sed iisdem tantum indicare, quid honestum sit sequi [4]. Quo monito praemisso, sciendum est complures a Xisto V in dicta Constit. *Postquam* 3 Decemb. 1586, Cardinalatus incapaces dictos esse, qui scilicet sunt:

a) Quicumque defectu aliquo laborant, quo promoveri ad Ordines nequeunt;

b) Illegitimi, licet deinceps legitimati fuerint etiam per subsequens matrimonium;

c) Qui filios aut nepotes ex legitimo etiam matrimonio habent;

d) Qui Cardinali adhuc viventi primo vel secundo consanguinitatis gradu coniuncti sunt [5].

[1] Petra l. c., n. 16.

[2] Petra l. c., n. 17.

[3] Petra l. c., n. 17.

[4] Cap. ult. *de rescriptis,* in 6°; ibique Glossa verbo *Indicemus.*

[5] Cf. de his omnibus Cohellium *De Cardinalatu,* n. 9.

ARTICULUS II.

De S. R. E. Cardinalium obligationibus.

473. Quod attinet ad obligationes, eaedem ample exponuntur atque indicantur a Leone X [1], quarum praecipuae ad tria haec capita revocari possunt:

1) Ad officii proprii exequutionem; quod pertinet:

a) Consilio suo Romanum Pontificem iuvare, sive in S. Congregationibus, quibus ab eodem adscripti sunt, sive quotiescumque ab eo fuerint requisiti [2].

b) Tituli sui loca, eorumque personas saltem singulis annis visitare, atque in eorum vitam inquirere [3].

2) Ad leges, quae rectae officii exequutioni necessariae sunt; quo pertinet.

a) Onus in Romana Curia residendi [4]; ita ut sine Romani Pontificis venia non possint ab Urbe recedere, multoque minus a statu ecclesiastico [5]; iis tantum exceptis qui Episcopatum qui e sex suburbicariis non sit [6], obtinent [7].

b) Lex silentii servandi quoad Collegarum suffragia in Consistorio emissa [8].

3) Ad vitae honestatem; quo pertinet modestia ac frugalitas a fastu abhorrens, tum comitas in excipiendis omnibus, praesertim vero Episcopis, quos honorifice haberi decet; atque alia huiusmodi [9].

[1] Const. *Supernae*, 5 Maii 1514.

[2] Cf. dictam Const. *Supernae*, n. 18.

[3] Dicta Const. *Supernae*, n. 19; Xistus V, Const. *Religiosa*, 15 Apr. 1587, n. 12.

[4] Const. cit. *Supernae*, n. 28.

[5] Innoc. X, Const. *Cum iuxta*, 19 Febr. 1646; Fagnanus in Cap. *Ex gestis*, de cleric. non resid., n. 10 et seq.

[6] Fagnanus in cap. *Bonum nomen* de postulat. praelat., n. 18.

[7] Urbanus VIII, Const. *Sancta Synodus*, 12 Dec. 1634; Fagnanus in cap. *Qualiter* 9 de cler. non resid., et in cap. *Bonum nomen*, n. 37.

[8] Const. cit. *Supernae*, n. 30.

[9] Const. cit. *Supernae*, n. 16 et seq.

ARTICULUS III.

De S. R. E. Cardinalium potestate.

474. Potestas Cardinalium duplex distingui potest, alia particularis, alia communis. *Particularis* pertinet ad munus, quod cuique delatum est Vice-Cancellarii, Camerarii, Poenitentiarii, Vicarii Generalis, a secretis Brevium, Prodatarii, a secretis memorialium, Praefecti alicuius S. Congregationis, Archipresbyteri alicuius e tribus maioribus Urbis Basilicis, Decani totius S. Collegii [1]. At quoad Cardinalem Poenitentiarium consulenda omnino est Const. Bened. XIV quae incipit *Pastor Bonus* 13 April. 1744. Quoad Datarium et Secretarium Brevium, Const. eiusdem *Gravissimum,* 1 Dec. 1745. Quoad Cardinalem Vicarium, Card. Petra *Comment. in Const. Apostolicas,* ad Const. 1^{am} Pauli II. *Communis autem potestas* duplici capite comprehendi potest, quorum alterum ad potestatem pertinet, quam Cardinales habent in propriis titulis, alterum ad illam, quam exercent Apostolica Sede vacante.

§ 1. — *De S. R. E. Cardinalium potestate in suis titulis.*

475. Ad potestatem quod attinet, quam habent in suis Titulis, ita distinguendum est:

1) Si titulus constitutus est in ecclesia regularium, ea potestas coarctatur:

a) Ad Ecclesiam materialem [2];

b) Ad signa honoris, idest ut incedant cum insignibus honoris sui, ut habeant baldachinum erectum, et in throno sedeant etiam cum circulo et subordinata adsistentia Praelatorum [3].

c) Ad certas iurisdictionis voluntariae partes, idest, ut indulgentiam centum dierum publicare ac solemnem Benedictionem impertiri possint [4].

[1] Cohellius *Notitia Cardinalatus;* Klettenberg *Notitia Congregationum et Tribunalium Curiae Romanae* aliique.

[2] Card. De Luca *De iurisdict.,* discursu 34 per totum.

[3] Giraldi *Ius Pontif. univers.,* part. 1^{a}, sect. 197, § *Respectu vero.*

[4] Giraldi l. cit.

2) Si titulus constitutus est in ecclesia saeculari, Cardinalis in eadem potestas, licet aliquando amplior fuerit, nunc tamen (praeter ea quae dicta sunt) complectitur tantum:

a) Ea omnia quae pertinent ad servitium ecclesiae aut loci pii, circa tamen disciplinam ecclesiasticam et suorum correctionem dumtaxat [1], oeconomice nimirum atque extraiudicialiter curandam [2].

b) Collationem beneficiorum, qaae in ipsis titulis instituta sunt, dummodo tamen Cardinalis titularis in Curia resideat [3].

3) Utrobivis sit constitutus, est insuper Cardinali in eodem potestas conferendi praeter tonsuram Ordines etiam minores, quod proinde nequeunt in Urbe ii Cardinales, qui sunt Episcopi suburbicarii, quia degunt extra titulos suos, licet in cappella sui palatii primam tonsuram conferre possint [4].

2. — *De S. R. E. Cardinalium potestate sede vacante.*

476. De potestate, quam Cardinales exercere possunt sede vacante, distinguenda est ea quae toto coetui competit, ab ea, quae singulorum propria est pro suo particulari munere. Ergo

1) Potestas seu iurisdictio totius coetus (praeter ius eligendi Summum Pontificem) ad casus tantum extenditur urgentis necessitatis, sive agatur de terris Ecclesiae Romanae defendendis, sive alio urgenti et gravi periculo, quod duabus e tribus eiusdem collegii partibus tale videatur [5].

2) De singulorum potestate varia regula est pro vario munere, nimirum:

a) Camerarii, Poenitentiarii et Vicarii Urbis potestas ita manet, ut, si in Conclavi decedant, duobus prioribus successores a S. Col-

[1] Innoc. XII, Const. *Romanus Pontifex,* 5 Octobr. 1692, § *Postremo.*

[2] Pitonius *De Controver. Patronor.,* allegat. 41, n. 51.

[3] Riganti *In regulas Cancell.* ad reg. 8am § 50 seq., et ibi decret. Alexandri VII, an. 1651.

[4] Benedict. XIV, Const. *Ad audientiam,* 16 Febr. 1743.

[5] Pius IV, Constit. *In eligendis,* 9 Octobris 1562; Fagnanus in cap. *Cum olim* de maiorit. et obed., n. 3, 62. Cf. etiam Const. Clementis XII, *Apostolatus,* 4 Octobris 1732.

legio pro tempore sedis vacantis dandi sint, tertii potestas ad Vices-gerentem devolvatur [1].

b) Iurisdictio Congregationum licet sede vacante non expiret, suspensa tamen manet, exceptis levioribus negotiis, quae a solo secretario expediri solent, quaeque ab eodem etiam Sede vacante expediuntur [2].

c) Ceterorum munera quiescunt; Datarii autem etiam extinguitur, quippe qui, mortuo Romano Pontifice, resignare illud tenetur [3].

ARTICULUS IV.

De S. R. E. Cardinalium privilegiis.

477. Reliquum est, ut de Cardinalium privilegiis dicamus, de quibus ait Andreucci [4] usque ad ducenta numerata a nonnullis fuisse, licet non omnia usu recepta esse affirmet. Quapropter quae sunt insigniora et communius admissa commemorasse satis sit, quorum quidem alia cum Episcopis communia, alia Cardinalibus sunt propria.

1) Communia cum Episcopis Cardinales haec habent:

a) Ius ferendi suffragium in Conciliis, itaque, ut etiam ante Patriarchas sedeant [5].

b) Privilegium altaris viatici, seu portatilis etiam in domibus laicorum; si Sedis Apostolicae venia, aut in casibus a iure permissis, absentes a propria domo sint [6].

c) Privilegium celebrandi, vel indicendi Cappellanis suis ut in domestico Sacello celebrent pro suo vel familiae commodo Missam ante auroram, vel post meridiem [7].

[1] Clem. XII, cit. Const. *Apostolatus.*

[2] Fagnanus in cap. *Cum olim* de maiorit. et obed., n. 63.

[3] Pius IV, cit. Const. *In eligendis.*

[4] Andreucci in opere *de Cardinalibus,* n. 20.

[5] Eugen. IV, Const. *Non mediocri,* an. 1438.

[6] Ex declarat. Bened. XIII in Conc. Rom., tit. 15, cap. 3.

[7] Platus *de Cardin. dignitate* in Synopsi privilegior. addita a Nicolao Tria, n. 66, seq.

d) Privilegium eligendi sibi Confessarium, qui tamen vel subditus sibi sit, vel approbatus a proprio Ordinario fuerit, ita ut vi huius privilegii possit Cardinalis sacerdoti confiteri, qui extra urbem ac dioecesim, in qua Cardinalis commoratur, ab Ordinario loci fuerit approbatus [1].

478. 2) Propria Cardinalium haec sunt:

a) Ius eligendi Summum Pontificem.

b) Ius optandi, seu mutandi titulum in alium meliorem, habita ratione tum ordinis tum antiquitatis [2] hisque insuper legibus: 1) ut optantes in actu optionis seu vacationis tituli praesentes in Curia, aut in eius districtu, idest intra quadraginta milliaria reperiantur; 2) ut Cardinales Diaconi episcopalem titulum optare nequeant, presbyteralem vero queant solum si decem annos in diaconali ordine exegerint; admissi autem ad optionem etiam ius praecedentiae obtineant supra Presbyteros post ipsos ad cardinalatum promotos; 3) ut Cardinales Presbyteri ad Episcopalem titulum translati alium titulum episcopalem nonnisi una vice optare queant, nisi forte agatur de Episcopatu Ostiensi; 4) ut cardinales Episcopi in aliis titulis optandis antiquitate, quam in ordine suo, non in Cardinalatu habent, vincere debeant [3].

c) Ius faciendi fidem in asserendo vivae vocis oraculo, quoad ea negotia, quae ad officium suum pertinent [4].

d) Privilegium fori ita ut conveniri iudicio non possint in criminalibus, nisi coram Summo Pontifice, et in civilibus coram eodem, vel Auditore Camerae tamquam Summi Pontificis vicario [5].

e) Privilegium peculiare canonis quo scilicet poenis gravioribus subiiciuntur, qui eos offendunt.

f) Immunitas a reservatione regul. 9ae Cancellariae quoad beneficiorum collationem, quae iis competit sive in suis titulis, sive

[1] Platus seu Tria loc. c. n. 68, seq.

[2] Platus vel Tria l. c. a n. 25 ad 35.

[3] Riganti *Comment. ad reg. cancell.*, regula 8a, § 2.

[4] Urban. VIII, Const. *Alias felices,* 11 Aprilis an. 1635; Tria loc. cit., n. 145.

[5] Tria l. c., n. 75, seq.

in Monasteriis aut Ecclesiis in commendam aut administrationem iisdem traditis, sive in tribus maioribus Urbis Basilicis ubi Archipresbyteratum obtinent, sive denique (vi specialis indulti, quod ordinario habent) in Ecclesia Cathedrali quam dimiserint: et quidem in postrema, si ad plures successive translati fuerint [1].

g) Privilegium transferendi in alios suas pensiones usque ad summam scutatorum mille etiam in mortis articulo, idque nutu etiam et signis, exceptis pensionibus, quae constitutae sint super distributionibus quotidianis proprie talibus; hisque insuper legibus: 1) ut pensio, quae transfertur, non excedat dimidiam fructuum partem beneficii cui imposita est; 2) ut translatio non fiat consilio aliorum Cardinalium [2].

h) Indultum testandi (si tamen petatur) de illis bonis, de quibus alias testari non possent, idest de bonis occasione Cardinalatus acquisitis, aut intuitu eiusdem dignitatis (non quidem personae) donatis, tum in specie (non item in specie petendum est) de suppellectile ac paramentis ecclesiasticis, quibus sive in Cappella Pontificia, sive in propria uti consueverunt. Quoad haec autem indulta tria animadvertenda sunt: 1) quod a priorum bonorum classe annulus cardinalitius excipi solet, seu loco illius certa pecuniae summa: 2) quod de posteriore testari Cardinales debent favore alicuius Ecclesiae vel loci pii, oratoriis privatis exclusis: 3) quod eorum testamenta etiam sine ulla solemnitate valent, dummodo de veritate eorum voluntatis sufficienter constet [3].

Denique, quod in humanis extremum est, honores ad Cardinalium funus spectantes si quis nosse cupiat, adeat Bened. XIV, Const. *Praecipuum,* 1 Dec. 1745.

[1] Platus seu Tria l. c. a n. 93 ad 133, ubi confer Const. Bened. XIV, *Sicut accepimus,* 1741.

[2] Platus n. 85, seq.

[3] Platus l. c. a n. 134 ad 139; Card. De Luca *de testam.,* discursu 6 et seq.

CAPUT II.

DE CAPITULIS SEU CANONICIS.

479. Canonici sunt Clerici in unum corpus sub aliquo Praelato congregati, ut officia ecclesiastica in certa ecclesia celebrent, ex qua proprias praebendas habent unde alantur. Cum autem eiusmodi Clericorum Collegia, quae Capitula dicta sunt, primum quidem in ecclesiis cathedralibus, sed deinceps in aliis quoque inferioribus ecclesiis institui coeperint, hinc duplex Capitulorum species inducta est, ita ut quae in cathedralibus constituta sunt *Capitula Cathedralia* vel Ecclesiae Cathedrales dicantur, cetera *Collegiata* vel Ecclesiae Collegiatae. Porro Capitula seu Canonicorum Collegia cathedralia Episcopi veluti senatum constituunt, qui eidem in dioecesi gubernanda consilio et opera praesto sint, tamquam praecipui adiutores et consiliarii. Hinc Sac. Congr. Fid. Propagandae Episcopos suae iurisdictioni subiectos hortari numquam destitit ad Capitula ipsa in propriis dioecesibus constituenda. Quod si rerum adiuncta alicubi id fieri non sinant, voluit, ut Episcopi Capituli deficientiae suppleant instituendo consilium aliquot missionariorum, quos adhibeant in negotiis gravioris momenti expediendis et potissimum in causis clericorum iudicandis; quorum quidem suffragia, etsi consultiva tantum sint apud Episcopum, valebunt tamen non solum ad sententiam pleniori cum cognitione causae ferendam, sed etiam ita ut Episcopus ab eorum pluralitate in suo iudicio nonnisi ex gravissimis et manifestis rationibus discedat. amvero cum in hoc titulo agatur de Ordinariis Episcoporum adiutoribus, ad quam classem non omnes pertinent Canonici, sed solum Capitulum Ecclesiae Cathedralis, hinc de hoc agendum est.

Tractatum de Capitulo Ecclesiae Cathedralis quatuor in articulos distribuemus, in quorum primo exponemus quae singulis eiusdem membris in se consideratis communia sunt; in secundo quae sunt propria eiusdem Capituli Dignitatum, Personatuum atque Officiorum; in tertio quae pertinent ad relationem eiusdem cum dioecesi, sede

plena: in quarto quae pertinent ad eiusdem relationem cum dioecesi, sede vacante.

ARTICULUS I.

De iis quae singulis Capituli membris communia sunt.

480. Vere proprieque dicta Capituli membra solum sunt Canonici, ii praesertim qui in prima Capituli erectione constituti sunt, tum ceteri qui deinceps accesserunt, quatenus in partem vel in plenitudinem iurium legitime sunt admissi. Hinc sequitur Episcopum, licet Capituli caput esse dicatur et unum constituere cum eodem corpus, nihilominus ad Capitulum non pertinere, neque illius membrum esse. Sequitur deinde ad Capitulum proprie non pertinere, licet sint membra eidem adiuncta, Dignitates quarum possessores non sunt simul Canonici, nisi forte secus constitutum sit in earum fundatione et nisi agatur de Decano qui regulariter caput est Canonicorum; nec Canonicos honorarios, nec Canonicos qui creati sunt a Summo Pontifice cum *expectativa* et adhuc praebendae vacationem expectant, nec ceteros beneficiarios, qui infra Canonicorum gradus constituti sunt. His praemissis, quae eiusdem membris communia sunt ita persequemur, ut primo agamus de legitima Capituli erectione et constitutione; subinde de officiis et obligationibus; de iuribus atque honoribus; de eiusdem convocatione ac celebratione ad deliberandum de rebus ad ipsum pertinentibus.

§ 1. — *De Capituli erectione ac constitutione.*

481. Ad legitimam Capituli constitutionem pertinent cum prima eiusdem erectio vel posterius augmentum, tum etiam statuta seu leges quae pro eiusdem regimine rite latae sunt. Iam vero ad primum quod spectat, haec sunt animadvertenda. Erectio seu prima constitutio Capituli Ecclesiae Cathedralis nonnisi a Summo Pontifice fieri potest, praesertim, cum ea fieri soleat una cum ipsa erectione Ecclesiae Cathedralis, quam indubitati iuris est nonnisi a Summo Pontifice constitui posse. Capituli seu Canonicorum numerus augeri

deinceps fas est, servatis tamen legitimis conditionibus, id est ut Episcopi auctoritate id fiat, sine qua nullum novum beneficium erigi potest, et ut Capituli consensus requiratur, qui etiam sub conditione praestari ab eodem potest, dummodo conditiones iustae sint ac rationabiles. Potest etiam a Capitulo iustis de causis denegari, cuiusmodi sunt tenuitas vel incertitudo reddituum, qui statum novi canonici vel minus decentem vel incertum efficiant, nimia Canonicorum multitudo, qui magis in contemptum quam in decus Ecclesiae cedat, veterum Canonicorum detrimentum, etc. Quod si denegetur absque causa, potest per Episcopum vel alium Superiorem suppleri. Ad haec: si res sit de instituenda nova dignitate, vel de augendo Canonicorum numero, qui auctoritate Apostolica definitus fuerat, requiritur ut eiusdem Sedis Apostolicae venia accedat.

482. Ad alterum quod attinet, id est ad statuta quibus Capitulum regi solet, animadvertendum generatim est, eiusmodi statuta esse leges ab ipso Capitulo legitime congregato constitutas, de rebus, quae ad rectum ordinem et regimen eiusdem Capituli pertinent. Unde sequitur auctorem eiusmodi legum esse ipsum Capitulum, a quo constitui possunt. Obiectum vero iis rebus contineri, quae ad Capituli regimen pertinent, binis tamen sub conditionibus, ut scilicet nihil habeant quod legibus a Superiore latis adversetur, et praeterea ut minora tantum negotia attingant, sive circa personas, cuiusmodi, ex. gr., est definitio modi quo Capitulum sive congregandum sive habendum sit, ratio distribuendi officia inter Capitulares, ordinatio chori, constitutio levis cuiusdam poenae seu mulctae adversus Capitulares ipsos vel propriae Ecclesiae beneficiarios atque ministros, in divinis officiis vel iniunctis muneribus delinquentes aliaque his similia; sive etiam circa res, cuiusmodi est ratio administrandi bona Capituli, partiendi distributiones, administrandi pias oblationes etc., ita tamen ut caveatur ne cuiuspiam iuri inferatur detrimentum. Etiam sanctio qua statuta muniantur adiici potest, sive addito iuramento, sive levibus quibusdam poenis constitutis, ea tamen lege ut omnes et singuli Capitulares consentiant.

483. Abrogatio vero statutorum fieri potest per contrarium sta-

tutum capitulariter ac legitime factum, addito tamen Episcopi consensu, si forte agatur de abrogando statuto, quod Episcopi auctoritate firmatum fuerit [1], vel si agatur de statuto quod certe eius auctoritate firmari debuerit, cuiusmodi est statutum quod tangat statum Ecclesiae vel Capitulum simul et Episcopum. Denique abrogatio fieri potest desuetudine, quae legitima tamen probanda est.

Quod autem attinet ad statutorum interpretationem, ait citatus auctor, eam faciendam esse ab Episcopo, quod ut constet cum his quae dicta sunt, dicendum videtur id asseri de statutis quae auctoritate Episcopi firmata fuerint, vel firmari debuerint.

§ 2. — *De Capituli officiis ac obligationibus.*

484. Hisce de Capituli constitutione praemissis, ea succedunt quae pertinent ad eiusdem officia et obligationes. In his autem recensendis memorandum est quod initio praemonuimus, obligationes atque officia, quae respectum habent ad Episcopum vel ad Sedem episcopalem vacantem, in postremis huius capituli partibus a nobis expositum iri, adeoque hic agi tantum de illis, quae ad ipsum Capitulum in se consideratum pertinent. Iamvero summum praecipuumque officium, cuius causa Canonici supra ceteros clericos elevantur, suisque praebendis augentur, illud est, ut exemplo suo aliis praeluceant, et per exercitium cultus divini, populi pietatem foveant. Unde pro necessario cum hoc officio nexu tres praecipue canonicorum obligationes numerari solent, scilicet: Chori servitium; residentia; professio fidei initio adepti canonicatus legitime emittenda.

485. De Chori servitio videndum est: 1) quid complectatur; 2) quomodo peragendum sit; 3) qua ratione eius omissio punienda sit; 4) quae sint eiusdem omittendi iustae excusationes.

Iamvero Chori servitium complectitur recitationem quotidianam septem horarum canonicarum, celebrationem cum cantu quotidianae missae, ut aiunt, de die, quae Conventualis dicitur, quae-

[1] Scarfantonius lib. IV, tit. 13, n. 64, et in Append. decis. 40.

que pro benefactoribus applicari debet [1]; idque etiamsi alia missa votiva, quacumque alia de causa, eadem die canatur [2], celebrationem aliarum missarum conventualium certis quibusdam diebus, qui in generalibus Missalis rubricis designantur [3], recitationem certis diebus in rubrica designatis officii B. M. V. Defunctorum, Psalmorum Poenitentialium ac Gradualium, quae tamen libere ac sine peccato omittitur, excepto casu vetustae consuetudinis quoad officium tantum B. M. V. [4]

Quibus omnibus tres animadversiones addendae sunt, quarum prima est, Chori servitium quotidianum omnino esse quoad Collegium Canonicorum simul sumptum, quoad vero singulos Canonicos regulariter quidem quotidianum pariter esse, sed quasdam ea de re haberi exceptiones, de quibus mox dicetur, cum de residentia erit sermo. Altera est, in locis Missionum saltem quinquies vel sexies in anno in Cathedrali Ecclesia Canonicos convenire debere ibique *Tertiam* psallere et missae conventuali pro benefactoribus assistere. Tertia animadversio est, quod si quis Canonicus sive ex iusta causa sive ex negligentia a choro abfuerit, eumdem omnino teneri horas canonicas privatim recitare, nisi legitimum adsit impedimentum.

486. Modus, quo Chori servitium peragendum est, quinque legibus concludi potest. Prima lex est ut fiat per se, non per substitutos [5], quod tamen intelligendum est de substitutis extraneis, siquidem in iis Capitulis, in quibus alternatim a dimidia vel tertia parte Canonicorum officium persolvi consuevit, interdictum non est Canonicis, vel Beneficiariis, vel Mansionariis aliquem e suis Collegis substituere, dummodo quatuor hae leges serventur: ut substitutus ad chorum eodem tempore non teneatur; ut huiusmodi substitutiones frequentes non sint, quod arbitrio Episcopi iudicandum relinquitur;

[1] Benedictus XIV, Const. *Cum semper,* 19 Aug. 1744; Inst. 107, n. 7, 11.

[2] Barbosa *de Canon.,* C. 36.

[3] Benedictus XIV, Inst. 107.

[4] Pius V, Const. *Quod a Nobis,* 7 iulii 1568; Benedictus XIV, Inst. cit., n. 8 et seqq.

[5] Conc. Trident. Sess. XXIV, Cap. XII de Reform.

ut ii qui substituunt in civitate eiusve suburbiis versentur; ut Canonici coadiutores hoc indulto uti nequeant, idque ne passive quidem, haud secus ac Canonici honorarii, cum utrique non sint vere proprieque dicti Canonici [1].

Secunda lex est, ut fiat legitimo loco, id est regulariter in eo ecclesiae loco, qui Chorus dicitur [2], ita tamen ut per se Capitulo interdictum non sit in quavis alia ecclesiae parte, modo sit publica ex. gr. in sacristia, horas canonicas recitare, extraordinarie tamen et accedente iusta causa, ex. gr. magni frigoris, atque Episcopi licentia.

Tertia lex est, ut fiat legitimo tempore, de quo dici iam potest propria locorum consuetudine illud definiri, ita tamen ut Vesperum a prandio, tempore autem quadragesimae ante prandium recitari debeat; Matutinum vero, salvo privilegio vel consuetudine immemorabili, recitandum sit summo mane, recitari autem post completorium diei praecedentis non possit, exceptis diebus Octavae Festi solemnis D. N. I. C. et tribus diebus ultimis maioris hebdomadae, quod est generali consuetudine Romanaeque Ecclesiae instituto firmatum, et extraordinario cum necessitas aliqua una cum Episcopi venia concurrit [3].

Quarta lex est, ut fiat alta voce, ita ut si voce tantum submissa horas canonicas aliquis recitet, vel easdem alibi recitaturus solam praesentiam corporalem in Choro praestet, eidem poenae sit obnoxius ac qui abest a Choro [4], nisi forte apostolicum, idque non praesumptum, sed legitimum ac vigens privilegium praesto ei sit [5], vel musici canant, vel organum alternatim chori vicem praestet, quo quidem in casu operae pretium erit aliquem, ex. gr. e man-

[1] S. Congr. Conc. in *Montis Politiani* 4 febr. 1804; Benedictus XIV, Inst. 107, n. 17 et seqq.

[2] Benedictus XIV, Inst. 107, n. 19.

[3] Benedictus XIV, Inst. 107, n. 22.

[4] Benedictus XIV, loc. cit., n. 16.

[5] Benedictus XIV, Constit. *Cum semper*, 19 aug. 1744.

sionariis, deputare, qui alte pronuntiet quae ab organo cantari finguntur.

Quinta lex est, ut fiat reverenter, idest vocibus apte comparatis non lingua praecipiti nullisque praecisis vocabulis, itaque ut pars Chori canere haud incipiat, cum altera cantum nondum absolvit. Ceterum autem servata modestia, gravitate, silentio [1].

487. Porro si qui servitio chori addicti, praeter tempora iure concessa, aut praeter casus itidem iure probatos e chori servitio se subducant, poenas incurrunt, licet in loco beneficii resideant. Poenae autem hae sunt. Si ultra tres menses quolibet anno a propriis ecclesiis abfuerint, anno primo priventur, iudicio Episcopi, dimidia parte fructuum, quos etiam ratione praebendae ac residentiae toto anno suos fecerint [2]; quod si iterum eadem fuerint usi negligentia secundo anno, priventur omnibus fructibus quos eodem anno lucrati fuerint; crescente vero contumacia ad privationem quoque canonicatus seu beneficii contra ipsos procedi possit [3]. Nec obstat quod beneficium patrimonii titulum constituat. Servandi sunt tamen gradus recensiti, licet absentia plus quam ad tres annos protendatur, aliter privationis sententia non sustinetur. Antequam applicentur memorati poenarum gradus, opus non est ut absentes commoniti fuerint, at necesse est ut explicite vel implicite vocentur ad dicendam causam, si quam habeant, ob quam puniendi non sint. Si ad tantum tempus negligentia non excurrat, pro singulis defectionibus rata distributionum portio absenti subtrahitur, in reliquos aeque distribuenda qui actu choro intersunt. Haec poena sumenda omnino de illis est, quin locum ullum habeant collusiones, remissiones, vel cuiusquemodi pacta [4]. Imo neque Capitulum, neque Episcopus ipse potest amissas de iure distributiones cuiquam remit-

[1] Clemens XI, Encyclica ad Episcopos Italiae et Insularum adiacentium, 16 martii 1703, quae extat in Bullario particulari Clementis XI, pag. 526; Bened. XIV, Inst. 107, n. 24.

[2] S. Congr. Conc. in *Tarraconen.*, 22 Aug. 1885.

[3] Conc. Trid. Sess. XXIV, Cap. XII de Reform.

[4] Conc. Trid. Sess. XXIV, Cap. XII de Reform.

tere [1]. Quare eligendus quotannis a Capitulo Canonicus olim *Obedientiarius* dictus, nunc vero *Punctator* [2].

Ad haec: distributiones quotidianas amittit quisquis choro non interest, etiam vacationis tempore [3], non obstante consuetudine etiam immemorabili et constitutionibus capitularibus [4]; amittit insuper qui non psallit et qui recedit missam celebraturus vel ut confessiones audiat, nisi iussus.

488. Verum ex Ecclesiae pietate quaedam sunt causae, quibus siquis a choro absit non idcirco distributione privatur. Sunt hae [5] *infirmitas,* seu *iusta et rationabilis corporalis necessitas aut evidens Ecclesiae utilitas.* At in hisce causis observanda sacrae Concilii Congregationis decreta, ne distributiones iis decernantur, quibus minime debentur. Igitur: 1) Infirmi si dum erant incolumes choro interesse consueverunt, eas lucrantur, nisi aliud ecclesiae statutis vel consuetudine sit introductum [6], et ii qui prudenter metuunt infirmari, si ad chorum accesserint. Huc pertinent coeci et

[1] S. C. Conc. apud Bened. XIV, Inst. 107, § 7, n. 42.

[2] Bened. XIV *de Syn.*, lib. IV, cap. IV, n. 2. Distributiones generice acceptae sunt redditus ecclesiastici, qui ex communi quadam Canonicorum vel Beneficiariorum massa singulis distribuuntur, sive ratione beneficii, sive servitii choralis, sive ratione realis praesentiae ac veluti salarii personalis pro particulari aliquo casu inito. Unde earumdem species quadruplex distingui potest: 1) earum quae alicubi tenent locum ipsius beneficii et fructus grossi etiam appellantur. 2) Earum quae proprie distributiones quotidianae dicuntur praemiique loco constitutae sunt pro iis, qui choro intersunt, sive ex peculiari massa, sive ex tertia parte fructuum grossorum, si tantum ex eis praebenda constat. 3) Earum quae assignatae sunt pro certis fixisque oneribus Missarum, anniversariorum, aliarumque functionum. 4) Earum quae assignantur pro funeribus. Iam Conc. Trid. Sess. XXI de Ref. cap. III iussit tertiam fructuum quorumcumque proventuum et obventionum tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum separari et in distributiones constitui.

[3] Sac. Congr. Conc. in Asten. 20 Iulii 1874.

[4] S. Congr. Conc. in Ravennaten. 20 Sept. 1879.

[5] Ex decreto Bonifacii VIII, cap. *Consuetudinem* unic. de cler. non resid., in usum revocatae a Trid. Conc.

[6] S. Congr. Conc. 17 Febr. 1838.

senes, qui nequeunt sine gravi incommodo chorum adire, vel ei interesse. 2) Qui prohibentur citra suam culpam chorum adire, vel non adeunt ob timorem cuiuslibet damni gravis. 3) Qui absunt propter servitium Ecclesiae suae. Huc pertinent Canonici qui assistunt Episcopo episcopalia exercenti vel assistenti cum cappa, sive in ecclesiis civitatis aut suburbiorum sibi subiectis, sive concioni in ecclesia sua cathedrali, quique eum comitantur; ac demum vel qui ab eo mittitur vel eum comitatur ad Limina, non vero ad visitationem dioecesis [1]. Quotquot autem praesentes habentur fictione iuris, verius participant etiam fallentias absentium quas vocant, perinde ac ii qui sunt praesentes reipsa [2]. 4) Canonicus Theologus et Poenitentiarius ut infra dicemus. Demum Canonicus vel quisquis alius de gremio Capituli, cui animarum cura imminet, dum Parochi officio fungitur, si parochia excitata sit in ipsa cathedrali vel collegiata [3].

Quoad distributiones inter praesentes consulenda sunt statuta capitularia vel consuetudines [4]. His deficientibus, inspiciendum utrum distributiones huiusmodi sint certae ac fixae, uti legata, anniversaria etc., an incertae ac fortuitae, ut quae dantur in iustis funerum. Illae plerumque quotidianis aequiparantur, ideoque eas lucratur quisquis fictione iuris habetur ut praesens in choro; has non item. Uno verbo absentes fictione iuris distributiones huiusmodi lucrantur, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis.

489. Onus assistendi choro cessat iubilationis indulto, quod post annos 40 choralis servitii laudabiliter praestiti, in diversis licet ecclesiis et gradibus beneficiariis, conceditur in praemium et remunerationem [5]. Attamen Capituli dignitates per indultum iubilationis non eximuntur ab iis peculiaribus functionibus peragendis, quae ex

[1] Bened. XIV, Inst. cit., n. 59.

[2] S. Congr. Conc. in *Andrien.* 23 Aug. 1876.

[3] S. Pius V, Const. *Cupientes* 1568; S. Congr. Conc. loc. cit.

[4] S. Congr. Conc. 1 Martii 1761; Acta S. Sedis vol. I, p. 287.

[5] Garcias *de Benef.* p. 3, cap. 2.

consuetudine, vel statutis, dignitati taxative inhaerent [1], sed ius habent ad recipiendum tamquam praesentes, tum omnes praebendae fructus, tum etiam distributiones aliaque emolumenta quae percipiunt reliqui chorales, exceptis distributionibus quae inter praesentes dicuntur, quando tamen obstet disponentium voluntas. In functionibus vero omnino adventitiis standum capitularibus statutis vel consuetudini [2]. Coadiutus, nisi choro intersit, omnia per coadiutorem lucratur perinde quasi is, non ipse Canonicus esset, ideo si uterque abfuerit, non inspicitur utrum coadiutus, sed utrum coadiutor ex legitima causa absit.

Sunt autem tres menses quibus Canonici ac Beneficiati certo inter se ordine vacationibus fruuntur, dummodo earum Ecclesiarum Constitutiones longius servitii tempus non requirant [3].

Trium mensium spatium superari non potest, nisi adsit apostolica facultas, etiamsi consuetudo quaelibet contraria existeret [4]. Beneficio vero trium mensium uti possunt etiam per dies interpolatos, non vero per horas; seclusa enim apostolica venia, non licet computare horas. Haec autem vacatio locum non habet in Capitulis, quae per alternativam seu mediariam, vel tertiariam choro inserviunt.

In usu trimestrium vacationum quaedam regulae servandae sunt, nempe: 1) ne chorales vacent in quadragesima ac solemnioribus festivitatibus; 2) ne absint ultra tertiam partem eodem tempore; et 3) ne discedant a dioecesi sine Episcopi venia.

490. Quoad professionem fidei, sufficiat notasse quod provisi de canonicatibus et dignitatibus emittere debent professionem fidei coram Episcopo vel eius Vicario Generali et coram Capitulo intra duos menses a die possessionis pacificae sive admissionis in massae capitularis participationem, alioquin fructus non faciant suos neve illis possessio suffragetur; ex Concilio Trid. loc. cit.

[1] S. Congr. Conc. 3 Sept. 1870.

[2] S. Congr. Conc. in citat. resol.

[3] Conc. Trid. Sess. XXIV, Cap. XII.

[4] Bened. XIV, Inst. eccl. 107.

§ 3. — *De Capituli iuribus ac honoribus.*

491. Quoad iura et honores notandum est praeeminentias omnes quae competunt Capitulo eas esse vel *ex iure scripto,* vel ex *consuetudine,* vel ex *privilegio.* Quod attinet ad ius scriptum, satis constat ex decretalibus, ex Concilio Trid., ex Caeremoniali Episcoporum quaenam praerogativae atque honorificentiae competant Capitulo Cathedrali, quod cum sit senatus Ecclesiae ab omni contradistinguendum est iuxta formam a sacris ritibus praescriptam. Hinc certum omnino est quod quando Capitulum cathedralis collegiatim seu capitulariter intervenit, praecedat Capitulum collegiatae ac Parochum et quemcumque alium Praelatum et Rectorem, quamvis qualificatum in propria Ecclesia. Excipe Vicarium Generalem Episcopi, qui habet praecedentiam super Capitulum [1], quamvis nonnulli apud Menoch. *cons.* 52 contrarium teneant. Ceterum in facti alicuius contingentia, inspiciendum est ius scriptum sacrorum Canonum ac praesertim Tridentini et Caeremonialis. Quoad consuetudinem diligenter observandum est an vere ea adsit, ut Capitulo haec illa honorificentiae species exhibeatur: an ea fuerit legitime praescripta: item an ea extendatur de casu ad casum, de loco ad locum, de persona ad personam, nam consuetudo est strictae interpretationis. Quoad privilegia, plures horum vi aliquibus Capitulis competunt praeeminentiae. In his autem animadvertendum est, an ea fuerint deperdita vel per non usum, vel per contrarium usum, vel per revocationem factam a legitimo Superiore, vel per sententiam particularem propter abusum. Ceterum si ea subsistant, meminerint Canonici, privilegium derogans iuri alterius, ex. gr. episcopali, restringendum esse quantum patitur proprietas verborum, quia non praesumitur Pontifex velle huic iuri derogare, nisi id expresserit. Meminerint etiam privilegium uni concessum, non extendi ad alios ob similitudinem vel etiam maiorem rationem.

[1] Barbosa, *Summ. Apostol. Decis.,* v. *Vicarius Generalis.*

§ 4. — *De Capituli convocatione.*

492. Superest ut de Capituli convocatione agamus. Ad utrumque finem servandi amplificandique cultus Dei et rerum administrationis tuendae ac moderandae, cogendi sunt, neque hoc raro, Capitulares conventus. De quibus communiter statutum, ut non habeantur die festo [1], neque tempore quo divina persolvuntur officia.

Porro si qua difficilis deliberatio expediri capitulariter debeat, opportunum erit, ut is qui Capitulum indicendi ius obtinet, dum Capitularibus tempus significat ad quod indicitur, significet etiam quae conveniendi sit ratio et causa.

His autem generatim praemissis, notandum est, ius convocandi Capitulum ad primam eiusdem dignitatem pertinere. Atque haec facultas libera est atque independens ab Episcopo, nisi agatur de rebus mensae episcopalis et de rebus in quibus Episcopus iuxta sacros Canones Capitulum audire tenetur [2]. Limitatur tamen in eo quod Capitulum Episcopum certiorem facere debet et licentiam rogare, si consuetudo Episcopo assistat.

Ceterum in omnibus Capituli deliberationibus ac nominatim in electionibus, servandum ut Capitularium quisque libertatem retineat. Quidquid autem maior Canonicorum eo die congregatorum pars constituerit, firmum erit atque decretum. Cap. I *Cum in cunctis* de his quae fiunt a mai. parte Cap. Quidquid vero non fuerit in isto consessu hoc modo statutum, irritum erit. Qui vero Capitulo sunt a secretis, eius acta diligenter excipere debent actuumque capitularium tenorem libro committere.

ARTICULUS II.

Quae Capituli Dignitatum, Personatuum et Officiorum propria sint.

493. Praenotandum est quod dignitas, personatus et officium inter se differunt. Dignitas enim est praeeminentia cum iurisdictione.

[1] S. Congr. Conc. in *Meliten.* 1602; in *Adrianen.* 1622.

[2] Sac. Congr. Conc. 20 ian. 1858.

Personatus est praeeminentia sine iurisdictione. Officium tandem est simplex rerum ecclesiasticarum administratio absque praeeminentia et iurisdictione.

Praecipuae ecclesiarum cathedralium dignitates, ut Archidiaconus, Archipresbyter hodie, revocata ad Episcopum omni fere ecclesiastica iurisdictione, praeter primas in choro sedes aliaque honorifica iura, id est, in sacris omnibus praecedere functionibus, horas canonicas inchoare, Canonicos ad consilia vocare etc., nulla iurisdictione potiuntur; hinc *ventosae* et inanes dignitates a canonistis appellantur. At nomine et re officia sunt illa duo Theologi et Poenitentiarii, quae introducta primum a Conciliis Lateranensibus III et IV, stabiliorem deinde formam acceperunt a Concilio Tridentino.

494. Iamvero Canonici Theologalis est sacram Scripturam interpretari. Si theologiam seu dogmaticam seu moralem arbitrio Ordinarii doceat, Ben. XIV [1] suo officio satisfacere ait; sed post editam a Gregorio XVI an. 1842 encyclicam, Sac. Congr. Conc. a prisca sententia a Bened. XIV exposita recessit et iterato mandavit ut Canonicus Theologus sacram Scripturam explicet [2]. Sacram vero scripturam interpretari debet singulis diebus festis, nec minus quadragies per annum, quo loco, qua hora et super qua parte eius censuerit Episcopus. Ac demum per se non per alium, nisi permittente Episcopo iusta de causa. Si forte ipse sit iubilatus aut decrepitus aut infirmus, Episcopus ei alium substituet. Substituendus autem est sacerdos saecularis, eoque deficiente, regularis [3]. Non item si impeditus fuerit ad breve tempus. Cavit autem Trid. Synodus ut ubi nulla huic officio deputata praebenda reperiatur, praebenda quomodocumque, praeter quam ex causa resignationis, primo vacatura, ipso facto ad eum usum perpetuo constituta et deputata intelligatur. Quamobrem ex redditibus praebendae separanda est tertia pars fructuum, quae singulis lectionibus pro rata tribuitur vel detrahitur. Qua hora vero, quibus diebus lectionem habebit, si nolit choro cum

[1] *De Syn.* l. XIII, n. 9, 17.

[2] Cf. Collect. Lacens. vol. I, p. 350.

[3] S. Congr. Conc. 10 iunii 1876. (Acta, vol. X, p. 230).

aliis interesse, non idcirco ulla distributionum parte privabitur, quas sibi adquirunt qui chori officio actu intersunt ac serviunt, nisi obstet voluntas testatoris [1]. Imo vero eadem de causa nequit Canonicus Theologus ad Capituli negotia, procul a locis in quibus munus obtinet, allegari [2].

495. Ad Canonicum theologum proxime accedit Canonicus Poenitentiarius, qui excipiendarum confessionum in ecclesia cathedrali ordinaria potestate fruitur [3]. Decrevit in omnibus cathedralibus Poenitentiarium cum unione praebendae proxime vacaturae fore ab Episcopo instituendum, qui magister sit vel doctor, aut licentiatus in theologia vel iure canonico et annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui dum confessiones in ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur, ita ut nihil distributionum aliorumque etiam emolumentorum eidem decedat. Porro Poenitentiarius non potest suam potestatem delegare neque circa casus reservatos, a quibus nec ipse potest absolvere, sine speciali delegatione [4].

ARTICULUS III.

De relatione Capituli cum Episcopo sede plena.

496. Capitulum debet Episcopo reverentiam et obedientiam. Haec autem reverentia exhibetur in deferendo illi signa honoris, quae adeo sunt debita Episcopo, ut Canonici, quamvis exempti, ea minime denegare possint. Signa autem honoris in tribus potissimum

[1] Sac. Congreg. Conc. 20 sept. 1879. (Acta XIII, p. 90).

[2] S. Cong. Conc. apud Bened. XIV, Inst. 117, n. 55.

[3] Conc. Tridentinum Sess. XXIV, Cap. VIII *de Reform.*

[4] Nulla a iure canonico et Concilio Trid. forma praescripta est pro utriusque praebendae collatione; at in Italia et insulis adiacentibus tum praebenda theologalis tum poenitentiaria, obnoxia est concursui. Bened. XIII Const. *Pastoralis Officii.* Theologus debet esse doctor in sacra theologia; Poenitentiarius vero debet esse doctor vel licentiatus in sacra theologia aut iure canonico, et annos saltem 40 natus, nisi aliter necessitas aut utilitas postulet.

continentur: 1) in sede ei tribuenda in loco magis honorifico; 2) in assistentia eidem praestanda; 3) in eo associando ac deducendo.

Quoad praeeminentiam loci [1], statuit: *Episcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eisque in choro et in Capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis sit prima sedes et locus, quem ipsi elegerint et praecipua omnium rerum agendarum auctoritas.*

Quoad assistentiam, duo Canonici, si Episcopus velit, possunt ac debent illi assistere et inservire in omnibus quae respiciunt ipsius et Ecclesiae utilitatem. Hi possunt ab Episcopo secum duci et apud se detineri sive ad functiones celebrandas, sive ad negotia tractanda, sive ad dioecesim lustrandam. Praeterea ex dispositione Concilii Tridentini [2] tenentur Canonici Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et inservire. Nomine autem pontificalium veniunt omnes illae functiones in quibus Episcopus utitur insignibus pontificalibus, ex. gr. mitra et baculo. Quamvis autem Episcopo pontificalia exercenti ex Tridentino omnes Canonici tenentur assistere, tamen teste Card. de Luca, Episcopo talia exercenti extra ecclesiam cathedralem aliqui dumtaxat Canonici ei assistentiam praebere tenentur, ne ecclesiae cultus omnino deseratur.

Tertium signum honoris exhibendum a Capitulo est associatio seu deductio. Hinc cum Episcopus ad celebrandum pontificaliter accedit, tenentur Dignitates, Canonici et alii Portionarii illum associare ad ecclesiam cathedralem, illi obviam ire et quidem usque ad eius palatium aut aulam ad id destinatam, quamvis palatium non sit contiguum ecclesiae, dummodo non sit distans ultra centum sexaginta passus, tunc enim deberet associari ex aliquo loco ad id designato prope ecclesiam vel in ecclesiae ipsius atrio. Post peractam vero rem sacram, debet Capitulum Episcopum recedentem comitari usque ad portam ecclesiae.

Praeter reverentiam debet Capitulum Episcopo obedientiam,

[1] Synodus Trid. Sess. XXV, Cap. VI *de Ref.*

[2] Sess. XXIV, Cap. XII *de Reform.*

quae in duobus potissimum consistit nempe: 1) in iustis mandatis Episcopi excipiendis et observandis; 2) in eiusdem iudicio subeundo. Itaque Capitulum debet parere Episcopo in exequendo eius mandato. Potest autem Episcopus mandare Capitulo omnia ea quae ratione status clericalis, officii et beneficii praestanda sunt vel a singulis Canonicis, vel a toto Capitulo iuxta sacros canones. Hinc potest iubere ut indicatur Capitulum, quando Episcopus vult Canonicis aliquid proponere, item ut petatur facultas ab ipso vel eius Vicario Generali cogendi Capitulum in diebus extraordinariis. Potest ex iusta causa inhibere ne convocetur Capitulum, item poenis et censuris cogere Canonicos ad praestandum sibi exemplar actuum Capitularium. Ad haec: potest mandare Canonicis ut intersint concioni tempore adventus et quadragesimae, ut intersint processionibus ab Episcopo de consilio Capituli, licet non de eiusdem consensu indictis, pro publico honore, bono vel commodo, aliisque. Potest mandare ne plures simul sine sua licentia vacationes trimestrales sumant, ne chorus nimis infrequens fiat, ac divinus cultus minuatur, et potest etiam praecipere quota pars debeat semper in choro interesse.

497. Quod vero attinet ad eius iudicium subeundum, forum competens Capituli est tribunal Episcopi, unde si iuridice Capitulum vel Capitulares citentur, in eo tribunali tenentur comparere. Excipe, nisi per legitimam appellationem, vel legitimam recusationem Capitulares vel Capitulum Episcopi iudicium declinare valeant. Diximus *legitimam* appellationem; nam appellatio frivola, quae sit a sententia interlocutoria, item quae sit in causis seu factis notoriis, aut ubi tantummodo agitur de executione legis, non admittitur [1]. Pariformiter non admittitur ea appellatio, quae deficit in substantialibus appellationis, quae sunt quinque, nempe primo ut interponatur a legitima persona; secundo ut interponatur intra debitum tempus, scilicet a iure concessum; tertio ut proponatur coram legitimo iudice; quarto ut fiat ad legitimum iudicem; quinto ut ser-

[1] PHAEBEUS tit. 15 *de App.*

vetur debita forma, ex. gr. ut fiat in scriptis et aliquando cum expressione causae.

498. Quoad modum vero instituendi iudicium, etsi Concilium Tridentinum[1] statuerit *ut Capitulum initio cuiuslibet anni eligat ex Capitulo duos de quorum consilio et assensu Episcopus vel eius Vicarius,* quando extra visitationem processerit contra Capitula cathedralium illorumque personas, *tam in formando processum, quam in ceteris omnibus actibus usque ad finem causae inclusive coram notario* ipsius Episcopi *aut in eius domo aut consueto tribunali procedere teneatur,* tamen haec conciliaris dispositio habet locum in iis dumtaxat Capitulis, quae ex Apostolicis indultis exempta sunt a iurisdictione Episcopi ordinaria atque immediate subiecta Sedi Apostolicae. Ceterum illa Capitula, quae huiusmodi privilegium non habent, eo decreto minime comprehenduntur[2]. Unde cum Capitulo non exempto ea forma iudicii adhibenda est, quae instituitur iuxta sacros canones cum quolibet clerico immediate Episcopo subiecto.

499. Quoad poenas in iudicio contra Capitulum decernendas, notandum est, Capitulum non posse ab Episcopo excommunicari, quia communitas seu universitas qua talis excommunicari non potest, ut expresse decernitur in Cap. *Romana* de sent. excom. in 6. Diximus ab Episcopo, potest enim a Romano Pontifice. Potest tamen ab Episcopo Capitulum qua tale suspendi vel interdici. Cum suspenditur, non singuli capitulares a propriis et personalibus officiis ac beneficiis suspenduntur, sed corpus ipsum, ita ut si suspensio sit a beneficio, Capitulum privatur fructibus eius vel eorum beneficiorum quae habet ut unita; si sit ab officio, privatur usu iurisdictionis et consequenter impeditur ne actus eius rati ac validi sint; si sit a divinis, simpliciter prohibetur Capitulo exercere ea divina officia solita exerceri a communitate capitulari qua tali: ex quo sequitur, quod particulares ac singulares Canonici, licet ut tales non sint ligati a tali suspensione, tamen non possint nec fru-

[1] Sess. XXV, Cap. VI *de Reform.*

[2] Cf. Barbosa *de Can.* cap. VIII; Card. de Luca disc. 44 *Ann. ad Conc.*

ctus beneficii capitularis percipere, nec actus iurisdictionis capitularis exercere, nec functiones capitulares administrare respective. Quando vero Capitulum qua tale interdicitur, tunc interdictum non est particulare, sed generale; ex vi talis censurae manent interdicti singuli capitulares ut partes capituli sunt. Ceterum censuris parce uti debent Ordinarii ex Tridentino[1].

500. Postquam vidimus quid debet Capitulum Episcopo, superest videre: 1) quid possit Capitulum sine et cum Episcopo; 2) quid non possit Episcopus sine Capitulo.

Capitulum sede episcopali plena, sicut nihil potest statuere de iis rebus quae ad dioecesis vel dioecesanorum regimen pertinent, ita cum dependentia ab Episcopo potest minora quaedam quae pertinent ad bonum ordinem et regimen Capituli statuere, etiam sine expresso consensu et confirmatione Episcopi.

Graviora autem quae spectant ad Ecclesiae Cathedralis commodum et ad observantiam consuetudinum, non potest Capitulum nec decernere, nec immutare, aut quidquam circa illa statuere, sine consensu Episcopi.

Quaenam vero sint ea minora refertur a Reiffenstuel Tit. II, *de Const.* eaque sunt, ex. gr., quod certo modo quotidianae obventiones distribuantur, quod tali ordine Canonici ad chorum vel Capitulum vocentur, universim ea fere omnia quae concernunt ordinationem chori, ex *Rota* 3 decemb. 1593 coram Corduba.

Ea vero graviora quae nequeunt statui a Capitulo, sed necessario requirunt consensum Episcopi, universim explicuit Suarez per ea verba: *quae spectant ad Ecclesiae cathedralis commodum* et ad observantiam antiquarum consuetudinum; ex. gr. non potest Capitulum concedere ut Canonici absint ultra tres menses a residentia; non potest permittere extinctionem seu affrancationem quam vocant pensionis relictae fabricae sacristiae, vel ecclesiae, sicut nec distrahere commodando vel locando mobilia aut suppellectiles pretiosas eiusdem ecclesiae vel sacristiae; nequit admittere

[1] Sess. XXV, Cap. III de Reform.

fundationes missarum et anniversariorum; imo probabilius videtur quod sine tali consensu et sine solemnitatibus nequeat repudiare rerum immobilium sive pretiosarum haereditatem, vel legatum, vel donationem factam Ecclesiae.

501. Vidimus quid possit Capitulum sine consensu Episcopi. Exposcit iam ordo doctrinae ut videamus quid non possit Episcopus sine Capitulo. Quamvis enim Episcopus in exercitio suae iurisdictionis non pendeat a Capitulo, attamen debet aliquando necessario requirere consensum vel consilium Capituli, in iis casibus, in quibus ius expresse alterutrum exigit. Porro consensus stat in hoc quod maior et sanior pars Capitularium approbet illud quod proponitur; consilium vero stat in hoc quod ante rem statuendam adhibeatur consultatio cum Capitularibus capitulariter congregatis. Hinc quando requiritur consensus, tenetur Praelatus sequi id quod maior et sanior pars capitularium decreverit, alioquin invalide aget, ex Cap. 1 *de his quae fiunt a Praelato;* quando vero requiritur consilium, sola consultatio sufficiet ad validitatem actus absque eo quod Praelatus eorum opinionem sequi teneatur, ita tamen ut irritus sit actus, si Praelatus tale consilium seu consultationem non adhibeat, ex Cap. *Novit* de his etc.

502. Iamvero ius expresse exigit consensum Capituli: 1) In alienatione rerum ad Ecclesiam vel Capitulum vel mensam episcopalem pertinentium, dummodo res sint immobiles vel mobiles pretiosae. Praeterea talis Capituli consensus debet esse expressus in alienatione perpetua, qualis est *donatio, venditio* et *commutatio;* sufficiet vero consensus tacitus, id est consensus scientis et non contradicentis, in alienatione temporali, qualis est *locatio* vel *oppignoratio*[1]. 2) In collatione beneficiorum, si ea communiter spectet ad Episcopum et Capitulum ipsius. 3) In suppressione canonicatuum et unione beneficiorum simplicium propter tenuitatem praebendarum in Cathedralibus et Collegiatis insignibus[2]. 4) In unione bene-

[1] Cf. Schmalzgruebr, lib. III *Decret.* tit. 20.

[2] Ex Trid. Sess. XXIV, Cap. XVI *de Reform.*

ficiorum ex aliis causis facienda, ex. gr. ob evidentem necessitatem vel utilitatem, ex Cap. *Exposuisti* de praeb., ubi notandum posse quidem Episcopum unire beneficia simplicia praebendis ecclesiarum cathedralium ob ipsarum tenuitatem cum consensu Capituli, at non posse eadem unire mensae episcopali vel ipsi Capitulo, ex iuribus et DD.[1]. 5) Necessarius est consensus Capituli, si agatur de augendo vel minuendo numero Canonicorum. 6) Si agatur de negotiis in quibus Ecclesiae et successoribus notabile praeiudicium infertur. 7) Item Episcopus indiget consensu Capituli in ferendo praeceptum de observando aliquo festo particulari. Attendenda vero est in decernendis festivitatibus Constitutio Urbani VIII *Universa*, qua cavetur ne festa nova praeter ibidem enumerata decernantur ab Episcopo, vel alio Ordinario: ex iis vero quae de consuetudine celebrantur in aliquo loco non est sub obligatione, nisi festum, quod celebratur pro uno de principalibus Protectoribus. 8) Requiritur consensus Capituli in subrogandis novis examinatoribus, etc., extra synodum, ex decreto Clementis VIII, an. 1593[2]. Et quidem si in examinatoribus propositis ab Episcopo fuerint qualitates requisitae a Concilio Trid., iniuste a Capitulo negaretur consensus, et in tali casu praxis est ut fiat recursus ab Episcopo ad sacram Congregationem, quae dat licentiam supplendi dictum consensum, vel cogit Capitulum ad consentiendum. Imo Pignatellus[3] ita docet: *ex quo Ordinarius nominaverit Examinatores et institit penes Capitulum ut praestet consensum atque illum sine causa praestare recusavit, habentur pro legitime deputatis, etiam dicto consensu non interveniente, iste enim consensus debet concedi ex iustitia et ideo pro concesso habetur si praestari differatur.* Quod si in examinatoribus propositis ab Episcopo non adsint qualitates requisitae a Concilio et de hoc constet, debet Episcopus alios proponere. Ad extremum notetur in hac re, quod consensum semel praestitum valide, non potest amplius Capitulum revocare, re non

[1] Apud Reiffenstuel, lib. III. *Decret.*, tit. de his, etc.

[2] Apud Iordanum, lib. 10, T. 3.

[3] Tom. II, cons. 119.

integra [1]. 9) Debet Episcopus habere consensum Capituli, si aliquid innovandum esset contra privilegium a Superiore concessum Capitulo, vel contra legitimam Capituli consuetudinem. Verum hac in re praescriptionis praecipua ratio habenda est.

503. Superest ut inspiciamus quando et quibus in casibus debeat Episcopus adhibere consilium Capituli. Porro ex iure novo [2], Episcopus de consilio Capituli debet providere ut habeatur lectio sacrae Scripturae vel Theologiae, et magistrum eligere qui grammaticam Clericos doceat. Item debet eius consilium adhibere in distinguendo praebendas canonicales in subdiaconales et presbyterales; in processionibus edicendis, decernendis, dirigendis, etc. Necessitas vero rei inexistens exigit consilium Capituli quando res est ardua et ad Ecclesiae administrationem pertinens.

Demum hactenus dicta locum habent quando Episcopus procedit iure suo ordinario, nam in casibus in quibus procedit ut delegatus Sedis Apostolicae, nullam Episcopus habet communionem cum Capitulo et sic non indiget eius vel consensu vel consilio [3].

ARTICULUS IV.

De relatione Capituli cum Dioecesi sede vacante et praecipue de Vicario Capitulari.

504. Ut primum sedes episcopalis vacat sive per obitum, sive per renunciationem, sive per translationem Episcopi [4], eius tota potestas sive ordinaria sive delegata a iure (non vero speciatim man-

[1] Cf. DE LUCA discept. I *de Canon.*

[2] Trid. Sess. V, Cap. I *de Reform.*

[3] FAGNANUS in Cap. *Ad audientiam* de Eccl. aedif. n. 33.

[4] Sede impedita, seu cum Episcopus vinculo suae Ecclesiae non quidem solutus, sed tamen vi externa impeditus est in suo munere exercendo, Capitulum nequit Vicarium Capitularem constituere, id siquidem nonnisi dirempto spirituali Episcopi cum sua Ecclesia coniugio fieri debet. In uno speciali casu Capitulum, sede impedita, Vicarium constituere debet, scilicet cum Episcopus a paganis vel schismaticis vel haereticis captus est. Sed statim Summus Pontifex ea de re moneri debet, qui aut Vicarium a Capitulo deputatum confirmabit, aut alium administra-

data) ad Capitulum cathedralis ecclesiae devolvitur et ab eo in Vicarium capitularem privative atque irrevocabiliter, quem inter octiduum eligere tenetur [1]. Quamvis vero Capitulum ad unum tantum membrum fuisset reductum, potest hoc Vicarium deligere, dummodo non eligat se ipsum [2].

505. Diximus privative atque irrevocabiliter, nullam siquidem iurisdictionis partem potest Capitulum sibi reservare, neque ad certum et definitum tempus Vicarium ipsum constituere, multoque minus removere, sed ipse in officio permanere debet quousque novus Episcopus litteras apostolicas de collato sibi episcopatu Capitulo, vel Capitulo deficiente, ei exhibuerit qui ad normam sacrorum canonum, vel ex speciali S. Sedis dispositione vacantem dioecesim administrat, vel eiusmodi administratorem seu Vicarium deputat [3]. Ad libitum vero Capituli est tempus octidui restringere, dummodo in fraudem id non fiat, vel totum impendere; non potest autem terminum ipsum prorogare. Hinc si intra illud temporis spatium Vicarium non constituerit, vel non confirmaverit Vicarium existentem, ipsius electio devolvitur ad Metropolitanum, et si Ecclesia ipsa metropolitana vacet, aut exempta, antiquior Episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior in exempta, Vicarium constituet, nisi re integra praeveniat Capitulum, moram purget et Vicarium constituat [4]. In casu absentiae, Vicarius ipse, non Capitulum alium loco sui deputare potest.

torem dabit. Excipiendi sunt autem casus: 1) si taliter captus non ita arcte custodiatur, ut ipsi eiusque dioecesanis facile non sit saltem per litteras inter se agere, tum enim Episcopi iurisdictio nec suspensa, nec ad Capitulum devoluta censebitur. S. Congr. Conc. 7 Aug. 1683. 2) Si captus Episcopus Vicarium Generalem reliquerit, qui dioecesim administret. Cf. decretum Sac. Congr. Epp. et Reg. die 3 Maii 1862, quo electiones Vicariorum Capitularium in regno Neapolitano, Episcopis e suis sedibus eiectis, factae, nullae et irritae, electores vero, nec non ipsi electi Vicarii, censuras incurrisse declarantur.

[1] Pius IX, Constitutio *Romanus Pontifex,* 5 kal. Sept. 1875.

[2] Sac. Congr. Conc. 12 Martii 1672.

[3] Pius IX, Const. cit.

[4] Ex Garcia p. II, cap. 7.

Porro tempus octidui currit non a die notae vacationis, sed a die scientiae de vacatione, quae quidem scientia debet esse certa et non sufficit praesumpta. Hinc quando agitur de vacatione per translationem, duo meminisse oportet. Alterum est, tempus octidui decurrere a die quo Capitulo innotuit, Episcopum fuisse per Summum Pontificem in Consistorio absolutum a vinculo prioris Ecclesiae, etiam nondum capta possessione alterius Ecclesiae, imo nec litteris expeditis: alterum est, notitiam certam de tali absolutione inesse Capitulo censeri, quando id innotuerit etiam ex testimonio seu documento Secretarii Sacri Collegii.

506. Praeter Vicarium Capitularem debet etiam Capitulum ad formam Concilii Tridentini unum vel plures oeconomos de suo gremio deputare, sede vacante, ad curam gerendam rerum temporalium ecclesiae cathedralis.

507. His autem preenotatis, inquiremus: 1) quomodo facienda sit electio Vicarii a Capitulo; 2) quis et qualis eligi debeat in Vicarium ; 3) quaenam ei insit potestas et iurisdictio : 4) denique quando Vicarii Capitularis officium expiret.

508. Iam in electione Vicarii non est necessarium ut ea fiat per vota secreta, requiritur tamen et sufficit pluralitas votorum. Notat Pignatellus [1] quod si aliquis propter non habitam pluralitatem votorum fuerit invalide electus, non potest haec electio revalidari per subscriptionem litterarum patentium factam a maiori parte Canonicorum, quia vota dari collegialiter debent et in Capitulo, ita ut non sufficiat consensus postea datus a Canonicis ut a singulis. Porro illud tenendum est vitiari [2] electionem et reddi nullam, si aliquis idoneus reiiciatur a numero concurrentium et eligendorum.

509. Quoad requisitas qualitates, Vicarius debet eligi qui saltem sit doctor aut licentiatus in iure canonico vel alias quantum fieri poterit idoneus, et si unus tantum sit his qualitatibus praeditus in Capitulo, ille eligi debet; si secus, poterit eligi extra gremium ipsius

[1] PIGNATELLUS t. I, consult. 25, n. 7.

[2] Ex eod. PIGNATELLO tom. VI, consult. 92.

Capituli. Ceterum illae qualitates quae in Vicario Generali exquiruntur, etiam Vicario Capitulari inesse debent.

510. Quoad eius vero potestatem, notandum quod Vicarii Capitularis iurisdictio non solum est similis potestati Vicarii episcopalis, sed etiam ipsa est amplior. Sane sine speciali mandato Capituli, Vicarius ea potest exercere, quae sine mandato Episcopi Vicarius Generalis peragere non potest. Speciatim potest Vicarius Capitularis concursum ad paroecias indicere et celebrare; potest a patronis praesentatos instituere; visitat dioecesim post annum a postrema visitatione interlapsum; Synodum dioecesanam indicere potest post anni lapsum, non autem provincialem, cuius cogendae ius non Capitulo metropolitano, sed antiquiori provinciae Episcopo tributum est. Tandem iure Conc. Trid. Vicarius Capitularis a die quo sedes vacare coepit dimissorias ad ordines suscipiendos dat tantum *arctatis,* vel occasione beneficii recepti, hoc est iis qui beneficium obtinent cuius causa intra certum tempus promoveri ad certum ordinem debent, vel occasione beneficii recipiendi, puta iis qui nullum quidem beneficium obtinent, sed a patrono praesentantur ad beneficium quod certum praesentemque ordinem requirit; non posset autem eas concedere arctatis pro assequenda pensione. Post annum vero etiam aliis titulo patrimonii vel pensionis etc. , si id necessitas Ecclesiae vel utilitas exposcat. Potest autem intra sedis vacantis annum concedere dimissorias ad primam tonsuram non arctato. Ubi Conc. Trid. receptum non est, Vicarius Capitularis poterit intra annum sedis vacantis concedere dimissorias etiam non arctatis, ex dispositione iuris communis expressa in Decretali Bonifacii VIII [1], cui decretali, ubi Trid. est receptum, derogatum est ab eodem. Ita potest eas expedire cui ab Episcopo in mortis articulo concessae fuerunt. Potest denique dispensare ab interstitiis. Cum vero nequeat ea peragere quae innovationem vel alienationem sapiunt, hinc sequitur: 1) Vicarium Capitularem non posse beneficia conferre, quae sede viduata pastore vacant vel quae antea vaca-

[1] Cap. 3 *Cum nullus* de temp. ordin. in 6.

verint; 2) non potest alienare bona et iura ecclesiae cathedralis, nec bona mensae transferre ad mensam Capituli, nec litem inchoare aut inchoatam prosequi super Ecclesiae bonis nec excardinare sacerdotes. 3) Abstinere debet ab erigendis Confraternitatibus eorumque statutis probandis [1].

511. Quoad praeeminentias notasse sufficiat eidem deberi praecedentiam super omnes de Capitulo, excepta Dignitate, vel alio qui Capitulum repraesentet [2]. Ei competit tam in choro quam in processionibus locus a sinistris Dignitatis, vel si prima Dignitas SS. Eucharistiae Sacramentum deferat, a sinistris primi et dignioris Canonici Capitulum repraesentantis [3].

512. Denique Vicarii Capitularis officium cessat cum vacantis sedis vel administrator datus, vel novus Antistes litteras apostolicas suae nominationis Capitulari Vicario ostenderit. Huic ipse administrationis suae rationem reddere tenetur.

[1] Sac. Congr. Ind. decr. 13 nov. 1878 prob. Leone PP. XIII. Vicarius non tenetur ad applicationem missae pro populo. Sac. Rit. Congr. 12 nov. 1831.

[2] Sac. Rit. Congr. 12 iunii 1638, 2 apr. 1667.

[3] Sac. Rit. Congr. 16 martii 1658. In expediendis actibus vicarialibus debet Vicarius uti sigillo capitulari. Sac. Rit. Congr. 28 martii 1709.

TITULUS III.

De Collegiis Ordinis Administrativi.

513. Ad rem ecclesiasticam administrandam non modo Romanus Pontifex, sed etiam Episcopi, Archiepiscopi etc. collegia seu Congregationes constituere solent, quibus negotiorum ecclesiasticorum expeditionem committunt. Haec collegia seu Congregationes Curiam ecclesiasticam efformant. Curiae nomen a celeberrima curia romanae reipublicae mutuatum est, quae duplex fuit, altera nempe pro negotiis religiosis, altera pro negotiis politicae administrationis gerendis. Est igitur nobis tum de Curia Romana tum de Curiis dioecesanis agendum.

CAPUT I.

DE ROMANA CURIA.

514. Hic agimus de Curia Romani Pontificis, quatenus R. P. est Caput totius Ecclesiae.

Nomen Curiae sumimus stricto sensu, et illa munera comprehendimus quae ordinantur ad exercendam iurisdictionem contentiosam vel voluntariam, vel ad exercendam potestatem proprie executivam seu administrativam: adeo ut Curia Romana dividatur in *Officia, Tribunalia, Congregationes.* Ad Officia curiae pertinet actorum R. Pontificis executionem curare, ad Tribunalia iurisdictione contentiosa ius dicere, ad S. Congregationes leges latas applicare atque interpretare, vel etiam lites expedire quatenus istae viam praepediant legum applicationi [1].

515. Antiquitus pro negotiis ecclesiasticis explendis Romani Pontifices opera utebantur et Conciliorum et praesertim praesbyterii Romani usque dum Cardinalitia dignitate constituta, Cardinales Romani Pontificis Senatum efformaverunt cuius opera R. Pontifex ute-

[1] Cfr. Lega Praelectiones lib. 1, volum. 2°.

batur etiam in certis determinatis negotiis explendis. Antequam R. Pontifices et praesertim Sixtus V. celeberrima constitutione « *Immensa* » Cardinales in Congregationes distribueret ad certum negotiorum genus tractandum, Cardinales in unum convocabantur ad negotia explenda: eorum Conventus appellabatur *Consistorium*. Ante Consistorium iam existebant Officia, ex Consistorio orta sunt Tribunalia, et dein Congregationes proprie dictae constitutae sunt.

ARTICULUS I.

De Officiis.

516. Ad Curiae officia pertinet Secretaria Status, Secretaria Memorialium, Secretaria Brevium, Cancellaria Apostolica, Dataria Apostolica, Poenitentiaria Apostolica.

§ 1. — *Secretaria Status.*

517. Status Secretaria est officium quo Summus Pontifex cum aliis Principibus agit ad concordiam fovendam in vinculo fidei pro christianis moribus conservandis et tuendis praesertim inter catholicos. Quod fit vel mediis Nunciis Apostolicis aut aliis Legatis, vel per acta quae ab eadem Status Secretaria dantur. Negotia vero graviora et extraordinaria ex consultu S. Congregationis negotiis eccl. extraordinariis praepositae expediuntur. Praeter Secretarium hoc officium etiam Substitutum, aliosque officiales habet.

§ 2. — *Secretaria Memorialium.*

518. Huius Officii scopus est responsio quae a R. Pontifice directe ad supplices libellos pro recursibus ac querelis datur, vel supplicum libellorum transmissio alteri officio vel competenti S. Congregationi ut iuxta proprium stylum et ordinarias facultates negotium expediant.

§ 3. — *Secretaria Brevium.*

519. Hoc Officium incumbit in expediendas litteras Pontificias illis adhibitis formae solemnitatibus quibus Brevia a Bullis distinguuntur. Secretaria Brevium erecta est pro expediendis brevibus, continentibus dispensationes quoad aetatem, illegitimitatem: saepe

concurrit cum Dataria. Interdum officium Secretariae Brevium unitum est cum officio Secretariae Status.

§ 4. — *Cancellaria Apostolica.*

520. Antiquitus usque ad saeculum XII Cancellariae cura erat expedire litteras et diplomata pontificia pro expeditione graviorum negotiorum, quae in Consistorio deliberabantur. Saeculo XIII et XIV fere omnia beneficia maiora Romano Pontifici reservata sunt. Ioannes 22 regulas Cancellariae constituit quibus huius Officii competentia determinabatur. Hinc ne confusio gigneretur ob innumeras petitiones et concessiones beneficiorum aliarumque gratiarum, officialis constitutus est ad determinandam datam collationis certi beneficii unde nomen Datarii et officii Datariae, quod sua natura ordinatum fuit ad praeparandas concessiones beneficiorum aliarumque gratiarum seu dispensationum, sed expeditio per Bullas fit a Cancellaria. Si agitur de beneficiis consistorialibus Cancellaria bullas expedit postquam decreta collationis ab ipso Consistorio exceperit; si agitur de beneficiis minoribus vel de aliis promissionibus decreta accipit Cancellaria a Dataria Apostolica. In officio Cancellariae praeest Cardinalis qui dicitur Vice-Cancellarius. Postea primum locum tenet Cancellariae Regens qui bullas examinat et si quis error irrepserit tunc corrigit, illos absolvit qui inculpabiliter in Regulas Cancellariae errarunt, aliasque gratias concedere potest. Sequuntur inde Officiales inter quos adsunt Praesidentes *de parco Maiori,* vel Abbreviatores: eorum est scribere litteras apostolicas breviaturis consuetis utentes. Hi subscribunt fere omnes Bullas per Cancellariam emissas. Accedit depositarius generalis plumbi et Plumbator cum Bullae plumbeo sigillo sigillentur. Ad Cancellariae Officiales pertinet etiam *depositarius generalis vacabilium.* Cum enim antiquitus Aerarium Pontificium inopia premeretur, Romani Pontifices munera nonnullorum officialium venalia non quoad administrationem sed quoad redditus qui ex taxis colliguntur quae a fidelibus ob gratias vel beneficia accepta solvuntur, reddiderunt, ac illa officia tribuerunt digno atque idoneo, qui in antecessum solveret pecuniae summam

respondentem redditibus ab officiali in officii administratione percipiendis.

Quae concessio non in perpetuum seu cum iure officium transmittendi ad haeredes facta fuerat, sed quousque morte naturali vel iuridica officium vacaret. Ita haec officia dicta sunt vacabilia ut ab aliis officiis civilibus capitolinis distinguerentur, quorum exercitium ad heredes vel per se vel per alterum consensu tamen superioris pertinebit. Hodie pauca habentur in Curia officia venalia vacabilia, sed aliqua habebantur penes Datariam, Cancellariam. Memorandus est *Motus proprius* Leonis XIII diei 4 Iulii 1898 quo solemniter edicuntur abolita vacabilia officia.

§ 5 — *Dataria Apostolica.*

521. In Dataria nonnullae gratiae promiscue conceduntur cum Secretaria Brevium Decretorum; aliae vero privative a dataria expediuntur. Sicuti Cancellaria Apostolica dici potest Officium *gratiae expeditae*, ita Dataria officium dicitur *gratiae concessae*. Ad Datariam Apostolicam pertinet privative 1. Collatio beneficiorum minorum quae ex Regulis Cancellariae aut ex iure communi sunt S. Sedi reservata, confirmationes indultorum et privilegiorum antea concessorum. 2. Omnes dispensationes concedendas in foro externo quoad matrimonii impedimenta, quoad irregularitates, vota et iuramenta. 3. Similiter quoad res beneficiales concedit beneplacita apostolica super alienationibus aliisque conventionibus in bona beneficialia quando valor excedat summam decem ducatorum auri de Camera. 4. Tandem alia expedit necessaria negotia unius aut alterius recensiti generis.

522. Decisiones quae a Dataria promanant, ipsius Pontificis immediate auctoritatem habent; hinc non datur appellatio, querela nec aliud remedium ad impugnanda acta Datariae ratione nullitatis, aut cuiuslibet alterius actionis. Constat Cardinali Prodatario qui tempus datae gratiae adnotat, Praelato Subdatario cuius est Brevia subscribere et Transumpta Datariae ac vices-Datarii in genere fungitur, Auditore qui de mandato Cardinalis Prodatarii aliqua negotia explet.

Officialis qui negotia beneficialia maiora tractat hodie ex dispositione Leonis XIII ab anno 1898 appellatur Officialis beneficialium et Consultor legalis. Si quis impugnare vellet collationem beneficii quod ad se pertinere putat, per se vel per procuratorem in Dataria apponit clausulam *Nihil transeat*. Effectus est suspendere expeditionem litterarum Apostolicarum. Ille contra quem suspensio expeditionis obtenta est citat opponentem petens: lacerari nihil transeat etc. Sequitur contentio inter opponentem eiusque procuratorem et adversarium eiusque procuratorem. Si controversia ardua sit, negotium vel ad S. C. Concilii vel ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium remittitur.

§ 6. — *De Poenitentiaria Apostolica.*

523. A Sacra Poenitentiaria absolutiones conceduntur a casibus Romano Pontifici reservatis, dispensationes ab impedimentis matrimonii occultis, vel etiam ab impedimentis notoriis si oratores pauperes, absolutiones ab irregularitatibus ex homicidio, et a simoniacis beneficiorum collationibus [1]. Ceterum certum est quod ea quae decernuntur pro foro externo regulariter et de se valent quoque pro foro interno, sed non viceversa [2]. S. Poenitentiariae officium constituunt Maior Poenitentiarius Cardinalis, et Regens quibus cooperantur Theologus, Datarius, Canonista, Corrector, Sigillator, ac nonnulli Secretarii et Scriptores nec non Minores Poenitentiarii, qui in tribus Romae Basilicis ad audiendas confessiones cum certis facultatibus a Maiori Poenitentiario constituuntur.

ARTICULUS II.

De Sacris Tribunalibus.

524. Ad Sacra Tribunalia pertinent Rota Romana, Signatura iustitiae, Signatura gratiae ac Camera Apostolica quaeque propriae

[1] Benedictus XIV Constit. *Pastor bonus* anni 1744. Cfr. Constit. *In Apostolica* 1744.

[2] Cfr. D. Thom. Quodl. I, 12; Suarez *De cens.* 41.

Curiam iustitiae constituunt, sicut Officia supra enarrata dicuntur ad Curiam gratiae pertinere.

§ 1. — *De S. R. Rota.*

525. Hoc Tribunal a Ioanne XXII. anno 1326 constitutum est ad recognoscendas ac decidendas contentiones in forma iudiciali. Circa nominis originem inter doctores quaestio est [1]. Eius membra auditores ab antiquo officio appellantur audiendi causas et ad Romanum Pontificem referendi. Sixtus IV voluit ut 12 essent quibus praeest antiquior qui decanus nuncupatur. Hoc Tribunal cognoscit de causis ut plurimum civilibus quas ipsi iudicandas tradit expresso mandato Romanus Pontifex; atque hoc speciale habet « ut causae in prima seu ulteriori instantia in illa terminatae, in gradu appellationis in tertia, ulterioribus instantiis in eodem iterum committi debeant » [2]. Eius iurisdictio est ordinaria in cognoscendo, sed delegata in pronunciando. Tribunal S. Rotae censetur uti a S. Sede distinctum, adeo ut ab eius sententia ad Romanum Pontificem proprie appellari potest. S. Rotae Tribunal semper iuxta ius latum sententias rigorose edere debet, quod in aliis Congregationibus non verificatur in quibus aliquando a iuris rigore declinari solet. Huius Tribunalis proprium est: 1) Ut nulla causa per se ei subiaceat nisi specialis Romani Pontificis commissio interveniat; 2) illas causas iudicat quae ad Romanum Pontificem perlatae ab eodem Romano Pontifice ei assignantur ut cognoscantur et terminentur. Quare hoc Tribunal non procedit ad partium instantiam, nec publice advocatos et procuratores audit, sed scriptas probationes ac defensiones recipit partiumque advocatos privatim audit. Huic Tribunali causae omnes spirituales totius orbis committuntur, speciatim vero causae civiles ex Statu Ecclesiastico committebantur. Notat clarissimus De Luca quod etiamsi eius sententiae vim Pontificiam non haberent, tamen ob legum scientiam ac iudicum integritatem, magnam

[1] Cfr. De Luca Relat. Cur. p. 2. disc. 22; Bouix de Romana Curia; Andreucci Hierarchia.

[2] De Luca Praelectiones L. 1.

auctoritatem ac celebritatem in toto Orbe eius sententiae consecutae sunt [1].

Verum cum ob recentiorem rerum publicarum eversionem, Sanctae Sedis civilis principatus ablatus fuerit, tribunalia ordinaria quiescere coeperunt. Quare S. Rotae Tribunal a Romano Pontifice Lone XIII adiunctum est ad S. Rituum Congregationem ut cum voto deliberativo decidat collegialiter ac iuxta SS. CC. stylum quaestiones circa valorem iuridicum processuum qui in causis beatificationis ac sanctificationis conficiuntur. Quaestiones etiam circa praesertim praeeminentias aliaque iura, aliquando Cardinalis Praefectus S. Congregationis Sacrorum Rituum ad Sacram Romanam Rotam remittit.

§ 2. — *De Signatura Iustitiae.*

526. Signatura iustitiae est quoddam Tribunal supremum institutum ad quaestiones decidendas circa res ecclesiasticas, vel etiam in Statu Pontificis res profanas tractandas [2]. Alexander VI anno 1492 hoc tribunal a Signatura gratiae distinxit. In Negotiis civilibus omnia Tribunalia Status non exclusis Rota Romana, Camera Apostolica, Signaturae iustitiae subdebantur. Quoad Negotia ecclesiastica S. Congregationes huic Tribunali non subduntur. Constat hoc Tribunal ex Cardinali Praefecto ac pluribus Praelatis qui dicuntur votantes signaturae, aliisque referendariis.

§ 3. — *De Signatura Gratiae.*

527. Signatura Gratiae est Tribunal ipsius Romani Pontificis, quo gratiae extraordinariae conceduntur etiam in rebus contentiosis in quibus Supremi Pontificis auctoritas requiritur, veluti si facultas appellandi impertiatur in ea causa in qua appellatio non admittitur. Ad Signaturam gratiae cui praeest ipse R. Pontifex perti-

[1] De Luca Relat. Cur. p. 2, disc. 22; De Luca Praelectiones h. loco.

[2] Cfr. De Luca op. cit., disc. 31.

nent Cardinalis Poenitentiarius Praefectus, Cardinalis Vicarius, aliique Cardinales, aliique Praelati qui votantes appellantur.

§ 4. — *Camera Apostolica.*

528. Hoc Tribunal quod Aerario praeest, iurisdictionem in quasdam causas praesertim fiscales habet. Antiquitus hoc munus ad archidiaconum pertinebat, hinc ad Cardinalem Camerarium vel Camerlengum etiamsi de facto administratio Thesauri ad Camerae Auditorem pertineret. Hodie ex universa Ecclesia ad Cardinalem Camerarium cui praeter Auditorem alii subsunt iudices ac Clerici de Camera, lites deferri possunt inter fiscum ac privatos. Cardinalis Camerarius Status regimen a morte Romani Pontificis suscipit.

ARTICULUS III.

De Sacris Romanis Congregationibus.

529. Praeter officia, ac Tribunalia hae enumerantur SS. RR. Congregationes nempe, Congregatio Concistorialis, Congregatio super promovendis ad Episcopatum, Congregatio S. Officii, Congregatio Indicis, Congregatio Concilii Tridentini interpres, Congregatio SS. Rituum, Congregatio Episcoporum et Regularium, Congregatio de Propaganda Fide, Congregatio super negotiis ecclesiasticis extraordinariis, Congregatio Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, Congregatio supra Residentia Episcoporum, Congregatio Immunitatis ecclesiasticae, Congregatio Caeremonialis, Congregatio Fabricae S. Petri, Congregatio Peculiaris Studiorum.

§ 1. — *Congregatio Consistorialis.*

530. « Consistorium, a consistendo, est Congregatio seu adunatio quae per Papam cum Collegio Cardinalium in forma Senatus in eius apostolico Palatio fit ». Triplex est Consistorium nempe Ordinarium seu secretum, publicum seu solemne, et semipublicum. Illud constat solum Cardinalibus Praefecto Romano Pontifice, ad istud etiam Praelati inferiores ac officiales Romanae Curiae intersunt. In pu-

blico Consistorio conceduntur a Romano Pontifice solemnes audientiae, excipiuntur Legati a Latere et Principes, galerum rubrum neo-Cardinalibus imponitur, et processus Canonizationis concluduntur. In Secreto Consistorio de novis Cardinalibus creandis, et de novis Episcopis eligendis agitur, nec non de Episcoporum renunciatione, translatione, depositione, de palii concessione, de novis erigendis, deque veteribus coarctandis dilatandisque episcopatibus concluditur. In hoc Consistorio Romani Pontificis allocutiones habentur, ac de gravibus negotiis in genere Romanus Pontifex agit. In Semipublico de causis Canonizationis agitur. Huic intersunt etiam Episcopi ac Archiepiscopi qui in Curia reperiuntur ac votum dare eis permittitur [1].

Congregatio Concistorialis, veluti praeparatio huic Consistorio, a R. P. Sixto V instituta est [2]: eius est examinare ac agere de negotiis de quibus in Consistorio decidendum est.

§ 2. — *Congregatio super promovendis ad Episcopatum.*

551. Haec Congregatio a R. P. Benedicto XIV instituta est [3]. Quinque Cardinalibus constat, eiusque officium est perquirere quinam ad Episcopatum promovendi sint. Eius Secretarius est Auditor Camerae Apostolicae. Verum hodie haec Congregatio abolita est, eiusque officium ad Sacram Congregationem S. Officii delatum est [4].

§ 3. — *Congregatio S. Officii seu S. R. Inquisitionis.*

552. S. Congregatio S. Officii seu Inquisitionis Universalis, Romae instituta est anno 1542 a Paulo III [5] praesertim contra haeresim Luteranam. Pius IV [6], Pius V [7], Sixtus V [8] hanc Congregationem

[1] Cardinal. De Luca Il Dottor Volgare; De Luca Praelectiones.

[2] Constit. *Immensa,* 22 Ian. 1588.

[3] Const. *Ad Apostolicae,* 17 Oct. 1740.

[4] Motus Proprius R. P. Pii X, 17 Dec. 1903.

[5] Const. *Licet ab initio.*

[6] Const. *Cum nos.*

[7] Constitutionibus *Inter; Cum felicis.*

[8] Const. *Omnes.*

adprobarunt ac pluribus privilegiis dotaverunt. Huius Congregationis Praefecturam gerit ipse Romanus Pontifex, nonnullis S. R. E. Cardinalibus qui generales inquisitores appellantur. Inter huius Congregationis Officiales enumerantur « Commissarius » iudex ordinarius, Assessor Commissarii Consiliarius, Fiscalis Notarius aliique. Accedunt Consultores et Qualificatores qui a S. Congregatione delegati censuram de scriptis editis ferunt [1]. Officiales omnes ac Consultores. sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, secretum servare tenentur. Ad hanc Sacram Congregationem omnes causae pertinent respicientes haereticam pravitatem, apostasiam a fide, magiam, sortilegia, divinationes, sacramentorum abusus etc. In pluribus cumulative cum Magistro S. Palatii aut S. Indicis Congregatione iurisdictionem exercet. Huius Sacrae Congregationis decreta vim legis habere doctores maxime notae docent [2], etiamsi eius decreta nec infallibilia nec irreformabilia sint. Aliter dicendum esset si R. Pontifex S. Officii decisionem suam faceret, eamque per Constitutionem publicaret ac ab omnibus servari iuberet.

§ 4. — *S. Congregatio Indicis.*

533. Cum apparuerit insufficiens index librorum prohibitorum a S. Tridentino Concilio confectus ac a R. P. Pio IV publicatus [3], nova Congregatio Indicis instituta est ad pravos libros examinandos atque nominatim damnandos. Pius V primus hanc Congregationem constituit quam RR. PP. Gregorius XIII, Sixtus V, et Clemens VIII confirmarunt ac facultatibus auxerunt [4]. Constat pluribus Cardinalibus, ex quibus unus Praefectus existit: Assistens perpetuus Magister S. Palatii est, Secretarius ex Ordine Fratrum Praedicatorum eligi solet. Munus prohibendi pravos libros ab initio ad S. Congregationem S. Officii pertinebat, sed postea auctis supramo-

[1] Bened. XIV, Const. *Sollicita,* § 3, 9 Iul. 1753.

[2] Cfr. Benedict. XIV, Quaest. Can. q. 6, n. 8, aliosque; Cfr. De Luca Praelectiones h. l.

[3] Constitut. *Dominici regis.*

[4] Benedict. XIV, Const. *Sollicita,* 9 Iul. 1753.

dum negotiis, haec Congregatio Indicis inistituta est. Verum licentia legendi libros prohibitos non solum a Congregatione Indicis, sed etiam a S. Congregatione S. Officii conceditur. Notanda hac in re est constitutio *Officiorum ac munerum* Leonis XIII [1] in qua decem Indicis regulae Tridentinae abolitae sunt, quaque statutum est 1) quid prohibeatur per decreta generalia; 2) quibus poenis puniantur horum decretorum violatores; 3) quid iuris quoad pravorum librorum denunciationem ac censuram etc.

§ 5. — *S. Congregatio Concilii Tridentini.*

534. Pius IV P. M. Acta Concilii Tridentini confirmavit, ac prohibuit [2] quominus commentaria ac interpretationes vulgarentur, eodemque anno Cardinalium Congregationem constituit [3] cuius esset decretorum Tridentinorum observantiam curare. Pius V ac Sixtus V hanc Congregationem confirmaverunt, eique potestatem dederunt Tridentini decreta circa res disciplinares ac circa morum reformationem consulto Pontifice interpretandi [4]. Ceterum facultas exequendi Tridentinos canones haec S. Congregatio cumulative cum Congregatione super Negotiis Episcop. et Reg. exercet.

Quare haec S. Congregatio agit de residentia Episcoporum et beneficiatorum, absentiae licentiam concedit; facultatem concedit reducendi onera missarum, causas matrimoniales etiam circa matrimonii valorem pertractat, de irregularitatibus quaestiones agitat nec non circa excardinationes vel incardinationes clericorum, de restitutione in integrum circa professionem religiosam etc. etc.

Haec S. Congregatio constat ex pluribus Cardinalibus quorum unus est Praefectus, ex Secretario, ac aliisve Officialibus.

Huic Congregationi adnexa est Congregatio Praelatorum Romanae Curiae pro recipiendis relationibus ab Episcopis super statu dioeceseon, necnon alia Congregatio specialis pro Conciliorum Provincialium revisione.

[1] 7 Febr. 1897.

[2] *Benedictus Deus,* 4 Febr. 1564.

[3] Constit. *Alios nonnullos.*

[4] Constit. *Immensa,* 23 Mart. 1587.

§ 6. — *S. Congregatio SS. Rituum.*

535. Sixtus V hanc instituit Congregationem [1]. Eius munus duplex est nempe ordinarium, et extraordinarium. Ordinarium munus circa sacros ritus sese evolvit ac vel contentiose vel in via gratiosa negotia explet. Quare ad hanc Sacram Congregationem quaestiones pertinent de praeeminentiis, de praecedentiis in processionibus, et ipsa curat ut caeremoniae inolitae restituantur, aliae reformentur etc. etc. Praecipue notandum est ad hanc S. Congregationem processus pertinere circa Sanctorum canonizationem, qua in re haec S. Congregatio cum cautela ac rigido examine procedit.

Constat haec S. Congregatio pluribus Cardinalibus quorum unus Praefectus existit. Constat ex Secretario, ex Fidei Promotore, cui adiungitur Assessor vel sub fidei Promotor etc.

Decreta ac responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formaliter editae eamdem habent auctoritatem ac si ab ipso Pontifice promanarent, quamvis nulla Romano Pontifici facta sit relatio, uti declaravit ipsa S. Congregatio die 23 Maii 1846. Clarissimus Barbosa refert declarationes S. C. Sacrorum Rituum vim legis habere [2], ac ipsam S. Congregationem die 11 Augusti 1632 iussu Urbani VIII praecepisse suis declarationibus fidem non esse adhibendam nisi in forma authentica sint. Inveterata consuetudo non derogat legibus ab hac S. Congregatione emanatis [3], imo eius decreta contrariae derogare consuetudini dicenda sunt [4].

§ 7. — *S. Congregatio super Negotiis Episcoporum et Regularium.*

536. Haec Sacra Congregatio a Summo Pontifice Pio V originem habuit, at Sixtus V eidem officia tribuit [5], imo ex duabus Congregationibus Episcoporum et Regularium anno 1601 una facta est Congregatio.

[1] Constit. *Immensa.*

[2] Summa Apostol. decis., v. *Congreg.*

[3] S. C. R. 5 Augusti 1839 in causa Triventina.

[4] S. C. R. 11 Sept. 1847 in Angelopolitana.

[5] Constit. *Immensa.* Cfr. De Luca de Relat. ad Curiam p. 2, disc. 16, n. 1.

Ad hanc Sacram Congregationem pertinet petitiones Episcoporum et Praelatorum nullius vel quasi-nullius dioeceseos accipere, eorum difficultates solvere, quaestiones dirimere, Ecclesiarum causas praesertim iurisdictionem attingentes cognoscere atque ex officio vel pro petitione componere; insuper, iis exceptis quae Concilii Tridentini decretorum interpretationem spectant, ad hanc S. Congregationem causas in rebus Ecclesiasticis inter Capitula aliosque definire, visitatores aut vicarios apostolicos in dioeceses mittere, de removendis ab officio Episcopis vel Vicariis Capitularibus agere, bonorum ecclesiasticorum alienationem conficere. Notandum est quod Pius VII[1] ad hanc Sacram Congregationem appellationes nominatim in causis criminalibus detulit. Haec Sacra Congregatio a Card. De Luca dicitur « *occupatissima atque in negotiorum multitudine omnium maior* » et in Relat. ad Curiam disc. 16, n. 24, Cardinalis De Luca de hac S. Congregatione haec habet: « Habet ista Congregatio latas habenas agendi etiam de illis negotiis, quae aliarum Congregationum peculiaria sunt, unde propterea (ut Urbanus dicere solebat) ista videtur Congregatio quodammodo universalis, exceptis causis, quae directe fidei quaestiones concernunt, sive formalem interpretationem Concilii Tridentini; in reliquis licet adsit Congregatio Concilii, attamen de iis quae concernunt executionem vel observantiam eiusdem Concilii eiusque decretorum cognoscit. Prout etiam licet adsit Congregatio Rituum, cuius peculiare munus est cognoscere ac decidere controversias super praecedentiis aliisque ecclesiasticis praeeminentiis inter clericos saeculares et regulares, ac etiam super his quae praetenduntur per laicos in functionibus ecclesiasticis; adhuc tamen ista Congregatio istas causas cognoscit. Ideoque privativa singularis dictae Congregationis Rituum versatur in praescribendo ritu super divinis officiis, ac etiam super canonizatione Sanctorum ». Quoad Regulares vero haec S. Congregatio regularium querelis respondet, controversias dirimit, licentiam transeundi ad strictiorem religionem concedit; de apostatis et eie-

[1] Constit. *Post diuturnas.*

ctis nec non de fugitivis a Religione iudicat; apostolicarum Constitutionum atque regularum singularum Ordinum ac Religiosarum Congregationum observantiam procurat; rem agit de monialium clausura, monasteriorum erectionem ac suppressionem decernit, atque tandem omnia peragit, quae Religionum et Regularium bonum regimen et directionem concernunt [1].

Haec Sacra Congregatio constat ex pluribus Cardinalibus quorum unus est Praefectus qui a Secretario, Subsecretario et Auditore adiuvatur. Negotia maioris ponderis quaeque circa quaestiones iuris versantur, ad Congregationem Cardinalium Generalem remittuntur; quae vero minora sunt a Cardinali Praefecto, Secretario, substituto et auditore in congressu, quem bis in hebdomada habent, expediuntur.

Congregationi Episcoporum et Regularium hodie unita est Congregatio super disciplina et statu Regularium [2], iam ab Innocentio X instituta, quaeque postquam diversimode immutationes a Romanis Pontificibus Clemente IX, Innocentio XII, et a Pio IX acceperit, tandem propter negotiorum communitatem cum Congregatione Episcoporum et Regularium unita est.

§ 8. — *S. Congregatio Propagandae Fidei.*

537. S. Congregatio Fidei Propagandae a Romano Pontifice Gregorio XV [3] ad catholicam fidem inter haereticos et infideles propagandam instituta est. Haec Sacra Congregatio missionarios mittit facultatibus praeditos amplissimis in longinquas regiones, singulis missionibus territorium assignat quod in Vicariatum Apostolicum erigit cui Missionarius Episcopus qui Vicarius Apostolicus nominatur praeficitur quique coeteris Missionariis praeest. Hac de causa praeter ordines religiosos quorum alumni ad Missiones mitti solent, Urbanus VIII [4] Romae Collegium Urbanum Fidei Propagandae instituit.

[1] De Luca praelectiones h. l. De Luca op. cit., n. 26.

[2] Motus Proprius R. P. Pii X, die 26 maii 1906.

[3] Constitut. *Inscrutabili Divinae Providentiae arcano*, X Kal. Iul. 1622.

[4] Const. *Romanus Pontifex.*

Iuxta ea quae in Constitutione *Inscrutabili* Gregorius XV decernit, ad hanc S. Congregationem pertinent omnia et singula negotia ad fidem in universum orbem propagandam, Missionarios ad Missiones omnes mittere vel mutare etc., super quibus negotiis necessarias ac opportunas S. Congregatio habet facultates etiam in iis quae per se specialem ac expressam requirerent mentionem. Constat Cardinali Praefecto, Secretario ac pluribus Cardinalibus, Secretariae Officialibus ac consultoribus. Pius IX [1] hanc Congregationem in duas partes divisit, quarum altera est pro Latino, altera pro Orientali ritu cui sub eodem Cardinali Praefecto alius Secretarius assignatus est. Haec S. Congregatio iurisdictionem exercet in Collegium Urbanum, in omnes Missionarios, in Vicariatus Apostolicos, in Ecclesias Angliae, Hiberniae, Statuum Foederatorum Americae etc.

§ 9. — *Congregatio super negotiis ecclesiasticis extraordinariis.*

558. Usque ad Romanum Pontificem Pium VI de negotiis gravioribus Sedis Apostolicae ac universalis Ecclesiae Summus Pontifex in Consistorio cum Cardinalibus agebat ; et si de illis publice ac cum omnibus Cardinalibus agere non expediebat, S. Pontifex Congregationem specialem Cardinalium modo extraordinario et pro lubito deputabat, quae Congregatio Status dicebatur [2]. At Pius VI propter excrescentes difficultates inter S. Sedem et civilia gubernia, et praesertim Galliam, ac aucta graviora negotia, anno 1793 Congregationem fixam ac permanentem instituit quae super negotiis ecclesiasticis Regni Galliarum nuncupata fuit, quaeque a Pio VII ad alia negotia cuiuslibet nationis gerenda extensa est ac super negotiis ecclesiasticis extraordinariis nuncupata fuit. Haec Congregatio constat ex pluribus Cardinalibus, Secretario ac pluribus Consultoribus. Propter connexionem inter negotia huius S. Congregationis cum Secretaria Status, eamdem sedem cum hac habet etsi a Secretaria Status omnino distincta sit. Ad hanc S. Congregationem pertinet etiam examinare concordata quae inter S. Sedem et Statum ineantur. Huic

[1] Const. *Romani Pontifices,* 6 Ian. 1862.

[2] Card. De Luca Relat. Rom. Cur. discurs. 5, n. 23, 24.

Sacrae Congregationi subsunt regiones Imperio Russiaco subiectae, et quae versantur in America Meridionali.

§ 10. — *Congregatio Indulgentiarum et SS. Reliquiarum.*

539. Haec S. Congregatio a Summo Pontifice Clemente IX instituta est [1]. Eius est examen de authenticitate SS. Reliquiarum, dubiorum resolutio circa indulgentias concessas, vel etiam novas indulgentias concedere cumulative tamen cum Secretaria Brevium ac Memorialium. Constat ex Cardinali Praefecto, Secretario, Consultoribus ac pluribus Cardinalibus. Haec Congregatio ex Motu proprio R. P. Pii X [2] cum SS. Rituum Congregatione perpetuo coniuncta est.

§ 11. — *S. Congregatio super residentia Episcoporum.*

540. Haec S. Congregatio ab Urbano VIII [3] instituta fuit qui eidem Cardinalem Urbis Vicarium pro tempore praefecit, eique uti Secretarium ipsum S. Concilii Congregationis Secretarium assignavit [4]. Eius officium est Tridentinam de residentia legem urgere, hinc contra delinquentes procedere, absentiae licentias concedere [5].

§ 12. — *S. Congregatio Immunitatis Ecclesiasticae.*

541. Ab Urbano VIII haec S. Congregatio instituta fuit [6]. Antiquitus negotia circa immunitates reales personales ac locales praesertim circa asyli ius pertractabat, verum hodie propter temporum ac nationum conditiones, silet, eiusque negotia a S. C. C. pertractantur.

§ 13. — *S. Congregatio Caeremonialis.*

542. Haec S. Congregatio veluti appendix S. Congregationis Rituum a S. Pontifice Sixto V instituta est [7]. Pluribus Cardinalibus constat, eiusque Praefectus S. Collegii Cardinalis decanus extat;

[1] Const. *In ipsis Pontificatus nostri* 6 Iulii 1669.

[2] Die 28 Ianuarii 1904.

[3] Const. *S. Synodus* 12 Dec. 1634.

[4] Benedict. XIV, Constit. *Ad universae* diei 3 Sept. 1746.

[5] Trid. Sess. 23, c. 1, de Reformat.

[6] Card. De Luca de Relat. Cur. p. 2, disc. 17, n. 1.

[7] Const. *Immensa.*

Secretarii vero munus unus ex Caeremoniarum magistris occupat. Omnes autem Caeremoniarum magistri huius Congregationis Consultores sunt. Haec S. Congregatio omnes caeremonias sive sacras sive civiles curat, ac de his quaestionibus agit.

§ 14. — *Congregatio Fabricae S. Petri.*

543. Haec Congregatio quae antiquitus a temporibus Iulii II uti collegium Praelatorum ac virorum ecclesiasticorum existebat, a Clemente VIII instituta est. Constat ex pluribus Cardinalibus qui adiuvantur ab Auditore Camerae Apostolicae, a Thesaurario Generali, a Praefecto domus Pontificiae, ab uno ex auditoribus S. Rotae, ab uno ex Clericis de Camera, ab Oeconomo Fabricae, qui secretarii munus agit. Huius Congregationis officium est 1) ut dispositiones ad pias causas sive inter vivos sive mortis causa factae executioni dentur; 2) ut fructus decursi qui in pium opus erant erogandi, nec non dispositiones incertae Fabricae S. Petri applicentur; 3) ut eidem applicentur legata quae propter bonorum insufficientiam effectu carent; 4) eius est applicare eidem Fabricae bona relicta personis vel locis ecclesiasticis quae ex suo instituto incapacitate laborent acquirendi ac possidendi. 5) Haec Congregatio causas cognoscit ac decernit circa nullitatem contractus alienationis bonorum ecclesiasticorum, et si contractus nullitate laborent quia sine beneplacito apostolico initi sunt, Fabricae fructus male perceptos haec S. Congregatio applicare potest [1].

Hodie ad hanc Sacram Congregationem pertinet oratores absolvere ab omissionibus, imposita solutione pro Fabrica S. Petri, vel ex parte oratores liberare ab oneribus, vel Episcopis facultates eos ex toto vel ex parte liberandi concedit. Haec S. Congregatio onera ab una Ecclesia ad aliam transfert, ac ultra duos menses conciliares missarum manualium celebrationem differt. Haec S. Congregatio ulterius ipsorum legatorum redemptionem concedit, praevia solutione alicuius summae in manibus ordinarii, qui ex redditibus legati pii satisfactionem curat [2].

[1] De Luca Relat. Cur. discurs. 20, n. 1.

[2] De Luca op. cit.

§ 15. — *Congregatio studiorum.*

544. Sixtus V [1] hanc S. Congregationem constituit. Illius est adprobare novarum universitatum Catholicarum erectiones, eisque leges ad eorum regimen determinare, ac inter eas ortas quaestiones dirimere [2].

CAPUT II.

DE CURIIS DIOECESANIS.

545. De Curiis Dioecesanis breviter agentes expedit ut inter Romanam Curiam Dioecesanam, ac caeteras Episcoporum curias distinguamus, cum et dignitate et iurisdictione Romana Curia omnes Episcoporum Curias quam maxime excellat.

ARTICULUS I.

De Curia Romana Dioecesana.

546. Ad Dioecesim Romanam gubernandam Romanus Pontifex adiuvatur a Cardinali Urbis Vicario, ab eius Vicesgerente ordine episcopali insignito, ac ab aliis officialibus.

Iam ab antiquitate Romani Pontifices Vicarium constanter habere solebant qui Romanum Pontificem adiuvabat ac repraesentabat tamquam Romanum Episcopum cum plena iurisdictione exercenda. Ex Pauli IV Decreto 18 Nov. 1558 hoc munus alicui ex Cardinalibus collatum fuit. Cardinalis Vicarius adiuvatur a Vicesgerente qui veluti Cardinalis Vicarii Vicarius Generalis considerari potest. Illi ab aliis officialibus adiuvantur, inter quos notandus est officialis pro cognitione causarum civilium sive temporalium sive spiritualium, nec non officialis pro cognitione causarum criminalium, et iste locum tenens appellatur. Accedit Vicarius pro monasteriorum regimine, qui Monialium Deputatus appellatur [3].

[1] Constit. *Immensa.*

[2] De Luca Praelectiones hoc loco.

[3] Cfr. Card. De Luca in Relat. Curiae Romanae.

Cardinalis Vicarius iurisdictionem habet ordinariam, ac Romani Pontificis etiam in divinis Vicarius est. Quare omnia gerit quoad potestatem ordinis ac iurisdictionis quae Episcopus gerit in sua Dioecesi, excepta Dioecesis Romanae visitatione quae speciali Congregationi sacrae visitationis commissa est, nec non excepta beneficiorum collatione quae Sedi Apostolicae vel Cardinalibus in suis titulis competit. Hinc Cardinalis Urbis Vicarius et Synodum Dioecesanam convocare ac celebrare potest [1].

Cardinalis Vicarii iurisdictio ad totam Urbem extenditur, ipsique tituli Cardinalitii populo carent, ac Cardinalium iurisdictio ad internam ecclesiasticam disciplinam, ac ad merum Ecclesiae servitium restringitur [2]. Imo Cardinalis Vicarii iurisdictio ad quadragesimum ab Urbe lapidem extenditur, illis exceptis personis quae intra praedictum territorium Dioecesibus hoc in territorio existentibus subiiciantur [3].

Cardinalis Vicarii iurisdictio hoc proprium habet ut morte Romani Pontificis non cessat.

ARTICULUS II.

De caeteris Episcoporum Curiis.

547. Unusquisque Episcopus propriam curiam habet, quae ex illis officialibus constat quos sibi ad Dioecesis gubernationem utiles ac necessarios putat. Inter hos eminet Vicarius Generalis de cuius potestate alibi expresse dictum est. Pronum est intelligere Episcopum potestatem habere constituendi sibi Congregationes seu Commissiones quibus specialia negotia committit sicuti Benedictus XIV, dum Bononiae Archiepiscopi officium gerebat, constituit.

[1] Paul. III Const. an. 1542 in Bullario apud CHERUBINI n. 36 § 10.

[2] Cap. 5 de officio Vicar.; Innocent. XI, *Romanus Pontifex* 17 Sept. 1692.

[3] Benedictus XIV, Constit. *Romanae Curiae* 22 Dec. 1753.

LIBER II.

De Regularibus.

548. De Regularibus tractationem in duas sectiones dividimus, quarum in prima agimus de Religionibus in quibus vota solemnia emittuntur, in altera de Congregationibus sive Institutis votorum simplicium sermo erit.

SECTIO I.

De Religionibus seu Ordinibus in quibus solemnia vota emittuntur.

549. Universam tractationem tribus capitibus comprehendimus, scilicet 1) de novis ordinibus inducendis ac novis Monasteriis erigendis; 2) de ingressu in Religionem; 3) de egressu e Religione.

CAPUT I.

DE NOVIS ORDINIBUS INDUCENDIS AC NOVIS MONASTERIIS ERIGENDIS.

ARTICULUS I.

De novis Religionibus seu Ordinibus inducendis.

550. Usque ad Romanum Pontificem Innocentium III novas religiones seu novos Ordines adprobare pertinebat non modo ad Romanum Pontificem pro universa Ecclesia; sed etiam ad singulos Episcopos quoad singulas Dioeceses. Verum cum ex nimis multiplicato religionum numero plura orirentur incommoda, Innocentius III in Concilio Lateranensi 4° (a. 1216) prohibuit: ne quis de caetero novam religionem inveniret sed: quicumque ad religionem converti voluisset unam de adprobatis assumeret; quique voluisset religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem acciperet

de adprobatis [1]. Gregorius autem X ultro progressus est. Agitans enim quod non solum importuna potentium initiatio religionum post modum multiplicationem extensit, verum etiam aliquorum praesumptuosa temeritas diversorum ordinum praecipue mendicantium (quorum nondum adprobationis meruere principium) effrenatam quasi multitudinem adinvenerit, repetita constitutione districtius *inhibuit* ne aliquis de cetero novum ordinem ac religionem adinveniat vel habitum novae religionis assumat: cunctas insuper religiones et ordines mendicantes post dictum Concilium Lateranense adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicae meruerunt perpetuae prohibitioni subiecit et quatenus processerant revocavit [2].

Igitur iuxta has decretales nemini licitum erit novas religiones aut congregationes religiosas inducere absque adprobatione ac licentia Sedis Apostolicae. Verum Alexander VI adprobavit institutum S. Ioannae Valesiae iam sola Ordinarii adprobatione introductum; imo post Tridentinum Concilium lex Gregoriana et Innocentiana in desuetudinem abiit, ita ut receptum sit ut sola Ordinarii adprobatio sufficiat ad novum institutum votorum simplicium erigendum. Verum S. C. Episcoporum et Regularium hoc ius consuetudine introductum temperavit, adeo ut S. Congregationis EE. et RR. licentia requiratur ad novum institutum votorum simplicium introducendum.

ARTICULUS II.

De novis monasteriis erigendis.

551. Ad nova monasteria autem erigenda varia obtinuit hac in re disciplina. Antiquitus a voluntate Episcopi novorum monasteriorum erectio pendebat, at cum Sedes Apostolica ordines regulares adprobare coeperit, regulae statutae sunt quae in monasteriis extruendis servandae omnino sunt. Requiritur enim 1) Apostolicae Sedis licentia; 2) Episcopi consensus [3] qui tamen illum recusare non potest [4].

[1] Cap. 9 de religiosis domibus.

[2] Cap. 1, tit. c. in VI.

[3] Trid. Sess. XXV, cap. 3 de Ref. Reg.

[4] Clem. VIII, Constit. *Quoniam.*

3) Audiantur interesse habentes sicuti Parochi, Priores et procuratores aliorum conventuum, si forsitan cum horum detrimento novum monasterium erigatur [1]. 4) In monasterio saltem duodecim religiosi ex ordinariis redditibus ali possint [2]. 5) Hae regulae locum non habent cum de conventus reassumptione agitur, vel de conventus translatione negotium erit. Haec de virorum monasteriis dicta sint. Quoad monialium monasteria profecto 1) consensus Apostolicae Sedis requiritur; 2) aliorum monasteriorum Superiores audiendi non sunt; 3) Episcopi consensus exigitur; 4) tot moniales in monasteriis constituantur ut in posterum monasterium conservari possit [3]. Quae autem a S. C. Episcoporum et Regularium statuta sunt circa consensum Apostolicae Sedis quoad novas Congregationes inducendas, etiam monialium seu sororum congregationes respiciunt [4].

CAPUT II.

DE INGRESSU IN RELIGIONEM.

Videbimus 1) de candidatorum admissione; 2) de Novitiatu; 3) de Professione Religiosa; 4) de Clausura. Sit igitur

ARTICULUS I.

De candidatorum admissione.

552. Ordo religiosus dicitur: *Status ab Ecclesia adprobatus, in quo fideles per stabilem vivendi modum, editis votis paupertatis, castitatis et obedientiae, tendunt ad christianae vitae et caritatis per-*

[1] Gregorius XV, Constit. *Cum alios.*

[2] Trid. Concil. Sess. XXV, cap. 3 de Ref. Reg.

[3] Trid. Concil. Sess. XXV, cap. 3 de Ref. Reg.

[4] Notandum est quod Constitutiones Clem. VIII et Urbani VIII de novis conventibus sine certo numero Fratrum non erigendis non comprehendent missionarios, neque eorum mansiunculas seu hospitia, sicuti etiam in Constitutione *Romanos Pontifices* Leonis XIII dispositum est. Collectanea n. 387.

fectionem. Hinc ad eius substantiam tria praedicta vota omnino requiruntur; necesse tamen non est ut sint solemnia [1].

Horum votorum nuncupatio, ut statum regularem ad mentem Ecclesiae constituat, *perpetuitatem* postulat. Quapropter Instituta in quibus vota perpetua haud emittuntur, non uti Religiones, neque uti Ordines regulares, sed uti Congregationes religiosae ab Ecclesia considerantur ac dicuntur. Tribus praefatis votis aliquando ex fundatorum zelo alia adiiciuntur, ex. gr. sacris missionibus operam impendendi, captivos liberandi etc.

Votorum nuncupationi candidatorum admissio ac probatio, quam *novitiatum* dicunt, ex Tridentino praemitti debent [2], de quibus seorsim disserendum est.

553. Circa candidatorum admissionem, duo decreta prae oculis habenda sunt, a Sac. Congr. super statu Regularium lata die 23 Ianuarii 1848, quibus normae stabiliuntur ad candidatorum admissionem rite peragendam.

Primum ex hisce incipit *Romani Pontifices* et praescribit, neminem ad habitum religiosum admittendum sine litteris testimonialibus Ordinarii *originis,* tum etiam Ordinarii loci, in quo Postulans, post expletum decimum quintum annum aetatis suae, ultra annum moratus fuerit, sive agatur de domibus votorum solemnium, sive simplicium. In hisce litteris Ordinarii referre debent de postulantis natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxius. Has litteras testimoniales Ordinarii negare nequeunt ac gratuito expedire tenentur [3].

[1] S. Thom. 2a. 2ae., q. 186, art. 3, 4, 5, 6; Suarez. *De relig.* l. 2, c. 14.

[2] Sess. XXV, cap. XV de Reg.

[3] Declarationes super decreto *Romani Pontifices* latae a S. C. super statu Regularium 1. An sufficiant testimoniales datae ab Ordinariis per litteras privatas? Resp. Affirmative. — 2. Utrum sufficiant testimoniales, in quibus Ordinarii non testantur in specie de iis omnibus, quae in decreto *Romani Pontifices* praescribuntur, sed dumtaxat in genere referunt de qualitatibus Postulantis? Resp. Affirmative, sed a Superioribus Regularibus serventur alia de iure servanda ad singulas

Altero vero decreto [1] constituitur pro Italia et insulis adiacentibus neminem ad habitum religiosum admittendum sine praevio duplici scrutinio, sive agatur de religiosis votorum solemnium, sive

qualitates Postulantium cognoscendas. — 3. Quid agendum, si Ordinarii respondeant se Postulantes non agnoscere? Resp. Posse Postulantes admitti ad habitum et Novitiatum, si Ordinarius a Superiore requisitus expresse respondeat sese circa qualitates Postulantis informare non posse, quia illum non agnoscit, dummodo tamen testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure servanda; et Postulantes antequam ad habitum admittantur maneant saltem per tres menses in conventu, ibique diligenter probentur. — 4. Utrum Superiores admittere possint ad habitum sui Ordinis Postulantem absque litteris testimonialibus Ordinarii, quando hic affirmat non posse eas dare, quia prohibitus ab auctoritate civili? Resp. Sufficere testimonium Ordinarii datum etiam per privatas et secretas epistolas; sed si Ordinarius a superiore requisitus testimoniales ob expositam superius causam quovis modo dare renuat, posse Postulantem admitti, supplendo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem. — 5. Utrum Superiores possint ad habitum ipsum admittere milites, de quibus Ordinarii affirmant se non posse in Gallia informare, cum nullos delegatos in exercitu habeant, nec Parochi ullam de his notitiam habere possint? Resp. Affirmative si Ordinarius a superiore requisitus respondeat se informare ob dictam rationem non posse, dummodo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure servanda; et insuper Postulantes antequam admittantur ad habitum saltem per tres menses maneant in conventu, ibique diligenter probentur. — 6. Quid agendum sit quando Ordinarii nolunt dare litteras testimoniales non aliam ob causam, nisi quia opponuntur ingressui Postulantis in religionem? Resp. Ordinarios, prout in Art. 2 decreti *Romani Pontifices* praescribitur, non posse testimoniales litteras denegare; si tamen eas dare recusent, recurrendum erit ad *S. Congregationem super statu Regularium*. — 7. In his ordinibus, in quibus praeter conversos laicos habentur Donati seu Oblati, testimoniales exigendae sint ante susceptionem habitus Donatorum et Oblatorum vel potius Conversorum? Resp. Ante susceptionem habitus Donatorum et Oblatorum. — 8. An sit nulla susceptio habitus sine litteris testimoniatibus? Resp. Susceptionem habitus esse illicitam, non tamen invalidam: testimoniales litteras omissas in receptione ad habitum quamprimum obtinendas esse, alias Novitii ad professionem licite admitti minime poterunt. — 9. Utrum sit invalida professio, si fiat omissis testimonialibus litteris? Resp. Non esse invalidam, sed illicitam.

[1] Exordiente *Regulari disciplinae instaurandae,* ead. die 25 ian. 1848.

simplicium. Super modo autem scrutinii peragendi sequentia praescribuntur.

Octo habeantur in qualibet provincia examinatores, quorum primus Provincialis erit, qui de admittendis ad habitum inquiret secundum sacros canones ac propria Statuta, quique documenta omnia a postulantibus exhibita, et quae ipse aliunde sibi comparare potuerit, tribus saltem ex provincialibus examinatoribus serio perpendenda committet, exclusis iis qui postulantibus consanguinei vel affines essent.

Indicto examinis die, Provincialis et delecti ab eo examinatores convenient, et praestito a singulis iuramento de munere fideliter adimplendo, postulantem examinent, eoque dimisso, eius documenta, qualitates et requisita, sagaciter expendant, et deinde secreto suffragia ferant. Pro eius admissione declaratur sufficere votorum medietatem cum alio suffragio. Acta examinis et scrutinii exitus scripto fideliter redigantur, a singulis examinatoribus, praevio iuramento, subscribantur, et ad Superiorem vel Procuratorem generalem una cum authenticis documentis ceterisque omnibus informationibus transmittantur. Ubi Provinciales non habentur, vel provincialia capitula non celebrantur, examinatores pro unaquaque domo novitiatus eligantur a capitulo et congregatione generali, et superior eiusdem domus loco Provincialis habeatur, cuius erit, examinatores convocare, et reliqua omnia praescripta executioni mandare. Si septem examinatores haberi nequeant, numero minores, non tamen citra quatuor eligi poterunt. Si una sit Instituti domus, examinatores capitulariter per secreta suffragia a superiore et capitularibus eiusdem domus deligantur. Praeter praedictos examinatores, alii septem examinatores generales habeantur, quorum praeses erit Generalis. Hic postquam relationem examinis et scrutinii, atque enunciatam superius declarationem cum authenticis documentis per singulas partes expenderit, omnia tradet Procuratori generali et saltem aliis duobus examinatoribus generalibus; et quatenus Procurator generalis non adsit, tribus saltem examinatoribus generalibus, qui ea prorsus omnia exequi debent, quae examinatores pro-

vinciales peregerunt, et dein per secreta suffragia definire, an approbatio facta in scrutinio examinatorum provincialium sit confirmanda, vel revocanda. Si Superior generalis in Urbe non resideat, eius vices geret Procurator generalis, adhibitis saltem tribus examinatoribus generalibus in Urbe degentibus, vel ad Urbem accersitis.

Superior generalis poterit semper, iustis de causis, candidatum reiicere, licet in utroque scrutinio approbatum, nunquam vero admittere ab examinatoribus reprobatum. Idem quolibet semestri ad *S. Congr. super statu Regularium* de singulis novitiis admissis referre debet. Quilibet religiosus vel novitius impedimenta et graves defectus novitii denuntiare tenetur, si noverit, et magister novitiorum Provinciali quolibet trimestri de novitiis referre. Duobus vero ante professionem mensibus voluntas novitiorum explorari debet [1].

[1] Declarationes super decreto *Regulari disciplinae* in Italia, et insulis adiacentibus servando: 1. Si Superior generalis alicuius Ordinis, in quo Provinciales non habeantur, sit eodem tempore Superior conventus, seu domus novitiatus, quomodo se gerere debeat Superior ipse in perficiendo primo scrutinio? Resp. Superior generalis deputet ad effectum, de quo agitur, probum et idoneum Religiosum, et una cum praescriptis Examinatoribus primum scrutinium perficiat. — 2. Si aut per obitum, aut per renunciationem, aut alia quacumque causa numerus Examinatorum provincialium vel generalium in parte, vel etiam totaliter deficiat, nec tempus celebrationis Capituli vel Dietae advenerit, quomodo ad eorumdem Examinatorum electionem procedendum erit? Resp. Servetur methodus in decreto *Regulari disciplinae* (Art. III et IV in fine, et Art. VII) praescripta pro electione Examinatorum, qui eligendi erunt statim post latum idem decretum, et ante celebrationem proximi futuri Capituli vel Dietae; Examinatores sic electi in officio perdurent usque ad celebrationem proximi Capituli vel Dietae. Quae methodus etiam servetur quando ex S. Sedis dispensatione Capitula vel Dietae non celebrantur, et electio Superiorum per decretum S. Sedis vel per schedas fiat. — 3. In aliquibus Institutis Capitula provincialia ordinarie celebrantur prope finem triennii, et in praeparationem Capituli generalis, quin in ipsis eligatur Superior provincialis. Quomodo hoc in casu ad electionem Examinatorum provincialium procedendum erit? Resp. Examinatores provinciales eligendi erunt a Capitulo provinciali, licet illud celebretur in fine triennii, et dumtaxat in praeparationem Capituli generalis. Quod si aliqua vice Capitulum provinciale non convocetur, electio ad consultam provincialem ad hunc effectum convocandam spectabit. — 4. An ad officium Examinatorum sive genera-

ARTICULUS II.

De Novitiatu.

554. Ut novitiatus sit validus, tria requiruntur: 1) ut fiat in loco ad illum debito; 2) in habitu religionis; 3) cum debita certi temporis duratione.

lium sive provincialium ita duo Definitores, vel Assistentes, vel Consultores generales, seu provinciales eligi debeant, ut alii Examinatores ex reliquis Definitoribus, Assistentibus, Consultoribus, eligi nequeant? Resp. Negative. — 5. Utrum in Ordinibus, et Congregationibus, quae licet habeant Capitula provincialia, tamen Religiosorum inopia laborant, eligendi sint septem Examinatores, vel quatuor tantum sufficiant? Resp. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. Ut vero omnis ambigendi causa, quae ex erronea decreti interpretatione originem habeat, auferatur, sciant omnes ad quos pertinet, in Ordinibus tam amplis, quam exiguis sufficere tres Examinatores provinciales, praeter Superiorem provincialem, ad primum scrutinium; et tres Examinatores generales, praeter Superiorem generalem ad secundum scrutinium peragendum; et alios Examinatores ad opportunitatem et commoditatem eligendos esse. — 6. In articulo III Decreti *Regulari disciplinae* praescribitur, ut Postulantes accedere debeant ad locum primi scrutinii, ut ab Examinatoribus provincialibus personali examini subiiciantur. Saepe saepius accidit, ut huiusmodi examen personale absque notabili incommodo Postulantium fieri nequeat sive ob expensas, sive ob loci distantiam. Quapropter nonnulli Superiores regulares expostularunt, quomodo in huiusmodi casibus sese gerere debeant? Resp. Provincialis (et in Institutis, in quibus Provincialis non existit, is qui eius partes iuxta decretum adimplere debet) cum tribus Examinatoribus, ad peragendum examen personale Postulantium, quando vel ob loci distantiam, vel ob aliam rationabilem causam postulantem, ab accessu personali dispensare iudicaverint, possint deputare Religiosum sui Ordinis, quem in Domino idoneum revera existimaverint, si examen fiat in loco, ubi conventus Ordinis reperitur; secus aliquam personam ecclesiasticam sive ex clero saeculari, sive ex clero regulari, dummodo Episcopus loci, vel eius Vicarius generalis eam idoneam iudicaverit, transmissa Examinatori deputato instructione circa ea super quibus Postulans examinandus erit. Verum Religiosus, vel alia persona ad examen perficiendum deputata, transmittere teneatur relationem examinis ab ipso vel ipsa subscriptam, iuramento firmatam, *qua profiteatur sese fideliter munus suum adimplevisse, quacumque humana affectione postposita.* Quibus peractis, Provincalis dictam relationem tribus Examinatoribus exhibere debeat, ut scrutinium, de quo in eodem art. III Decreti, in reliquis perficiatur, et cetera omnia,

Novitiatus potest irritus reddi ex eo praecise quod extra monasterium ad id destinatum peragatur, nisi id fiat cum legitima licentia. Fieri enim debet in aliquo ex conventibus designatis per Apostolicam Sedem [1].

Debet fieri in habitu religionis, nisi aliter constituatur in Ordinis regula a Summo Pontifice approbata.

Debet postremo durare per integrum annum continuum, idest non interpolatum.

quae in Decretis praescribuntur, omnino serventur. — 7. Nonnulli Examinatores nimis anxii sunt in praestando iuramento, quo declarare debent *se omnia requisita a Sacris Canonibus, Constitutionibus, et decretis apostolicis* praescripta *debito modo examinasse,* cum non omnes tuto scire possint quaenam sint omnia huiusmodi requisita; expostularunt propterea ut a Sacra Congregatione super praemissis instructio detur, qua tuto procedi possit. Resp. Iuramentum quoad requisita, et examen qualitatum referri dumtaxat ad requisita et qualitates *expresse* et *speciatim* praescriptas in Constit. Sixti V incipiente *Cum de omnibus,* cum moderatione Gregorii XIV; et in decreto Clem. VIII, cui initium *Cum ad regularem disciplinam,* nec non in regulis et Constitutionibus respectivi Ordinis seu Instituti. Et iuramento satisfieri si ea moralis diligentia adhibeatur, quae a viris probis et timoratae conscientiae adhiberi solet. — 8. An Decretum *Regulari disciplinae* vim habeat in Sabaudia? Resp. Affirmative. Die 1 maii 1851.

Alia declaratio a Sanctitate Sua approbata die 16 ianuarii 1852. 1. Quaeritur an sit nulla, vel tantum illicita professio facta non servata *prius* forma decreti *Regulari disciplinae?* Resp. Esse tantum illicitam, non vero nullam.

[1] Quaestio est utrum lex praescribens pontificiam designationem conventus pro novitiatu peragendo, sit universalis, an vero localis tantum et restricta ad Italiam et Insulas adiacentes. Canonistae, qui quaestionem hanc attingunt, in diversas abeunt opiniones. FAGNANUS ad Cap. *Insinuante* qui Clerici vel voventes n. 41, decretum Clementis VIII hoc praescribens, restringit ad Italiam et Insulas adiacentes; e contra Lucius FERRARIS ad verbum *Annus probationis,* illud proponit ac si esset universale; Dominicus BOUIX in Tract. *de iure regul.* P. 4, sect. 1, cap. 5, vestigia premens Fagnani, Ferrarium refutat et ostendit decreta Clementis VIII a Ferrario citata, esse tantum lata pro Italia et Insulis adiacentibus. Tandem Ubaldus GERARDI in *III Decret.* Tit. 31 *de regul.* Cap. *Ex parte* 22, concedit decreta Clementis VIII esse tantum lata pro regularibus intra fines Italiae et Insularum adiacentium existentibus, sed contendit eadem postea ab Urbano VIII per Const. *Sacra Congregatio* 21 sept. 1624 fuisse extensa ad omnes regulares ubique locorum existentes. Atta-

Durante novitiatu, vel eo exacto, nec emissa professione, integra manet novitio libertas monasterii deserendi et ad saeculum redeundi. Neque necesse est ut rationem egressus Praelato afferat. Gaudent autem novitii privilegio canonis et privilegiis, quibus fruitur Ordo in quo probantur, atque exempti sunt a iurisdictione Ordinariorum. Ad tuendam novitiis libertatem monasterii deserendi, Synodus Trid. decrevit, ut nulla renunciatio aut obligatio ante professionem facta, etiam cum iuramento vel in favorem cuiuscumque causae piae, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive eius Vicarii, fiat, intra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium, et tantum post eamdem editam, vim atque exitum habeat [1].

555. Unde infertur: 1) nulla esse ante duos illos menses quaecumque pacta, cessiones et obligationes novitiorum, cuiuscumque aetatis sint, quibus eorum bona aut iura minuuntur, aut minus quam detur recipitur. 2) Id etiam de renunciatione beneficii, quod ante ingressum novitius possidebat, intelligendum esse. 3) Omni vi destitutam esse etiam renunciationem ante duos illos menses factam sub conditione, « si fuero professus ». 4) Sicut si superior ex iusta causa professionem ultra annum distulerit. 5) Decretum hoc, spectata eius ratione et mente, vim suam habere in quacumque renunciatione aut alienatione, facta etiam ante ingressum, modo appareat eam intuitu et animo ingrediendi (qui in dubio praesumitur) factam fuisse [2]. 6) Infertur valida esse omnia novitiorum pacta et dispositiones revocabiles et quibus substantia patrimonii non minuitur. 7) Si novitius ante professionem moriatur, eam cor-

men relate ad monasteria extra Italiam adsunt validae rationes ad probandam eorum exemptionem ab obligatione praedicta, scilicet, consuetudo contraria et Const. Benedicti XIV quae incipit *Si datam hominibus* in qua dicitur « in iis tamen locis in quibus fel. rec. Praedecessor noster Clemens PP. VIII decreta de regularibus a se edita vim habere mandavit ».

[1] Sess. XXV de Regul., Cap. XVI.

[2] REIFFENSTUEL, *de Regul.* lib. 3, tit. 31, par. 5, et SCHMALZGRUEBER *de Regul.* n. 105.

ruere. Ulterius ex Concilii dispositione colligitur 8) nihil a parentibus, propinquis, aut curatoribus Novitiorum monasterio ante emissam professionem quocumque praetextu tribui posse, neque ex liberalitate et ultronee, excepto victu et veste illius temporis quo in probatione est [1].

556. Religiosus qui indultum saecularizationis obtinuit non tenetur professionem et novitiatum iterare, quando petit ad claustra redire, salva tamen consuetudine legitime introducta atque praescripta singulorum Ordinum regularium. Possunt tamen per superiores regulares exquiri congrua documenta anteactae eius vitae et morum, dum in saeculo versabatur, eique imponi spiritualia exercitia ad plures dies [2].

ARTICULUS III.

De Professione Religiosa.

557. Absoluto tirocinio, Superior alumnos, quos habiles invenerit, ad professinem admittere, aut e monasterio dimittere debet. Itaque si novitius per legitimum tempus rite probatus, sic semper se gesserit, ut de eius constanti proposito religiosae vitae semper ducendae nullum videatur extare dubium, ad professionem admittendus est. Sola autem professio expressa regularem hodie facit ex Const. Pii IX [3].

558. Iamvero professionis nomine intelligitur promissio rite et libere facta legitimeque acceptata, qua quis se adstringit ad vota paupertatis, castitatis et obedientiae iuxta proprii Ordinis constitutiones observanda. Porro ex voto continentiae professus prohibetur nuptiis, ex voto obedientiae amplius velle et nolle non habet [4], ex

[1] In monasteriis monialium aliquid dari et recipi posse nomine dotis usu inductum est, quin simonia esse censeatur, recipitur enim sustentationis causa; attamen dos ante secutam professionem ne titulo quidem depositi monasterio tradi potest, et si novitia egrediatur omnia restitui debent.

[2] Sac. Congr. Epp. et Reg. 30 ian. 1824.

[3] *Ad Universalis* 7 febr. 1861.

[4] Ex voto obedientiae sequitur etiam Regularibus sine indulto pontificio con-

voto solemni paupertatis nihil proprium habere potest earum rerum, quae pretio aestimantur, et quidquid adquirit, monasterio adquirit. Hinc quae ei deferuntur ultimae voluntatis actibus, ad monasterium recta via pertinent, quae actibus seu potius donationibus inter vivos, ipsorum ministerio, adeoque nonnisi ipsis acceptantibus transeunt. Principium: « *Quidquid Regularis acquirit non sibi sed monasterio acquirit* » verum est quoties de Regularibus solemnium votorum agatur, ac de ordine agatur qui ex suis statutis dominii capax sit. Quare testamentum quo Titius Cappuccinus heres relictus fuerit nullum est cum nec Titius, nec Monasterium seu Ordo hereditatem accipere possint. Secus vero si de Missarum legato v. gr. agatur; tunc enim potius de eleemosyna ageretur. Ex quo patet eos nec accipere quidquam posse nomine suo, quamvis datum ea lege sit ut ipsorum fiat, nec in alios transferre quovis titulo, nec remittere, si quid forte eis debetur, ut puta livellum, nec permutare, nec commodare ne eiusdem quidem coenobii fratribus, nec in eleemosynam dare. Excipiendi sunt professi in Soc. Iesu qui solemnia vota nuncupaverint, hi enim radicale dominium bonorum suorum retinent et per haereditatem, vel donationem adquirere possunt, quamvis eis uti et disponere licite sine Superioris consensu nequeant. Regulares Missionarii indultum obtinent accipiendi ac retinendi pecuniam intra ipsius indulti limites [1]. Porro ad professionis validitatem requiritur: 1) Ut fiat in aetate legitima; 2) Libere, non solum ab errore et ignorantia [2], sed etiam a vi metuque ad ipsam extor-

ferri non posse parochias saeculares. Hoc indultum conceditur Episcopis Sac. Congr. Fid. Prop. subiectis cum clausula tamen « in defectu saecularium » et de consensu suorum Superiorum, qui consensus necessarius est non tantum ut parochia in posterum per Ordinem de Rectore provideatur, sed etiam ut talis vel talis ex Ordine praeficiatur. Per regulares vero intelliguntur regulares votorum solemnium. Notandum insuper est huiusmodi facultatis vi sine alia Apostolicae Sedis venia, Episcopos non posse parochiam alicui familiae religiosae in perpetuum tradere; facultas enim limitatur per clausulam « in defectu saecularium », traditio autem in perpetuum supponit traditionem, quae valitura sit etiam dum non deerunt saeculares.

[1] Collectanea n. 392, 398, 415.

[2] Cap. 15 de Reg.

quendam etiam indirecte incusso; 3) Ut emittantur vota substantialia; 4) In religione approbata; 5) Ut accedat religionis approbatio, quae a quo fieri debeat, potissimum ex constitutionibus singulorum Ordinum desumendum est.

559. Et ad aetatem quod attinet, Synodus Tridentina constituit professionem regularem, sive pro viris, sive pro feminis, validam non existere, nisi edatur post 16 aetatis annum [1]. Quod ad viros religiosos, per Litteras encyclicas Sac. Cong. super stat. Regul. [2], praescriptum est, ut novitii postquam annum novitiatus expleverint, si clerici sint post sexdecim (vel maiorem aetatem quae forsan a statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur), si laici et conversi, post viginti et unum aetatis annum, vota dumtaxat simplicia emittant; post vero triennium a die quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur, admittantur ad solemnia vota; si medio hoc tempore professionem emittant, eam nullius roboris esse, declaratum est in Apostolicis Litteris Pii IX diei 7 Februar. 1862 [3].

560. Quoad haec vota simplicia Pius IX, attentis precibus Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum S. Dominici, haec quae sequuntur per litteras Sacrae Congregat. super statu Reg. die 12 ianuar. 1858 decernenda statuit: 1) Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt ex parte voventis utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient. 2) Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est Romano Pontifici, cui professi gravibus urgentibus causis preces porrigere poterunt. 3) Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis Professorum, ita ut, data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant. 4) Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium de quibus agitur, spectat ad Magistrum Generalem

[1] Sess. XXV, cap. XV *de Regul.*

[2] Diei 19 martii 1857.

[3] *Ad universalis Ecclesiae.*

Ordinis cum suo generali consilio. Idem Magister Generalis cum suo generali consilio poterit in casibus extraordinariis et praesertim pro regionibus et locis longinquis ad dimissionem decernendam subdelegare probos et prudentes religiosos, qui saltem tres esse debent. 5) Licet ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit, sola facti veritate inspecta; tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia et ex iustis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit. 6) Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilgiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato Ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent. 7) Superiores regulares, ad quos spectat, concedere poterunt huiusmodi professis litteras dimissorias dumtaxat ad primam tonsuram et ad ordines minores [1], servatis tamen de iure servandis, et praesertim quae circa ordinationes Regularium ab Apostolica Sede praescripta sunt. 8) Anni professionis, qui in dicto Ordine requiruntur ut quis voce activa et passiva gaudeat et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur; et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent solemniter professi. 9) Professi votorum simplicium dominium radicale, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et reddituum erogatio et usus.

[1] Ex speciali Apostolicae Sedis dispensatione aliquando, cum professus votorum simplicium duas tertias partes triennii expleverit, ad ordines maiores promovetur, sed addita conditione « si praefatus clericus ab Ordine dimissus fuerit vel dispensationem a votis simplicibus obtinuerit, suspensus maneat a susceptorum ordinum exercitio donec sibi sacrum patrimonium constituerit ». Notandum vero est simpliciter professos, ad ordines maiores vel minores promotos, in casu egressus iterum sub iurisdictionem cadere Ordinarii, cui ratione originis, domicilii etc. subiecti erant priusquam religionem ingrederentur. Sac. Congr. Ep. et Reg. in Mexic. et Meliten. 20 ian. 1860, et 6 maii 1864.

Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint. 10) Professi votorum simplicium remanere debent in domibus Professorii et studiorum, et vitam communem perfectam observare. 11) Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia, requiritur professio expressa et ideo professio tacita omnino abrogata est.

Porro huiusmodi declarationes datae pro Dominicanis, ad omnes alios Ordines extensae sunt, sed pro Ordinibus Minorum Observantiae et Reformatorum nec non Cappuccinorum in articulo 9° sublata sunt verba *ac etiam suo Ordini* etc. et subrogata sunt verba *non tamen suo Ordini* [1].

[1] Quoad vota simplicia placet heic referre aliqua dubia resoluta a Sac. Congr. Epp. et Reg. Ac 1) cum die 16 aug. 1866 propositum fuisset dubium a P. Bonifacio Wimmer Abb. Praeside Cassinensium in America, nempe utrum in casu quo Sacerdos saecularis habitum petivit et obtinuit, qui annum 25 longe transgressus fuit, huic (emissa professione votorum simplicium) professio solemnis (nempe votorum solemnium) differri possit supra consuetum triennium si scilicet intra triennium votorum simplicium non sufficientia argumenta de sua vocatione dederit? Emi PP. rescripserunt: Negative (nempe non posse differri). Declararunt tamen recurrendum esse ad Sac. Congr. in casibus particularibus, in quibus aliqua peculiaris causa concurrat. — 2) Propositis dubiis I. An professi votorum simplicium, quae professioni votorum solemnium praemitti debent teneantur ad officium divinum? II. An teneantur ad observantiam regulae ordinis prout solemniter professi? SSmus in audientia habita a Secret. Sac. Congr. super statu Regul. die 6 aug. 1858 respondendum mandavit: Ad I. Non teneri ad privatam recitationem divini officii; debere tamen choro interesse ut solemniter professi. Ad II. Affirmative, firma declaratione iam data quoad votum paupertatis (Vide in textu n. 9). — 3) Cum iuxta Const. Clementis VIII professio votorum solemnium emittenda sit in Conventu novitiatus, ad praescriptum vero legis latae die 19 martii 1857 professi votorum simplicium debeant manere in domibus Professorii et studiorum, quaeritur an professi votorum simplicium, ut suo tempore ad professionem votorum solemnium admittantur, transferendi sint in Conventum novitiatus vel eam emittere possint in Conventu in quo morantur? SSmus in aud. habita die 9 decemb. 1859 a Secret.

561. Defectus vero conditionum, quas recensuimus, professionem irritam, ut diximus, reddit ita ut professus ad saeculum redire vel a religione dimitti possit. Olim quidem liberum erat quocumque tempore nullitatem allegare et probare, at libertas haec sublata fuit per Concilium Tridentinum, a quo statutum est, ut nullitatis causam Actor deducat coram suo Superiore et Ordinario, eamque iudicialiter ac plene probet intra quinquennium a die nuncupatae professionis, quo elapso, reclamatio non auditur, etsi quis ignorantiam nullitatis aut impedimenti praetendat, vel aliunde agere impeditus fuerit.

562. Ceterum si intra praefinitum tempus causam proponere nequiverit, datur ei remedium restitutionis in integrum. Si quis autem sponte habitum religiosum dimisit, ad allegandam quamcumque causam nullitatis professionis non admittitur, antequam habitum

Sac. Congr. super statu Regul. statuit ut, litteris apostolicis Clem. VIII aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus, professi votorum simplicium licite et libere professionem votorum solemnium suo tempore emittere possint in Conventu seu domo in qua reperiuntur, servatis tamen aliis de iure servandis. — 4) Archiepiscopus Mexicanus sequentia dubia Sac. Congr. EE. et RR. proposuit: I. Possuntne novitii, post emissa vota simplicia, ante emissionem solemnium, ad sacros ordines promoveri titulo paupertatis? II. Possunt Provinciales dispensare cum novitiis defectu natalium laborantibus ante emissionem votorum solemnium ad hoc ut his ordines conferantur? III. Qui forte habitum religionis induerint, maiores iam 25 annorum, aut huic proximi aetati, possunt, expleto iam novitiatus anno, ad vota solemnia et professionem admitti an etiam cum similibus expectandum est ulterioris probationis triennium? IV. Si novitii, post emissa vota simplicia aut dimittantur e religione, aut haec ab ipsis mobilitate animi relinquatur, quid cum eis agere debet Ordinarius si aut ad sacros ordines aut ad matrimonium forsitan adspirent? Ex aud. SSmi die 20 ian. 1860 SSmus ad proposita dubia rescribendum mandavit ut sequitur: Ad I. negative quoad ordines sacros. Ad II. affirmative pro prima tonsura et ordinibus minoribus, quatenus Provinciales ex apostolico indulto legitime gaudeant facultate dispensandi super dicta irregularitate, eaque revocata non fuerit. Ad III. Negative ad 1m p., affirmative ad 2m. Ad IV. Si professi votorum simplicium, sive per dimissionem ab Ordine, sive per apostolicam dispensationem ab emissis votis soluti fuerint, se gerat cum illis prout cum ceteris suis dioecesanis sese gerere debet.

resumpserit et ad monasterium redierit, neque in hoc attenditur an causam iustam habuerit, vel non, habitum dimittendi.

563. Professionis valide emissae varii sunt effectus. Praecipui sunt sequentes: 1) Per eam extinguuntur omnia vota simplicia ante ipsius emissionem edita [1], nisi facta sint in favorem hominis. 2) Relaxantur irregularitates ex defectu natalium exortae ad ordines suscipiendos. 3) Dirimuntur sponsalia et matrimonium ratum [2]. Si vero coniux post matrimonium consummatum religionem de consensu alterius coniugis profiteatur, inducitur divortium perpetuum inter ipsum et coniugem relictum in saeculo [3]. 4) Matrimonium contrahendum dirimitur. 5) Eluitur infamia. 6) Inducitur vacatio omnium beneficiorum et inhabilitas ad alia consequenda, et incapacitas privati dominii, adeo ut monasterium, si capax sit, succedat, secus heres ab intestato.

ARTICULUS IV.

De clausura.

564. Ad solemnium votorum observantiam statuta est lex clausurae; ita enim vota solemnia cum papali clausura cohaerere censentur, ut ex istius defectu arguatur illa non esse solemnia [4]. Nec satis est sponte sua eam observare [5]. Clausura autem dicitur totum illud spatium, quod septis monasterii seu mulierum seu virorum continetur. Porro clausurae lex strictius determinata est

[1] Cap. 4 *de Vot.*; Cap. 5 *de Reg.* in 6.

[2] Conc. Trid. Sess. XXIV De sac. Matrim., can. VI.

[3] Cap. 19 *de Reg.*

[4] Ea hodie est mens Apostolicae Sedis, ut vota dumtaxat simplicia iniungat emittere monialibus in iis regionibus in quibus ratione legum civilium et aliarum circumstantiarum lex clausurae rite servari non possit, quamvis moniales pertineant ad Ordines, qui approbati sunt ad vota solemnia nuncupanda. Ita Pius IX decrevit pro Statibus Americae Septentr. Foederatis quoad moniales Visitationis die 2 Septemb. 1864.

[5] Ex S. Congr. Epp. et RR. in Aesina *Votor.* 16 dec. 1863.

quoad moniales, quam quoad regulares viros. Nos agemus 1) de clausura monialium; 2) de clausura virorum.

§ 1. — *De Clausura Monialium.*

Monialibus clausuram perpetuam imposuit Bonifacius VIII [1], eamque Tridentina Synodus et sequentes Pontifices confirmarunt et auxerunt, onerata Episcoporum conscientia ne eam violari permitterent. Hoc officium exercent Episcopi potestate ordinaria, si monasteria ipsis subiecta sunt, potestate vero delegata, si sunt exempta; sive enim moniales immediate Romano Pontifici subsint, sive alicui Episcopo, sive Praelato regulari, clausurae vigilantia Episcopo loci, in quo Monasterium existit, concredita est.

565. Clausurae lex duo importat: 1) ne moniales e monasterii septis egrediantur; 2) ne alicui extraneo liceat monasterium ingredi. Et in primis non licet monialibus, etiam ad breve tempus, e monasterii septis quocumque praetextu egredi, nisi ex iusta causa ab Episcopo approbanda, et etiam a Superiore Ordinis, si monasterium fuerit exemptum [2]. Huiusmodi causae censentur *magnum incendium, infirmitas leprae* aut *epidemiae* aliaeque similes aut urgentiores ex. gr. *inundatio, hostium incursus* etc. In his autem casibus nonnisi *ad necessarium tempus* extra monasterium esse licebit. Ita Pius V in cit. const. Sub leprae nomine venit morbus contagiosus, ob quem, eo infectus vel infecta, a communi omnium consortio separatur. Non est tamen legitima causa exeundi, si monasterium sit capax ac ea sit medendi eidem infirmitati commoditas, et nullum immineat aliis monialibus periculum. Appellatione vero epidemiae significatur quivis morbus contagiosus, malignam qualitatem praeseferens, qui facile ad alios diffunditur cum manifesto mortis periculo [3], quique coenobium, et non urbem tantum invaserit [4].

[1] Cap. 1 *de stat. reg.* in 6.

[2] S. Pius V, Const. *Decori et honestati.*

[3] De Alexandris in opere *de confess. monial., de claus.* cap 7, par. 9; Zacchia *Quaest. medico-legales* lib. 8, ist. 3.

[4] Sac. Congr. Epp. et Regular. 20 feb. 1720; Benedictus XIV *de Synodo* lib. 13, c. 12, 31.

In citatis casibus si res subitam fugam exposcat, ita ut periculum sit in mora, consensus Superioris praesumitur [1].

Quod si causa aliqua ordinaria habeatur ad egrediendum, non licet moniali claustrum deserere absque venia Apostolicae Sedis.

566. Moniales quae contra has leges et absque debita licentia egredi praesumpserint, excommunicationem incurrunt latae sententiae Romano Pontifici reservatam. Hodie vero ipsae tantum huic censurae subiacent, non vero Superiores, qui dant eis licentiam sine causa; neque comitantes et recipientes; neque egressae cum debita facultate, quae, definito eis tempore non revertuntur. Const. *Apostolicae Sedis.* Ceterae autem poenae, quibus praeter excommunicationem, coercebantur violantes clausuram, id est privatio dignitatum et officiorum et inhabilitas in posterum ad ea obtinenda, etiam nunc salvae permanent, siquidem per dictam Const. *Apostolicae Sedis* abrogatum fuit ius antiquum quoad censuras tantum.

567. Clausurae lex importat insuper, et nemini cuiuscumque conditionis, sexus, vel aetatis, fas sit in monasterii septa se inferre, et si quis secus faxit, ipso facto excommunicationem incurrit Romano Pontifici reservatam, cui etiam subiiciuntur introducentes et admittentes [2].

[1] Quoad Episcoporum auctoritatem in religiosas clausuras adstrictas, proposita sunt Sac. Congr. Epp. et Reg. dubia sequentia: 1) An Episcopus auctoritate propria permittere valeat ut recipi possint in Monasteriis clausurae subiectis mulieres, quae ingredi cupiunt veluti pensionariae? 2) Pariter potest Ordinarius, auctoritate propria, ad tempus vel in perpetuum monialem aliquam de uno ad aliud Monasterium transferre etiam Ordinis eiusdem, iusta interveniente causa? 3) Potest ne tandem Ordinarius, auctoritate propria transferre aliquam monialem, quando eadem electa fuerit in Superiorissam alterius Monasterii, aut censeat utilem esse et expedire translationem eiusmodi cum hoc munere? Iamvero Sac. Congr. Emorum Card. super praemissis dubiis die 16 iulii 1884 mandavit rescribi: « Negative in omnibus ».

[2] Ingredi est intus ire aut consistere et non tantum pedes ponere. Introducere, est intus mittere vel ingredi volenti ianuam aperire. Admittere est recipere, recipere autem intelligitur, qui prohibere debet et facile potest et tamen non prohibet. Cf. D'Annibale Comm. in Const. *Apost. Sedis.*

568. Ab hac generali prohibitione excipiuntur: 1) Ordinarius, qui monasterium ingredi poterit comitatus paucis iisque senioribus ac religiosis personis, visitationis causa aut necessitatis. Ei autem non licet ingredi, ut particulares moniales examinet, vel electioni Abbatissae praesit, vel ut sacramentum confirmationis administret [1]. 2) Excipiuntur Praelati Regulares, quibus ingredi monasteria sibi subiecta permittitur semel in anno, adscitis quibusdam venerabilibus viris regularibus. Quod si in eodem anno opus habeant pluries ea visitandi, debet ingredi vel cum Episcopo, vel cum alia persona ab Episcopo deputanda. 3) Excipiuntur Confessarii, qui ingredi possunt ad sacramenta infirmis ministranda, quoties dabatur sanis, vel ad commendandam animam morientium, sed semper cum socio, qui sit probatae vitae et maturae aetatis; is autem manere debet in ea monasterii parte, qua Confessorem videre et ab ipso videri semper possit [2]. Nequit autem Confessarius intro se inferre vel ad moniales sepeliendas, vel ad exequias peragendas, neque ad cellas benedicendas sabbato sancto, neque ad exorcizandas energumenas neque ad missam celebrandam. Ceterum in permissis casibus ingrediens, recta via et absque diverticulo ire ac redire debet. Neque potest in monasterio refectionem sumere, nisi ex causa longioris morae [3].

569. Sunt praeterea personae aliae, quarum adiumento Moniales indigent, quae tamen admitti in monasterium non possunt absque Episcopi venia, et si monasterium subest Regularibus, etiam Superioris Ordinis, nisi periculum sit in mora. Tales personae censentur fabri murarii, ferrarii, lignarii etc., praeter medicum et chirurgum, adhibita cautione ut eligantur viri probati tum aetate tum bonis moribus. Hae personae non possunt esse in monasterio post occasum, vel ante solis ortum, excepto medico, chirurgo et confessario. Licentia autem toties danda est, quoties opus fuerit, ex-

[1] S. Congr. Episc. et RR. in Neap. 6 iunii 1601.

[2] Alex. II, Const. *Felici.*

[3] Sac. Congr. Episc. et Reg. in *Pistorien. et Praten.* 2 martii 1855.

ceptis tantum medicis et chirurgis et confessariis ordinariis, quibus generatim dari debet.

Ceterum extra necessitatis casum non Episcopus, sed Romanus Pontifex, veniam concedit ut quis recipi possit in monasterii claustra. Licentia vero non conceditur, nisi moniales capitulariter per secreta suffragia auditae fuerint.

§ 2. — *De Clausura Virorum.*

570. Quod clausuram spectat virorum regularium (quo nomine accipiuntur qui solemnia nuncupant vota, non vero qui ad religiosas Congregationes pertinent, nec Tertiarii, etsi collegialiter vivant) vetant sacri canones personis diversi sexus eorum monasteria ingredi, et poenam excommunicationis latae sententiae Romano Pontifici reservatae, si quis secus faxit, imponunt. Huic censurae subiiciuntur etiam admittentes feminas, quamvis fatuas et mentis impotes. Excusantur vero mulieres, quae, vitandae necis causa, ad clausuram confugiunt et qui fugientes admittunt. Interdictum pariter est religiosis septa sui monasterii deserere. Et si contingat quod regulares viri absque venia monasterium deserant, tunc si animum redeundi habeant *fugitivi*, si animum redeundi non habeant *apostatae* censentur. Porro religiosus *fugitivus* subiacet poenis a iure in *apostatas* constitutis, et subiacet iis quae a constitutionibus proprii Ordinis latae sunt. Iuxta siquidem Doctores et praxim Sac. Congr. *fugitivi apostatis* in iure aequiparantur.

571. Fugitivis accensentur etiam illi, qui a suis conventibus recedunt *praetextu ad Superiores suos accedendi.* Supponit Tridentinum [1] hoc in casu religiosum discedere *levi de causa,* non vero *ex causa gravi et rationabili;* hoc enim in casu, discedens non poterit haberi uti *fugitivus* [2]. In locis Missionum hospitia, stationes, domus quaelibet cuiuscumque Ordinis, Congregationis, ac Instituti Regularis in quibus duo vel tres missionarii commorantur, legi clausurae stricte subiiciuntur [3].

[1] Sess. XXV de Reg., c. IV.

[2] Layana *Quaest. regul.* tom. III, pag. 32; Matteucci *Off. Cur. eccles.,* cap. 5.

[3] Collectanea n. 410, 412.

CAPUT III.

DE EGRESSU A RELIGIONE.

Huius capitis materia his articulis continetur nempe 1) de dimissione, 2) de revocatione, 3) de transitu ad aliam religionem, 4) de dispensatione, 5) de expulsione, 6) de saecularizatione.

ARTICULUS I.

De Dimissione.

572. Regularis ex iusta causa et forma canonica servata a Superiore e religione dimittitur ut ad saeculum redeat. Verum dimissio proprie locum habet quoad religiosos qui tantummodo vota simplicia emiserunt, sive agatur de Institutis cum votis solemnibus sive de Institutis cum votis simplicibus. Verum Religio regularem dimittere valet tantummodo ob culpam gravem, externam, et publicam ac probata religiosi incorrigibilitate de qua iuridice constare debet [1]. Per dimissionem abrumpitur vinculum votorum et professionis. Insuper « alumni votorum solemnium vel simplicium, perpetuorum vel temporalium in sacris ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint perpetuo suspensi maneant donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint » [2].

ARTICULUS II.

De Revocatione.

573. Revocatio Regularis locum habet cum clericus qui ad religionem convolavit, emissis vel non votis, ab Episcopo revocatur quia eius discessus Ecclesiae grave intulit damnum. Cum enim clericus beneficium vel officium in sua dioecesi occupat, sine Episcopi

[1] Cfr. decretum S. C. EE. et RR. *Auctis admodum* 4 nov. 1892.

[2] Conf. decretum *Auctis admodum* S. C. EE. et RR., § 4.

licentia dioecesim derelinquere non potest ne animarum detrimentum obveniat. Episcopus sine gravissima causa licentiam negare non debet [1].

ARTICULUS III.

De transitu ad aliam religionem.

574. Fieri potest ut transitus ab una ad aliam religionem permissus sit, dummodo legitimae conditiones observentur.

Hae sunt: 1) Ut transitus fiat ad religionem perfectiorem et strictiorem; quae autem perfectior sit, non ex prima regulae institutione, sed ex praesenti eius observatione determinandum est. 2) Ut licentia Apostolicae Sedis obtineatur. At circa hoc negotium hodie attendenda sunt quae Bened. XIV decrevit [2] de facultatibus Card. Maioris Poenitentiarii § XXXIV, XXXV, XXXVI, in qua permittit Maiori Poenitentiario concedere transitum ad laxiorem religionem ob graves causas probatas, auditoque prius Superiore Ordinis a *quo* et cum consensu Superioris Ordinis *ad quem* faciendus est transitus.

ARTICULUS IV.

De Dispensatione.

575. Religiosus Regularis qui in sacris constitutus non sit vel presbyteratum non acceperit, a Romano Pontifice ita iustissimis de causis dispensari potest et ad saecularem statum penitus reduci potest, adeo ut etiam nuptias celebrare possit. Quod si Religiosus in sacris sit constitutus vel presbyteratus ordinem susceperit, difficilius vel nullatenus dispensatio conceditur. Ita Alexander III dispensavit cum Nicolao Iustiniano monacho ad nubendum, Coelestinus III dispensavit cum Constantia moniali professa filia Rogerii Regis Siciliae ut matrimonium contraheret cum Henrico VI [3].

[1] Cfr. Breve *Ex quo* Benedicti XIV, 14 ian. 1747. — Cfr. CC. 1 — caus. 19, Quaest. 1a et 2a.

[2] In Const. *Pastor bonus* 13 Ap. 1744.

[3] FAGNANUS cap. 6, tit. XXXI, l. 3.

ARTICULUS V.

De Expulsione.

576. Eiiciuntur ab Ordine Regulares solemniter professi, graviter delinquentes et incorrigibiles. Inter eiectionem seu expulsionem ac dimissionem de qua supra dictum est haec intercedit differentia: 1) quod dimittitur religiosus non solemniter professus, eiicitur qui solemniter professus est; 2) Religiosus dimissus in statum laicalem reiicitur; Religiosus expulsus quoad essentiam in statu regulari manet. Verum antequam ad Regularem eiiciendum procedatur, Superiores curare debent ut delinquentes a culpis committendis desistant et in sinum religionis revertantur, qua in re etiam minores poenas Superiores adhibere tenentur. At si regularis fiat incorrigibilis ad eius eiectionem procedendum est [1].

577. Attamen hac in re iuxta iuris solemnitates procedendum est. Pro expulsione religiosorum edita est Circularis die 28 iunii 1872: haec tamen concernit religiosos in Italia degentes, siquidem extra Italiam in vigore est Decretum Sac. Congr. Concilii die 21 sept. 1624 latum iussu Urbani VIII, cui decreto aliquae subinde immutationes factae sunt, sive ab ipso Urbano VIII, sive ab Innoc. XII, anno 1695, quae praeteriri ac negligi non possunt. Porro cautum est, ut si qui vere incorrigibiles sint (et tales habentur si non solum concurrant ea omnia quae ex iuris dispositione ad hoc requiruntur [2],

[1] Divus Thomas quodlibet., q. 12, art. 36.

[2] Giraldi in Op. *Expos. Iur. Pont.* P. I, Sect. 643, exponit ea quae ex iure communi concurrere debent, praeter praescriptam carcerationem, ut quis censeatur vere incorrigibilis, nempe ut Religiosus aliquod grave delictum commiserit talibus circumstantiis qualificatum, ut in religionis dedecus, populi scandalum et religiosorum contagium cedat. Praeterea ut de delicto legitime constiterit vel per ipsius confessionem, vel per testium probationes; ut pluries religiosus deliquerit et trina monitione praemissa punitus fuerit pro singulis excessibus, ideoque, praeter dictam trinam monitionem, ad probandam incorrigibilitatem carcerem sex mensium praecedere debet trina delictorum eiusdem vel diversi generis iuridica punitio. Oportet demum, ut delicta continuentur moraliter ut reum in malo obfirmatum ostendant, quae continuatio colligitur ex brevitate temporis intra quod commissa sunt.

verum etiam si, sex mensium spatio in poenitentia et carceribus probati, nihilominus non resipiscant), instructo ad iuris tramites processu, probatisque causis expulsionis, dimitti possint. Religiosi vero iuste eiecti, qui extra religionem degunt, suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso iure incurrunt, dummodo professionem emiserint. Tenetur autem Superior regularis sententiam expulsionis Episcopo significare, in cuius dioecesi expulsus sedem suam statuere debeat. Regularis enim expulsus habitum clericalem induere obligatur, atque interim localis Ordinarii iurisdictioni et obedientiae subesse. Si quando difficile est singulis praescriptionibus satisfacere, quae in decreto Urbani VIII continentur pro sententia eiectionis, Sac. Congr. Epp. et Reg., in casibus particularibus a superioribus regularibus consulta, nonnumquam permittit, ut solemnitates illae praetermittantur et procedatur cum *processu camerali,* scilicet per summariam delictorum descriptionem, rei veritate inspecta et quomodocumque probata, ut patet, ex consult. in causa Leopolien. *super Mon. S. Bened.* 15 Ian. 1841, in Premislien. *sup. indult. perp. saecul.* 21 Iunii 1851. Alias ex auctoritate eiusdem Sacr. Congr. conceditur rescriptum perpetuae saecularizationis, quae sit loco expulsionis, prout videre est in allegatis locis. In Institutis votorum simplicium, ut quis ab Instituto expelli possit revera *incorrigibilitas* concurrere debere videtur. Etenim Sac. Congr. Epp. et Regul. in animadversionibus in Const. Congr. presbyt. sub tit. Imm. Concept. in dioec. Rhedonen. die 2 Martii 1861, ita se exprimebat: « Pro expulsione oportet ut revera concurrat incorrigibilitas, et pro iis qui perpetua vota emiserint, etiam confirmatio S. Congregationis ».

Appellatio intra decem dies interponenda est ac appellatione pendente eiectionis sententia suspenditur.

578. Regulares eiecti in habitu clericali incedere debent atque Ordinario loci iurisdictioni ac obedientiae subsunt. Manent tamen a divinis suspensi, neque sacra ministeria obire possunt, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi ac moderandi. Imo inhabiles evadunt ad ecclesiastica beneficia recipienda.

579. Quod si Regularis eiectus ad meliorem frugem deveniat, invento Episcopo benevolo Receptore ab hoc commendatus ad S. Congregationem EE. et RR. recurrat quae Ordinario necessarias et opportunas facultates tribuit. Insuper Regularis Patrimonium sibi constituere debet ac Episcopum benevolum qui illum excipiat invenire illum oportet.

ARTICULUS VI.

De Saecularizatione.

580. Dicitur Regularis saecularizari quando auctoritate R. P. iusta de causa facultas ei conceditur revertendi ad saeculum, firmo manente quoad substantiam statu regulari.

Saecularizatio est temporanea, vel perpetua. Ad saecularizationes temporaneas pertinet saecularizatio ad annum, ad biennium, ad quinquennium, durante infirmitate oratoris, durante munere, durante necessitate Parentum, ad nutum S. Sedis etc. Indulta saecularizatione Regularis solvitur ob obligationibus quas per solemnem professionem suscepit, sicuti Ordo ab obligationibus erga regularem liberatur. Attamen Regularis etiam in saeculo in statu religioso manet, ita ut teneatur observare vota quoad substantialia quatenus cum vita noviter suscepta compatibilia sint. Quare in habitu clericali incedit etiamsi interius aliquod signum regularis habitus retinere teneatur. Ordinario obedientiam praestare tenetur. Incapax est dominii, etiamsi res temporales retinere ac administrare valeat tamquam administrator earumdem consideratur. Testamentum condere non potest, eiusque bona Sedi Apstolicae cedunt. Beneficia saecularia non in titulum sed solum in administrationem recipere potest. Ab Ordine exire non potest nisi Episcopum benevolum receptorem inveniat, ac de ecclesiastico patrimonio sibi providerit, secus suspensus ab ordinum exercitio maneat [1].

[1] Decretum S. C. EE. et RR. 4 nov. 1892, n. V. Praestat heic aliquid exponere de Tertiariis. Tertiarii sunt qui, promissa coram Superiore regulae proprii Or-

ARTICULUS VII.

De Fugitivis ac Apostatis Regularibus.

581. Apostatae Regulares dicuntur qui post Professionem factam Religionem deserunt animo non revertendi: Fugitivi autem censentur qui Monasterio ad tempus discedunt non abiecto prorsus revertendi animo.

Apostatae ac Fugitivi Regulares ab Episcopis ac Superioribus Regularibus monendi sunt ut ad Religionem redeant, nec de adducta professionis nullitate audiantur nisi prius ad Monasterium redierint [1], ac a Superioribus commendati ad Sedem Apostolicam recurrant. Apostatae et Fugitivi tria vota substantialia ac Ordinis constitutiones servare tenentur, omnibus privilegiis privantur ac Ordinarii iurisdictioni subiiciuntur, ac in poenas incurrunt quae tum communi iure tum particularibus Ordinis constitutionibus contra Apostatas et Fugitivos statutae sunt.

dinis observantia, suo modo perfectiori vitae student. Tertiarios sibi adiungere nullo Instituto Regulari, nisi ex licentia Sanctae Sedis, permissum est. Horum triplex genus est. Unum virorum aut mulierum collegialiter viventium. Porro ex his mares gaudent Ordinum privilegiis et exempti sunt a potestate Ordinarii, non item feminae, siquidem eas Ecclesia vix tolerat et subiectas relinquit locorum Ordinariis, at non Parochis. Sac. Congr. Conc. 30 iunii 1722; Bened. XIV, Not. 105, n. 80. Alterum mulierum tantum, quae domi coelibem aut castam vidualem, emisso castitatis voto et in habitu Ordinis, vitam ducunt. Istae a suis quidem Superioribus regularibus habitum recipiunt, sed Ordinarii est id permittere atque ideo explorare an sint idoneae. Etenim necesse est ut et probatae vitae sint et annum saltem 40 fuerint ingressae et de suis redditibus vivere valeant. Gaudent autem indulgentiis Ordinum et fori privilegio, sed non exemptione, siquidem nedum Ordinariis sed et Parochis subiectae sunt. Bened. XIV, Const. *Emanavit super* 17 sept. 1749. Quamobrem Parochis tantum licet eis ministrare communionem in Paschate, viaticum, extremam unctionem morituris. Bened. XIV, Notif. 105, n. 68. Tertium denique eorum est, (sive mares sint, sive feminae, sive coniugati) qui nullo suscepto habitu, nec inito voto pefectioris vitae, regulam profitentur, quae nullo modo eos obligat ne venialiter quidem. Hi regularium indulgentiis at non privilegiis participant.

[1] Trid. Conc. Sess. XXV de Regul., cap. XIX.

SECTIO II.

De Congregationibus Religiosis in quibus vota simplicia emittuntur.

582. Praeter Ordines regulares de quibus locuti sumus, adsunt Congregationes religiosae vel virorum vel mulierum, quae hac nostra aetate non sine summo totius christianae ac civilis reipublicae emolumento excreverunt, de quibus operae pretium est aliqua heic delibare.

CAPUT I.

DE CONGREGATIONIBUS DIOECESANIS VEL NON, EARUMQUE NATURA.

583. Congregationes istae aliae sunt dioecesanae, aliae vero non. Dioecesanae sunt quae unam vel plures domos in una dioecesi habent, quaeque intendunt intra ipsius dioecesis limites consistere. Non dioecesanae vero, de quibus potissimum agimus, sunt Congregationes (quamvis non exemptae) quae uni superiori vel superiorissae generali parent et in pluribus dioecesibus diffusae sunt.

584. Porro viri et mulieres huiusmodi vota simplicia paupertatis, castitatis et obedientiae nuncupant sive perpetua sive temporanea. At ex voto paupertatis ad radicale rerum dominium retinendum vel subinde acquirendum aut ad disponendum de bonis non fiunt inhabiles. Sane Sac. Congr. EE. et RR. die 12 Iunii 1858 declaravit quod « professi votorum simplicium dominium radicale, ut aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio et redituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere, pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum et usum quibus eis placuerit ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint ».

585. Summa igitur libertas conceditur religiosis votorum simplicium bonorum suorum administrationem et usumfructum cedendi favore suorum parentum, prout eis placuerit, aut etiam suo Ordini. Ratio autem est, quia communitas seu Institutum per professionem simplicem nullum ius adquirit in bona subditorum. Quum vero religiosi votorum simplicium etiam post professionem adquirere possint bona per haereditatem, eo eveniente casu, etiam cedere debent cui voluerint administrationem et usumfructum et usum, et de bonis disponere possunt, si voluerint, ut fit ante professionem. Notandum vero est quod sorores indigent licentia scripta Episcopi antequam de dominio bonorum disponant, tum ut prudentius agant, tum ut ratio habeatur Capit. XVI Conc. Trid. Sess. 25 de Reg. Cum vero conventiones factae Congregationem inter et sororem professam procedant per modum contractus, omnes conditiones clare explicandae sunt in Constitutionibus nihilque relinquendum arbitrio superioris ecclesiastici, uti satis innuitur in epistola S. Congr. EE. et RR. ad Vicarium Capitularem Ferrarien. scripta die 16 Iunii 1772. Admissa autem votorum simplicium qualitate, sorori egredienti seu dimissae dotem esse reddendam patet ex decisione Sac. Cong. Conc. in causa Civitatis Castellanae die 3 Martii 1792 et Sac. Cong. Ep. et Reg. in Comen. 1 Dec. 1758.

586. Ex voto castitatis religiosi vel sorores inhabiles non fiunt matrimoniis ineundis. Ex voto denique obedientiae a potestate Ordinariorum non sunt exempti, nisi id eis ab Apostolica Sede nominatim fuerit concessum[1]. Ex quo sequitur quod in Institutis votorum simplicium, nisi habeant speciale indultum, socii ordinandi dimissorias obtinere debent a legitimis Ordinariis, et antequam ad ordines sacros promoveantur, provisi esse debent titulo beneficii aut patrimonii sufficientis. Sane proposito dubio a pia quadam huiusmodi Congregatione « an oblati dicti Collegii tam dioecesani quam exteri sine proprii Ordinarii litteris dimissoriis ad sacros ordines promoveri valeant ad titulum mensae communis in casu quo be-

[1] Bened. XIV, Litt. *Emanavit* 21 Iunii 1758.

neficium vel patrimonium sufficiens non possideant? » Sac. Congr. EE. et RR. die 17 Febr. 1785 respondit: Negative. Die autem 6 Maii 1864 rescripsit quoad dimissorias observandam esse Constitutionem fel. rec. Innocentii XII *Speculatores*. Attamen Superiores Instituti alumnos ordinatos mittere poterunt in aliam dioecesim absque licentia aut notitia Episcopi ordinantis. Sac. Congr. EE. et RR. cit. resol.

CAPUT II.

DE CONGREGATIONUM ADPROBATIONE.

587. Quoad approbationem istarum Congregationum notandum est, quod ut plurimum preces pro huiusmodi Institutorum approbatione coniunctae sunt ac pari passu procedunt cum precibus quibus constitutionum confirmatio exposcitur [1].

Porro si sermo sit de Institutis mere dioecesanis, Apostolica Sedes non solet ea eorumque Constitutiones probare, sed probatio Episcopo relinquitur. Quod si agatur de Institutis quae velint in aliis dioecesibus sedem figere, quod in locis missionum frequenter accidit, etiam praedicta Instituta debent ad approbationem consequendam recurrere ad Sacram Congregationem Fid. Prop., si agitur de Institutis in locis missionum erectis aut etiam alibi existentibus, sed ad Missiones destinatis; sin autem, ad Congregationem EE. et RR.

Iamvero ad approbationem consequendam haec in primis exiguntur: 1) Litterae Episcopi in cuius dioecesi Institutum vel primaria eius domus invenitur, et si Institutum in aliis etiam dioecesibus diffusum sit, litterae respectivorum Ordinariorum. His litteris edoceri debet quando et a quo dictum Institutum fundatum fuerit, utrum aliquod decretum laudis ab Apostolica Sede obtinuerit, quot

[1] Distinctio *regularum* et *constitutionum* haud admittitur in novis his Institutis, cum regularum nomine veniant regulae tantum antiquorum Ordinum quae olim ab Ap. Sede approbatae fuerunt. Cf. librum cui titulus *Methodus quae a Sac. Congr. EE. et RR. servatur in approbandis novis Institutis.*

sint eius domus; edoceri etiam debet quot sint viri seu mulieres professae, quando Constitutiones elucubratae sint; quos progressus nova fundatio fecerit, quas subierit vices, quo in statu in praesens versetur, quaeque subsidia temporalia ei suppetant. Exigitur: 2) Omnium religiosorum seu monialium consensus capitulariter requisitus; 3) Constitutionum utilitas experimento probata. Quando Sacra Congregatio Fid. Prop. singula documenta ac scitu necessaria collegit, actorumque positio seu collectio completa est, tum positio ipsa ad Commissionem Consultorum, cui praesidet unus ex PP. Cardinalibus Sacrae ipsius Congregationis transmittitur, quae Commissio, praehabito voto unius ex Consultoribus accuratoque examine instituto, suam sententiam aperit eamque scriptis consignat. Post haec universa res generalibus comitiis Eñorum PP. diiudicanda proponitur.

588. Ordinarie loquendo, antequam Constitutiones approbentur, Decretum laudis praemittitur, quod non idem semper est. Aliquando enim laudatur tantummodo scopus et finis Instituti, quod fieri solet cum in regimine et Constitutionibus defectus aliquis deprehenditur; aliquando scopus et Institutum laudatur, saepe simpliciter Institutum; aliquando Institutum approbatur et Constitutiones simpliciter laudantur; aliquando eodem tempore conceditur Decretum laudis et approbationis, cum scilicet experimentum praecessit et Constitutionum utilitas perspecta est. Quod si experimentum non praecesserit, congruum tempus praefigitur, propositis plerumque aliquibus modificationibus in Consitutiones inducendis, et eo tempore elapso, Constitutiones iterum ad examen revocatae, definitive probantur [1].

[1] In Congregatione Gen. Fid. Prop. habita die 5 Ianuarii 1885 occasione examinis relationis circa Constitutiones Sororum Ord. S. Benedicti in dioecesi Birminghamensi, placuit Emis Patribus decernere examen Constitutionum Institutorum Regularium Sororum in posterum sequenti ratione esse habendum. 1) Ubi Institutum aliquod Sororum regulas sive Constitutiones Sac. Congregationi approbandas submittat, ad Superiores eiusdem mittantur exemplaria regularum Instituti Sororum de Bono Subsidio et Sororum tertii Ordinis de Rosendaal in Hollandia, ut ex iis, quas

CAPUT III.

DE CONGREGATIONUM EPISCOPIS SUBIECTIONE AC GUBERNATIONE.

589. Quod ad Episcopi potestatem attinet in his Congregationibus sedulo distinguendum est, num mere dioecesanae sint, vel non. Si dioecesanae sint et sola permissione Ordinariorum existunt, illorum auctoritati et iurisdictioni omnino subiacent. Sin minus, seu quando agitur de Instituto (quamvis non exempto) quod uni Superiori vel Antistitae generali paret et in pluribus dioecesibus diffusum est, nullus Episcopus huius Congregationis Superior esse potest, sed singuli Episcopi suam iurisdictionem exercere possunt supra domus et religiosos in propriis dioecesibus existentes, iuxta sacros canones et iuxta Constitutiones ab Apostolica Sede probatas. Quocirca sarta tectaque esse debet Superiorissae vel Superioris generalis auctoritas ad regimen integrae Congregationis, eo modo quo determinatur in Constitutionibus, aliter enim unitas et uniformitas interverteretur, pro qua servanda Superior vel Superiorissa Generalis stabilita est. Quapropter Episcopus immiscere se nequit in iis, quae generale totius Instituti seu Congregationis regimen respiciunt, etiamsi domus primaria in sua dioecesi inveniatur. Neque potest immutationem aliquam inducere in Constitutiones, praesertim si ab Apostolica Sede approbatae fuerint. Hinc S. Congr. Epp. et Reg. in Const. Instit. Taurin. Sor. a S. Anna, dispositionem deleri iussit, qua Episcopo facultas attribuebatur particularia statuta conficiendi (8 Iu-

iam S. C. probavit, assumant eas dispositiones, quae referuntur ad substantialia cuiuscumque Instituti pii Sororum et introducant in novas Constitutiones. 2) Ubi iterum remiserint Constitutiones, eae transmittantur ad Consultorem, qui videat num omnia recte expleverint quoad preaedictas correctiones, et examinet quae specialia sunt Instituto de quo in casu. 3) Huiusmodi votum ad trutinam revocetur in Commissione speciali pro Institutis regularibus, quae suum iudicium super data re emittat. 4) Demum ad Sac. Congr. res referatur, testando ex sententia Commissionis, quae substantialia sunt in regulis esse diligenter servata, et proponendo animadversiones tantum circa res quae specialim finem novi Instituti attingunt.

nii 1846). Habet tamen Episcopus potestatem nominandi ecclesiasticum virum, qui religiosarum confessiones excipiat, sive ordinarie, sive extraordinarie. Confessarius quidem ordinarius his Congregationibus datur ad triennium [1]. Ordinarius habet insuper ius dandi permissionem alienandi bona exigui valoris, iuxta Can. *Terrulas,* quem canonem salvum semper voluit Sac. Congr. EE. et RR. in approbatione Constitutionum horum Institutorum. Audiri etiam debet Episcopus in expulsione alicuius Sororis, Sac. Congr. EE. et RR. 20 Febr. 1861, et habet ius praesidendi electioni Superiorissae. Hoc vero ius Episcopi praesidendi in Capitulo eo continetur, ut scribit Pellizarius *de Monial.*, Cap. x, n. 96, ut omnia fiant quiete et pacate nullaque violentia ac defectu iuridico; nequit autem deliberationibus capitularibus se immiscere neque suum ferens suffragium neque illud imponens [2]. Ad haec Episcopus consensum praestare debet pro erectione novae domus et saltem audiri in relinquenda domo in eius dioecesi existente. Debet examinare novitias quoad vocationem in ingressu et ante professionem [3]. Quamvis enim dubitari possit an Tridentini dispositio debeat extendi etiam ad has Congregationes religiosas quae nec vota solemnia profitentur, nec clausura papali obstrictae sunt, a qua dispositio ipsa conciliaris pendere videtur, certum tamen est Sac. Congr. EE. et RR. in examine Constitutionum horum Institutorum huic legi ea subiicere, ut patet in animadversionibus additis Const. Sororum vulgo *Povere ancelle di G. C.* 25 Martii 1860. Habet Episcopus ius inspectionis quoad fidem, vitam communem, scandalorum aut abusuum resecationem; attamen

[1] Gregorius XV, Const. *Inscrutabili* 5 Febr. 1622; Bened. XIV, Const. *Pastoralis curae* 5 Aug. 1748, et Sac. Congr. EE. et RR. in notis ad Const. Ancillarum ab adoratione SS.mi Sacramenti 1 Sept. 1860 his verbis: « Cum proprium sit Episcoporum deputare Confessarios monialium, non solet attribui ius eos nominandi monialibus ipsis ».

[2] Sac. Congr. Concilii in Tiburtina 26 Apr. 1727, in qua alia citatur decisio anni 1621; Giraldi *Exp. Iuris Pont.*, P. 2, Sect. 161, app. ad dub. 28; Tamburini *de iure abbatissae* Disp. 28, n. 6, quaest. 6.

[3] Concil. Trid. Sess. XXV de Reg., Cap. XVII.

directio domestica non penes Episcopum stat, sed penes domorum Superiorissas. Competit Episcopo ius visitationis intra terminos suae competentiae [1]. Administratio bonorum totius Congregationis ad hanc ipsam pertinet, non ad Episcopum; attamen abusus in administratione commissus cadit sub iurisdictionem Ordinarii, quo casu potest is de administratione cognosere et excessus coercere.

590. Moderatrix Generalis qua talis, seu qua Superiorissa totius Instituti, non est subiecta Ordinario dioecesis in qua degit, nisi quatenus munere suo fungitur in ista dioecesi, eodem modo quo in obeundo munere suo dependet ab aliis Episcopis in quorum dioecesi Congregatio ipsa domos habet.

Plura autem sunt quae Sacri Canones et praxis Sac. Congr. EE. et RR. eidem tribuunt absque dependentia ab Ordinario loci. Qua in re ut norma aliqua habeatur, heic referre utile erit appendicem ad Constitutiones Instituti Filiarum Charitatis a Sac. Congr. EE. et RR. approbatam, in qua cum de potestate Superiorissae generalis eiusque assistentibus agitur, tum de electione Superiorissae generalis et assistentium optimae leges praefiniuntur.

ARTICULUS I.

De Superiorissae generalis potestate eiusque assistentibus.

591. In praedicta appendice ad Constitutiones Instituti Filiarum Charitatis a S. C. EE. et RR. adprobata haec statuuntur.

Superiorissae est: 1. Superiorissa Generalis per sexennium in suo officio perdurat, nihil tamen vetat quominus sexennio exspirato iterum eligi possit.

2. Superiorissae generali in congregationis regimine quatuor assistentes veluti coadiutrices adscitae sunt. Earum officium ad sex

[1] Clement. 2 de statu Monach., et Sac. Congr. EE. et RR. in Instructione data anno 1858 pro elucubratione Constitutionum sororum vulgo *Povere suore di N. Signora,* in qua tribuens Superiorissae Generali ius visitandi omnes domus ad conservandam disciplinam regularem, subiungit abstinendum ei esse a visitatione ecclesiae et rerum ad illam pertinentium.

annos extenditur, at vero possunt iterum eligi. Cessat earum officium quotiescumque cessat ea, cui adscitae sunt, superiorissa generalis.

3. Superiorissa generalis pro suo arbitrio, cum primum proprium init ministerium, sororem eligit secretariam et cancellariam, quae totius gesti regiminis rationem referat.

4. Cancellaria in apposito libro omnes regiminis gesti actus adnotat; suo nomine describit deliberationes, iussa, decreta, et licentias generalis congregationis, eaque custodit ac servat: superiorissam occasione visitationis comitatur.

5. Assistentes in consilio sedent ordine maioris in instituto antiquitatis servato. Superiorissa consilium suum convocat in omnibus negotiis, quae aliquam gravitatem praeseferant [1].

6. Assistentes voti deliberativi iure gaudent in iis, qui sequuntur casibus. 1. In fundatione novarum congregationis domorum, vel institutorum (vulgo *stabilimenti*). 2. In aliqua domo vel instituto (vulgo *stabilimento*) relinquendo. 3. In expellenda a Congregatione aliqua sorore iam professa, quae incorrigibilis evaserit. 4. In deponenda ab officio iusta ex causa aliqua superiorissa locali, vel sub-superiorissa, aut novitiarum magistra. 5. In statuendis novitiatus domibus. 6. Quando determinandum sit, an adsit necne necessitas, ut superiorissa generalis ad Congregationis domos visitandas ferre se debeat. 7. Quando in casu *necessitatis* sub-superiorissa alio transferri debeat (etiamsi ex communitatis suffragio electa fuisset) ut in alia domo eligi possit [2]. 8. Uni superiorissae competit

[1] In Anim. ad *Const. soror. S. Thomae Parisien. 27 Iulii 1860, § 14, p. 21* non probatur, quod assistentes dispersae sint, et non constituant consilium ordinarium generalissae, ut communiter fit in aliis institutis. Idem in Anim. ad *Const. sor. Catalaunen. 27 sept. 1861, § 10, pag. 28.*

[2] In *Taurinensi S. Annae* Instituto iuxta votum consultoris c. m. Card. Recanati, sorores in consilium adscitae votum deliberativum obtinent in hisce ipsis casibus hic recensitis. At in instituto *Brixien. Ancill. charitatis,* cuius constitutiones S. C. Ep. et Reg. approbavit anno 1850, sorores consilium constituentes praeter casus hic indicatos, iure pollent voti deliberativi aliis etiam in casibus, nimirum, quando aliqua soror Instituto iam egressa iterum ingredi postulat, ut spatium no-

ius excipiendi postulantes (quae nimirum in Institutum admitti postulant): nihilominus superiorissa in casibus particularibus, cum praesertim de domibus longinquis agatur, superiorissam localem deputare poterit, ut easdem postulantes excipere ipsa valeat. 9. Superiorissa generalis invigilat, ut regulae accuratissime serventur, atque Institutum ubicumque suum scopum assequatur [1]. Communicat per literas cum omnibus Instituti domibus, itemque cum episcopis dioeceseon, ubi Charitatis Filiae commorantur.

7. Superiorissa generalis potestatem habet visitandi omnes domos et instituta (vulgo *stabilimenti*) ad formam praecedentis paragraphi 6, n. 6. Si quando in aliqua domo regularis observantia relaxetur, aut (quod absit) aliquod ingens incommodum intercidat, eam domum per se visitare tenetur, aut, si legitimo impedimento districta sit, per sororem ad hoc deputandam visitationem potest absolvere.

8. Hisce in casibus domorum etiam, quae in itinere occurrunt, vel procul non absunt, visitationem adimplet.

9. Cum ad eam, quae visitari debet, domum pervenerit, antequam visitationis initium faciat, episcopum dioecesanum adit obsequium praestitura, ab eoque benedictionem acceptura.

vitiatus diminuatur; cum bona Instituti alienanda sint, quae ceteroquin alienatio fieri nequit nisi accedente beneplacito auctoritatis ecclesiasticae ad formam ss. cc. et constitutionum Apostolicarum; cum agendi ratio, quam superiorissa sequitur, examinanda sit iuxta *Cap. V, § 1, Const.*, videlicet si quando destruat potius quam aedificet; denique in omnibus negotiis arduis et gravibus, quibus superiorissa nolit onus ac periculum in se suscipere alicuius capiendae dispositionis, deque bono eiusdem exitu respondere.

[1] Quantum ad Communionem sacramentalem spectat, Superiorissa solam habet facultatem prohibendi Sorori accessum ad illam in unico casu, in quo Soror post ultimam Confessionem commiserit defectum aliquantulum gravem et publicum cum aliarum sororum admiratione, idque usque dum praedicta Soror iterum ad Sacramentum Poenitentiae accesserit. S. C. EE. et RR. 27 Iun. 1876. Pariter Sac. Congr. EE. et RR. minime solet approbare aperitionem conscientiae Superiorissae, sed tantum permittitur ut Sorores si velint, pandere possint defectus in regulae observantia et progressum quoad virtutes.

10. Praemissis aliquibus rite precibus praehabitoque familiari ad communitatem insimul congregatam sermone, visitationem aperiat. Dein prosequitur visitationem personalem, in qua initium ab ultima sorore sumit, et cum locali superiorissa terminum facit. Postea singulas sororum cellas, scholas, officinas, aliasque domi partes perlustrat. Excipitur ecclesia quam visitare unice pertinet ad Episcopum, ut superius diximus.

11. Occasione visitationis oeconomicas administrationis rationes, quae ad domum pertinent, expendit. Hac in re cancellariae suae opera uti potest.

12. Tempore visitationis superiorissa in scriptis ea decreta edere potest, quae pro sua prudentia edere censebit, ut religiosae communitatis necessitatibus consulat. Omnes visitationis actus in libro apposito a cancellaria diligenter perscribuntur.

13. Visitationi finem imponit sermo a superiorissa item habendus, in quo opportunas admonitiones sororibus diriget. Tandem debitae Deo gratiarum fiunt actiones [1].

14. Superiorissa nunquam neque in visitatione, nec extra visitationem decreta faciet, quae decretis ab Episcopo editis adversentur. Si quando aliqua episcopi dispositio inopportuna videtur, omni dimissione et obsequio praestito, rogabit antistitem, ne eam revocare gravetur. Si preces et exposita in irritum cesserint, ad

[1] In pluribus Institutis sancitum est, ut celebretur generale capitulum. Eius utilitas pro gravioribus negotiis pertractandis, ac praesertim pro eligenda persona ad regimen congregationis idonea demonstratur in S. C. *Animadversion. ad Const. Sor. a S. Thoma 27 Iul. 1860, Parisien.* § *4, pag. 20, l. c.:* at vero S. C. non sinit, ut eiusdem convocatio arbitrio generalissae remittatur: debet enim, recurrente certo quodam annorum spatio, veluti quolibet quinquennio, sexennio, vel longiori intervallo, convocari. *Anim.* in *Const. fil. immac., Paderbonen. 10 Maii 1860, art. 3, pag. 9,* ubi art. 6 animadvertit, rem esse periculi plenam, quod generalissae eiusque consilio ius sit concedendi sororibus vocem activam et passivam: namque vox activa et passiva in aliis institutis competit sororibus, quae aliquot annos professionis habuerint, et aliquod munus exercuerint: quod ius neque toti communitati relinquendum esse animadvertitur in *Anim. ad Const. sor. fam. paup. Marianopolitan. 25 Apr. 1860,* § *7, pag. 12.*

Eminentissimum Protectorem sese vertat, ut ipse pro sua prudentia consulat.

15. Si episcopus nolit ut aliqua soror in sua dioecesi moretur, superiorissa, quoad poterit, eius voto obsequi curabit, aliamque substituet.

16. Etiamsi superiorissae ius sit quamcumque sororem etiam sine episcopi consensu de uno ad alium locum transferre, nihilominus nunquam hoc iure utatur, nisi necessitas, aut aliqua probabilis causa id postulaverit: neque tamen omittat per literas obsequii plenas hac de re episcopum edocere.

17. Generalissa, audito assistentium consilio, facultatem habet nominandi superiorissas locales in aliis domibus, in quibus iuxta constitutiones electio fieri non potest sive ob parvum sororum numerum, sive ob defectum sororum, quae huic officio idoneae sint. Quae vero superiorissae per scrutinium in suis quaeque domibus electae fuerint, antequam in officium ingrediantur, confirmationem a superiorissa generali consequi tenebuntur [1].

18. Superiorissa generalis ob graves circumstantias poterit copiam facere superiorissis et sub-superiorissis, ut in officio suo permanere pergant; at vero facultatem hanc ultra unius anni spatium prorogare non poterit.

19. Superiorissa generalis, adhibito assistentium consilio, obtentoque Cardinalis Protectoris consensu, poterit indulgere, ut quidquid circa supellectilem domi et usum vitae praescribitur a con-

[1] Superiorissae locales, quae hic a sororibus singularium domorum per scrutinum eligi innuitur, in aliis Institutis vel a capitulo, seu consilio generali eliguntur, ut in Instituto filiarum S. M. a Bono Pastore. Utilior fortasse putanda est haec altera ratio, quando agitur de institutis, in quibus sorores de una ad aliam domum transferre licet: nam consilium generale vel generalissa facilius et penitius cognoscere possunt, quae specialim sorores regimini aptiores sint; deinde sorores extraneae melius certe et obsequium et auctoritatem sibi conciliant. Nec obstat exemplum a monasteriis votorum solemnium petitum. Nam una ex sororibus ibi morantibus necessario in abatissam nominanda erit. Aptius facit exemplum ab ordinibus regularibus sexus masculini ductum, ubi domorum religiosarum fratribus guardianum eligendi ius minime inhaeret.

stitutionibus, commutetur in aliud, quod paupertati, valetudini et regionis moribus consentaneum est.

20. Superiorissa generalis, antequam novas domorum aut institutorum (vulgo *stabilimenti*) fundationes accipiat, episcopi dioecesani et Cardinalis Protectoris consensum assequi debebit.

21. Superiorissa generalis in specialibus ministerii sui partibus obeundis episcopo non subiicitur in cuius dioecesi sedem habet. Cardinali Protectori paret, cui quotannis de instituti statu rationem reddit [1].

22. Generalissae munus incompatibile declaratur cum munere superiorissae localis in ordinariis suis muneribus ac iuribus iuxta constitutiones exercendis. Quapropter in localis superiorissae munera, et domum, ubi moratur, non sese ingeret ultra id quod ipsi, utpote generali totius Instituti moderatrici, competit.

23. Superiorissa localis munus poterit obire una cum assistentibus generalibus in domo, ubi residet, dummodo ex communitatis suffragio iuxta regulas libere ad illud officium eligatur.

24. Quaelibet superiorissa localis superiorissae generalis consilia exquirere ac sequi tenetur in omnibus casibus dubiis et gravioribus. Quolibet anno superiorissae generali distinctam accuratamque de Instituti statu relationem mittit, ac summatim rationem reddit de oeconomica administratione sine praeiudicio earum praescriptionum, quae in regulis traditae sunt. Praeterea ut superiorissa generalis accuratiorem notitiam acquirat de domus statu praesertim morali, etiam domorum ministrae de eo per suas quaeque literas ipsam secreto certiorem quolibet anno facient.

25. Ut sustineri ferrique possint sumptus, qui ex literis per publicos tabellarios acceptis, et itineribus aliisque titulis in communitatem derivant, in qua generale regimen sedem habet, quaelibet domus certam summam generalissae pensitabit. Quidquid su-

[1] In Animad. ad *Const. Sor. hospit. Carnoten. 12 Iul. 1860, § 10, pag. 27, l. c.* praecipitur, ut generalissa quolibet triennio de Instituti statu formali ad S. C. Ep. et Reg. referat.

perest ex pecunia in hanc rem cumulata, generalissa in utilitatem domorum pauperiorum poterit impendere. De hac administrationis parte soli Cardinali Protectori eadem rationem reddit.

ARTICULUS II.

De Electione Generalissae et aliarum officialium.

592. 1. Simul ac sexennium habuerit exitum, quo superiorissa generalis regimen gessit, vel etiam ante, si eiusdem obitus acciderit [1], statim eo, qui sequitur, modo ad electiones procedatur.

2. Electiones a sororibus fient per schedulas, quae sigillo clausae ad Cardinalem Protectorem remittentur. Quae maiora suffragia ultra dimidium consecutae fuerint in superiorissam generalem, et in assistentes electae censebuntur. Cardinalis Protector electiones confirmat.

3. Eminentissimus Protector, ut electionum felicem exitum promoveat, ac faciliorem reddat, eligibilium notam conscribet proponetque, postquam debitam de iisdem eligibilibus cognitionem acquisiverit, eo nempe consilio, ut sorores nosse queant, cui suffragium ferre satius sit, quando ignorant, quaenam magis idoneae reputentur. Sorores autem liberae sunt iuxta propriam conscientiam quamlibet sororem eligere etiam extra notam, dummodo electa necessariis polleat qualitatibus [2].

4. Nulla potest in superiorissam generalem eligi, quae quadraginta aetatis, decem professionis annos non attigerit, sed, necessitate suadente, Card. Protector dispensare poterit, ut soror eligatur, quae annum trigesimum aetatis, quintum professionis omnino compleverit.

[1] In Animad. ad *Const. Sor. Catalaunen. 27 Sept. 1861, § 8, pag. 28,* generalissa deponi a suo nequit officio sine praevio recursu ad Apostolicam Sedem. Item in Anim. ad *Const. Sor. Charit. Paderbonen. 10 Mart. 1860, § 16, pag. 10;* multo magis id ibidem cavetur, si (quod absit) de generalissa expellenda ageretur.

[2] In Animad. in *Const. Fil. Mar. Gerunden. 9 Maii 1860, § 6, pag. 14,* non probatur, quod schedae in qualibet domo aperiantur; nam ex charactere dignosci potest persona, quae suffragium dedit, itaque secretum a Concilio Tridentino prae-

Ut aliqua soror in assistentem generalem eligi queat, requiritur, ut triginta aetatis, et octo professionis annos exegerit. Cardinalis Protector dispensare potest super annis professionis ut, iustis accedentibus causis, ad idem officium soror eligatur, quae quintum professionis annum praetergressa fuerit [1].

Sciant insuper electrices, sese illi suffragium suum ferre teneri, quam iuxta suam conscientiam ad hoc officium maxime idoneam supra ceteras cognoverint, ratione tantummodo habita maioris Dei gloriae, et Instituti utilitatis [2].

5. In electione superiorissae generalis et assistentium peragenda activa voce potientur, seu electrices erunt, 1. generalis et assistentes eo munere modo functae, ac illae, quae idem ipsum munus in antecessum obiverint. 2. Superiorissae pro tempore domorum, et institutorum (vulgo *stabilimenti*) sub–superiorissae, novitiarum magistrae, administrae, seu hospitalium visitationi praefectae, aliaeque scholis praepositae, nec non ministrae, sive primae scholarum magistrae. 3. Quae superiorissae et novitiarum magistrae munus una vice gesserint.

6. Superiorissa generalis quatuor ante menses, quam suum ex-

scriptum sartum tectumque non manet: quod non probatur nec in *Anim. ad Const. Lemovicen.*, § *12, pag. 18*. Hinc edicitur, melius esse, ut schedae omnes ad domum principem transmittantur, ibique a scrutatricibus coram episcopo, uti Apostolicae Sedis delegato aperiantur: additur coarctandum non esse suffragium ad sorores, quae actu sint superiores locales. In Anim. ad *Const. Soror. S. Mariae Lemovicen. 11 Iul. 1860,* § *2, pag. 18, l. c.*, electio per schedulas conceditur ab Apostolica Sede, nec vero arbitrio praesidis capituli relicta admittitur. Ibi § 3 cavetur, ne nimius sit vocalium numerus in capitulo. Item § 4 nimis periculosum edicitur, ex sororibus eligibilibus quasdam seligi, et per appositam notulam significari vocalibus, ut ex iis moderatrix generalis eligatur. Excipe casum, quo notula ista a Card. Protectore conscribatur, eiusque auctoritate circumferatur.

[1] In Anim. *Lemovicen. mox citata,* § *5, l. c.*, advertitur non solere concedi, ut episcopus super aetate cum generalissa dispenset.

[2] In Anim. ad *Const. Sor. a Praes. Albien. 23 Iun. 1860,* § *6, l. c., p.19,* proponitur ut si electrices in eligenda moderatrice generali non conveniant, ope Praesidis capituli ad S. Sedem recurratur.

piret officium, Emum Protectorem edocebit, rogabitque, ut necessaria consilia pro futuris electionibus tempestive ineat.

7. Canonica expleta electione, Emus Protector eam superiorissae munere suo obeunti significet, ut cum electis nuntium hunc communicet, quae illico ad locum suae residentiae se ferre tenebuntur.

8. Nova superiorissa generalis, sui muneris possessione capta, literas encyclicas omnibus Instituti domibus perscribit, quibus de sua et assistentium electione eas commonefaciat.

9. Extra dioecesim literas obsequii plenas cuilibet episcopo dabit, in cuius dioecesi domus aut instituta reperiuntur.

10. Si superiorissae generalis obitus eveniat, antequam sexennium emensum fuerit, quae prior est inter assistentes Card. Protectorem certiorem faciat, ut hic generalem vicariam confirmet, quae Instituti regimen usque ad proximas electiones sustineat.

LIBER III.

De Laicis.

Laicus in Christi Ecclesia per oppositionem ad clericos nominatur; sicuti enim clericorum praeesse est, ita laicorum subesse. De laicis breviter agentes dicemus: 1) de laicorum statu iuridico in Ecclesia; 2) de iuribus et privilegiis quibus aliquando donantur.

CAPUT I.

DE LAICORUM STATU IURIDICO.

593. Qui per baptismatis sacramentum in Ecclesiam ingressi sunt, irrevocabiliter Ecclesiae subditi fiunt. Quare ut in tractatu de iure publico ecclesiastico demonstratum est, haeretici et schismatici non modo legibus divini ac naturalis iuris tenentur, sed etiam legibus Ecclesiae mere disciplinaribus tenerentur, nisi Ecclesia bona mater illos, qui in haeresi et schismate nati sunt quique in bona fide versari censentur, dispensare ad maiora mala vitanda non vellet. Verum omnes fideles in duas classes dividuntur ut dictum est, in *laicos* nempe quibus fidelium multitudo constat, et in clericos qui a reliquo populo separati, et quibus mediorum oeconomia in Ecclesia commissa est, quique curis ac ministeriis suis caeteros ad finem dirigunt. Quare fundamentalis lex est « *Laicos iurisdictionis ecclesiasticae esse incapaces* » [1].

594. Cum de laicis autem loquamur, et Principes et Reges complectimur: nil enim possunt Principes in Ecclesia in iis quae directe vel indirecte, mediate vel immediate Ecclesiae finem attingunt. Quare in Syllabo haec propositio 54 damnatur « *Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis Superiores sunt Ecclesia* ».

[1] Arg. Matth. XVI, 18, 19; XVIII, 18; Io. XXI, 15; Cap. *decernimus* de iudiciis; GONZALEZ Comm. in cap. 2 de iudiciis, et passim doctores.

Quare incassum Iansenistae Principibus *ius advocatiae* ceu protegendi Ecclesiam tribuunt, cum Principibus potius obligatio defendendi Ecclesiam competat ad nutum ipsius Ecclesiae exercenda.

595. Caeterum si de potestate iurisdictionis sermo sit, quae cum potestate ordinis coniungitur, laicus omnino divino iure inhabilis est ad illam exercendam, cum sacra ordinatione careat.

Quare laici neque licite neque valide sacramenta administrare valent nec iure proprio nec iure delegato. Matrimonii sacramentum excipitur cuius ministri propter huius sacramenti naturam sunt ipsi contrahentes [1]; itemque excipitur sacramentum baptismatis, cuius propter eius absolutam necessitatem quilibet minister est, et in necessitatis casu etiam licite a quocumque administratur.

596. Quod si de iurisdictionis potestate agatur quae cum ordinis potestate nullo modo coniungitur etiamsi laicis iure proprio iurisdictio non competat, cum hoc divinae Ecclesiae constitutioni repugnet tamen iure delegato Romani Pontificis auctoritate aliquando ecclesiastica iurisdictio etiam a laicis potest exerceri, dummodo de mandato evidenter constet [2]: imo et Episcopi in causis civilibus et speciali delegatione ad causam aliquam particularem explendam laicis iurisdictionem delegare possunt [3]. Caeterum nihil prohibet quominus laicus in causis iudicialibus procurator vel assessor, vel etiam notarius, aut cancellarius constituatur [4].

597. Ex dictis sequitur laicum in ecclesiastica causa *arbitrum* eligi non posse, bene vero arbitratorem: illi enim veri sunt iudices partium consensu electi, hi vero potius conciliatores [5].

[1] Const. *Paucis* Bened. XIV, 9 Martii 1758, § *dubitabatur:* Ex litteris Pii IX ad Sardiniae Regem 19 Sept. 1852.

[2] Urb. VIII Const. *Romanus Pontifex* 3 Iun. 1649; FAGNANUS in cap. *Cum contingat* de Foro compet.; Pius IX Const. *Suprema* 25 Ian. 1867.

[3] Cfr. Glossam in can. *Bene quidem,* L. 26, § *Praeter,* et in can. *Pervenit,* L. 95; in Cap 2 de iudiciis, et passim doctores.

[4] C. 8 Ne Clerici vel Monachi; c. 1 de Procurat. in 6; MONACELLI p. 1, tit. 1, for. 5, n. 7.

[5] Cap. 8 de arbit.; cap. 9 eodem; FAGNANUS in cap. 8.

598. Verum quaeri potest an iure divino vel ecclesiastico iure laici a iurisdictione ecclesiastica exercenda arceantur. Respondendum est: quod iure divino ad laicos iurisdictio ecclesiastica ordinaria nempe iure proprio exercenda non pertinet. Haec enim cum ipsa Ecclesiae Christi constitutione repugnat. Iure vero delegato iuxta dicta iurisdictio a laicis exercetur, delegatus enim delegantis personam gerit ac repraesentat. Neque opponatur quod clericus qui tantummodo prima tonsura insignitus est, quique iurisdictionem etiam ordinariam veluti Vicarii Generalis ex iuris dispositione exercere valet, laicus est. Etenim praescindendo a quaestionibus theologicis circa naturam primae tonsurae etc., certum est quod huiusmodi tonsuratus Pontificia auctoritate a laicis seiunctus est, ac inter clericos adscriptus. Quare intelligitur cur cum Ecclesiae divina constitutione non pugnet talem clericum iurisdictionem ecclesiasticam etiam ordinariam exercere posse. Nec ex hoc descendit principium: *laicum tantummodo ecclesiastico iure a iurisdictione ecclesiastica exercenda prohibitum esse* [1].

CAPUT II.

DE IURIBUS AC PRIVILEGIIS LAICORUM.

599. Laici quatenus clericis contraponuntur sua habent iura quorum quaedam ex iure divino illis competunt: — veluti est ius ut eis debite et opportune petentibus sacramenta concedantur, ut in rebus fidei et morum edoceantur, ut ad clericalem statum si idonei reperiantur admittantur etc.

Verum specialibus privilegiis aliquando donantur; quae privilegia illos participes non efficiunt neque quoad ecclesiasticum ministerium neque quoad ecclesiasticam iurisdictionem. Quare laicis aliquando ius praesentandi clericos ad beneficia ecclesiastica con-

[1] Cfr. PALMIERI de Rom. Pont. Prologomen. § 12; SCHMALZGRUEBER in tit. 29, libr. 1 Decret., n. 14.

ceditur: haec beneficia iurispatronatus appellantur. Laicis ius advocatiae aliquando concessum est, ius partem habendi vel coalescendi in confraternitates, ius partem habendi in Ecclesiae fabricis. De his breviter dicemus.

ARTICULUS I.

De iure Patronatus.

600. Remissive ad tractatum de Beneficiis.

ARTICULUS II.

De iure advocatiae.

601. Ius advocatiae aliquando ab Ecclesia Principibus ac Optimatibus conceditur ut Ecclesiam eiusque leges defendant, non vero ut Ecclesiam regant atque gubernent. Quare Laici advocatiae iuris praetextu nullum ecclesiasticae iurisdictionis actum exercere valent. Iure advocatiae laici ea iura acquirunt quae ab Ecclesia eis conceduntur, eaque contra Ecclesiae voluntatem exercere non valent, ne ius protectionis in ius oppressionis Ecclesiae convertatur. Verum hodie vix in Ecclesia advocati inveniuntur, cum ut historia docet hoc iure advocatiae laici saepius in Ecclesiae detrimentum usi sint. Caeterum de advocatiae iure agere ad ius publicum Ecclesiasticum potius quam ad ius canonicum pertinere evidens est.

ARTICULUS III.

De Confraternitatibus.

602. Confraternitas est coetus piorum fidelium (non vero religiosorum) ad quaedam pia opera exercenda auctoritate ecclesiastica institutus [1].

Confraternitatum originem quoad substantiam auctores repetunt a collegiis apud ethnicos vigentibus de quibus in leg. XII Ta-

[1] Cfr. OIETTI Synopsis hoc verbo.

bularum sermo est [1]. Ecclesia suis confraternitatibus haec collegia imitata est. Antiquissima est Confraternitatum origo etiam iuxta formam quam hodie praeseferunt. De eisdem in Concilio Nannetensi an. 900 mentio fit [2], imo iam ab anno 852 Hincmarus Rhemensis Episcopus regulas decreverat: « *de Confratriis eorumque conventibus quomodo celebrari debeant* » antiquitus Collectae, deinde Gildae aut Gildoniae ex nominibus teutonicis et saxonibus dicebantur.

603. Volventibus temporibus plures sodalitates seu confraternitates a proprio fine deflexae sunt; quare Romani Pontifices constitutiones ac decreta ediderunt quibus confraternitates tutius finem praestitutum consequerentur. Celeberrima hac in re est Clementis VIII constitutio « Quaecumque » 7 dec. 1604 quae formam uniformem Episcopis aliisque Praelatis exhibet in confraternitatibus erigendis. Haec constitutio a Paulo V, et a Pio IX in litteris Encyclicis S. C. Indulgentiarum confirmata est [3]. De Confraternitatibus breviter dicemus: 1) de Confraternitatum erectione; 2) de Confraternitatum aggregatione; 3) de Confraternitatum gubernatione.

§ 1. — *De Confraternitatum erectione.*

604. Confraternitatum erectio ad Episcopos vel ad Ordinum Regularium Superiores facultatem habentes pertinet. Vicarius Generalis confraternitates erigere nequit nisi speciali delegatione deputetur [4], nec talis facultas Vicario Capitulari conceditur [5]. Privilegium autem quo Regulares donantur confraternitates erigendi, non excludit quominus ab Episcopo licentiam petant si etiam in propriis Ecclesiis confraternitates cum usu saccorum erigere velint [6]. Caeterum Patres Conventuales privilegia habent sodalitia erigendi Cordigerorum.

[1] Cfr. etiam Lib. 1 et ult. Digestorum de Collegiis, et Lib. 20 Digestorum de rebus dubiis.

[2] Apud Harduinum tom. VI.

[3] Cfr. Ferraris ad v. *Confraternitates;* Monacelli Form. Eccles., Tit. VI, form. 11; Tit. XII, form. 6.

[4] S. C. C. 18 Aug. 1861.

[5] S. C. C. 25 Nov. 1878.

[6] S. C. EE. et RR. in Barens. 6 Apr. 1595.

Quod si ipsi desint, hoc privilegium Minoribus de Observantia devolvitur. Sodalitia SSmi Rosarii erigere ad Patres Ordinis Praedicatorum spectat; itemque dicatur de Corrigiatis S. Augustini, Scapularibus S. Mariae de Carmelo, aliisque sodalitiis aliorum Regularium iuxta privilegia quae a Sede Apostolica concessa sunt.

Quod si confraternitas absque interventu Superioris ecclesiastici erigatur, utpote laicalis consideranda est.

605. In Confraternitatibus erigendis constitutio « Quaecumque » Clementis VIII 7 dec. 1604 servanda est, quaeque ut diximus a S. Pontifice Pio IX decreto S. C. Indulgetiarum 8 ian. 1861 confirmata est. Iuxta praedictam Constitutionem praedictumque decretum: 1) una tantum confraternitas eiusdem generis institui potest in ecclesiis tam saecularium quam regularium, imo iure communi inspecto ut nulla alia similis Confraternitas intra tria milliaria erecta sit oportet. Ex decreto S. C. Indulgentiarum tamen unius leucae distantia sufficit [1]. S. Pontifex Leo XIII concessit ut in maioribus civitatibus Ordinarii plures Confraternitates eiusdem nominis et instituti erigere possint servata eorum arbitrio convenienti distantia [2]. Caeterum prohibitio Clementina neque ad Confraternitatem SS. Sacramenti neque ad sodalitates doctrinae christianae quae imo in unaquaque Paroecia erigendae sunt, extenditur [3]. 2) In praedicta Clementina constitutione statuitur quinam habeat ius Confraternitates erigendi, ac quod Episcopi consensus requiratur etiamsi de Regularibus agatur nisi hi peculiare apostolicum habeant privilegium [4]. 3) Episcopi arbitrio in usum pium vel Ecclesiae utilitatem eleemosynae aliaque subsidia impenduntur quae iuxtam formam ab Episcopo praescriptam a Confraternitatibus percipiuntur. 4) Aggregatio iuxta formulam in praedicta constitutione Clementina statutam saltem in substantialibus ex dispositione Pii IX servanda

[1] Decret. 13 Ian. 1893.

[2] S. C. Indulg. 20 Maii 1896.

[3] Lucidi de Visit. Sacr. Lim. II, c. 7, § 2, n. 126; S. C. EE. et RR. in Vercellen. 3 Febr. 1610.

[4] Cfr. etiam Lucidi de Vis. S. Lim. II, c. 7, n. 130.

est quoad sodalitates quae a Regularibus eriguntur [1]. 5) Litterae erectionis vel aggregationis gratis omnino conceduntur ac expediuntur. 6) Confraternitates etiam in Ecclesiis non solemniter benedictis erigi possunt [2]. 7) Confraternitates SS. Rosarii, Trinitatis, Carmelitarum et Servorum B. M. Virginis erigi non possunt nisi de licentia Superioris Generalis uniuscuiusque Ordinis sub poena nullitatis erectionis [3], excipitur S. C. Propagandae Fidei quae specialibus hac super re facultatibus ornatur. Si tamen Confraternitas SS. Rosarii gaudere vellet indugentiis specialibus quibus fruuntur confraternitates a Magistro generali Ordinis Praedicatorum erectae, ad hunc recurrere debent [4].

§ 2. — *De Confraternitatum aggregatione.*

606. Confraternitates Archiconfraternitati aggregari possunt. Verum 1) tantummodo Ordinarii licentia confraternitas aggregata ipsius Arconfraternitatis statuta sua facere potest [5], nisi haec statuta S. Sedis auctoritate confirmata sint. 2) Confraternitas aggregata indulgentias, privilegia, facultates consequitur quibus Archiconfraternitas nominatim et speciatim gaudet, iis exceptis quae ad Archiconfraternitatem iure communicationis extensa sunt. Similiter Confraternitas iis privilegiis, facultatibus etc. gaudet quae ei ab Archiconfraternitate communicata sunt, quae tamen solummodo praevia Ordinarii cognitione promulganda sunt [6]. S. Congregatio Indulgentiarum modum constituit quo huiusmodi aggregatio facienda sit [7].

§ 3. — *De Confraternitatum gubernatione.*

607. Etiamsi bonorum temporalium administratio ad Confratres pertineat, tamen Episcopus ius habet ut administratores ei rationem

[1] S. C. Indulg. 25 Ian. 1842, 22 Aug. 1842, 18 Nov. 1842.

[2] S. C. P. F. Pro Sin. 16 Ian. 1804.

[3] S. C. Indulg. 16 Iul. 1887.

[4] S. C. P. F. 30 Iun. 1889.

[5] S. C. Indulgent. 14 Sept. 1872.

[6] S. C. Indulg. 8 Ian. 1861.

[7] S. C. Indulg. 8 Ian. 1861, et 19 Oct. 1866.

reddant, ac bona in usus pios Confraternitatis proprios impendantur. Confraternitates quae in aliqua Parochia vel in aliquo oratorio sive publico sive privato ecclesiae parochiali adnexo, Parocho in omnibus functionibus ecclesiasticis etiam non parochialibus subiiciuntur [1]. Confraternitates vero quae in oratoriis publicis ab Ecclesia parochiali seiunctis Parocho subiiciuntur, tantummodo in functionibus ecclesiasticis quae parochialia munia reputantur [2]. In dubio praesumptio Parochi favore dicenda est. Episcopus per se vel per suum delegatum omnibus comitiis quae a Confraternitatibus teneantur interesse potest etiamsi in Ecclesiis Regularium in quibus confraternitates erectae sunt comitia adunentur [3]; etiamsi in his comitiis Episcopus votum ferre non valeat [4]. Quare Episcopus moneri debet de conventibus extraordinariis. Episcopus ius habet visitandi Confraternitates laicorum etiam erectas in Regularium ecclesiis non modo quoad bona, sed etiam quoad Cappellas ipsas in quantum pertinet ad administrationem vel obligationes quibus Confraternitas teneatur. In iis vero quae exemptorum iurisdictionem in his Cappellis pertinent veluti altaria, Imagines etc. Episcopus se ingerere non potest [5].

608. Confraternitates sibi statuta et ordinationes condere possunt at Episcopi confirmatione indigent, qui etiam illa emendare ac revocare potest, nisi tamen de statutis agatur quae a Sede Apostolica fuerint confirmata [6]. Confraternitates habent ius eligendi prorìos officiales qui tamen ab Episcopo confirmandi sunt. Quodsi in tertio scrutinio sodales in electione facienda non coveniant, officiales ab Episcopo eligi possunt [7]. Confraternitates uno verbo nisi

[1] S. R. C. decret. gen. 10 Dec. 1703; Collect. 2123.

[2] S. R. C. citato decreto.

[3] S. C. EE. et RR. in Caesenaten. 24 Nov. 1690; S. C. C. in Assisien. 10 Septembr. 1785.

[4] S. C. C. in Senogallien. 4 iun. 1701.

[5] Trident. Sess. XXII, c. 8 de ref. S. C. EE. et RR. in Alifen. 1637, in Fanen. 10 Apr. 1693; S. C. C. in Nucerina 23 Iun. 1629, in Urbanien. 23 Sept. 1690.

[6] S. C. EE. et RR. in Actoricen. 17 Febr. 1603.

[7] Sebastianelli Praelectiones hoc loco.

exceptae fuerint, ab Episcopo iurisdictione omnino pendent, qui sicuti eis dedit iuridicam personalitatem ita etiam illas supprimere valet si Ecclesiae bonum ita exposcat.

ARTICULUS IV.

De Ecclesiarum Fabricis.

609. Bona Ecclesiastica quae ad conservandas ac reparandas Ecclesias destinata sunt constituunt « *Fabricam* ». Administrantur haec bona a Parochis vel Ecclesiarum rectoribus sibi nonnullis laicis adscitis. Verum laici potius uti Parochorum consiliarii ac adiutores considerantur; omnes vero administratores sive parochus, sive laici Episcopo subiiciuntur [1], cui singulis annis gestae administrationis rationem reddere tenentur. Verum opera praesertim civilis auctoritatis res immutata est. Gubernium enim aliquando exigit ut administratores actorum confirmationem a civili Gubernio petant, imo sese immiscet in ipsa constitutione administrationis scilicet fabriceria, nec non in modo quo bona sunt administranda. Qua in re Ecclesia ad maiora mala vitanda plura tolerat quae profecto iuxta iuris ecclesiastici dispositiones haud sunt.

[1] Trident. Sess. XXII, cap. 9.

INDEX.

APPARATUS SEU COMPENDIUM
IURIS ECCLESIASTICI

APPARATUS SEU COMPENDIUM

IURIS ECCLESIASTICI

IN USUM

EPISCOPORUM ET SACERDOTUM

PRAESERTIM

APOSTOLICO MUNERE FULGENTIUM

AUCTORE

ZEPHYRINO ZITELLI

EDITIONEM HANC NOVAM AUXIT EMENDAVIT
NOVO ORDINE DIGESSIT AC NOVIS TRACTATIBUS DITAVIT

FRANCISCUS SOLIERI

IURIS UTRIUSQUE DOCTOR
AC IN PONTIFICIO INSTITUTO FIDEI PROPAGANDAE
IURIS ECCLESIASTICI PROFESSOR

PARS II.

DE REBUS.

PRODEST ET PRINCIPE

FRIDERICUS PUSTET
PONTIFICALIS BIBLIOPOLA
ROMAE
RATISBONAE - NEO-EBORACI - CINCINNATI
MCMVII.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. *Magister.*

—

IMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli Patriarch. Constant. *Vicesgerens.*

PARS II.

DE REBUS.

610. Absoluta tractatione *De Personis* quae in locis sacrarum Missionum Apostolicum ministerium exercent, secundam huius operis partem exponendam aggredimur, quae est de rebus, seu de mediis quae in christiana societate ordinata sunt ad aeternitatem felicitatem consequendam.

611. Porro media quibus Ecclesia disponit in tres partes distinguuntur. Ecclesiae finis duplex est: alter nempe remotus, alter vero proximus. Finis remotus est aeterna animarum beatitudo, finis vero proximus est animarum sanctificatio. Ecclesia proinde opportunis mediis animarum sanctificationem procurat, quae medium unicum ideoque necessarium est ad finem remotum nempe salutem aeternam consequendam. Iamvero alia sunt media quibus homo fidelis gratiam sanctificantem consequitur, alia quibus homo fidelis in adepta sanctificatione continetur iuxta officia quae habet erga Deum, erga seipsum, erga alios sive vivos sive defunctos. Et huiusmodi media spiritualia dicuntur.

Cum vero Ecelesia hominibus componatur, alia media in sua potestate Ecclesia habet quae temporalia, aliaque mixta sunt et appellantur. Quare universam de rebus tractationem in tres libros dividimus, quorum in primo de *Rebus spiritualibus* agimus, in secundo de *Rebus temporalibus,* in tertio vero de *Rebus mixtis* nobis sermo erit. Sit igitur

LIBER I.

De Rebus Ecclesiae Spiritualibus.

612. De rebus spiritualibus tractationem in duos titulos distinguimus, quorum in primo de rebus spiritualibus agimus quibus homo ad gratiam sanctificandam acquirendam vel augendam dirigitur, in altero de rebus Ecclesiae spiritualibus quibus homo ad gratiam sanctificantem iam adeptam conservandam adiuvatur iuxta officia quae habet erga Deum, erga seipsum, erga alios sive vivos, sive defunctos.

TITULUS I.

De rebus Ecclesiae spiritualibus quibus homo fidelis ad gratiam sanctificantem acquirendam ac augendam dirigitur.

613. Media quibus homo ad gratiam sanctificantem acquirendam ac augendam dirigitur, sunt Sacramenta ac sacramentalia. Cum vero de iis quae ad sacramentalia pertinent potissimum in tractatu de personis actum sit, hinc de sacramentis tantummodo nobis hoc in titulo agendum est.

CAPUT I.

DE SACRAMENTO BAPTISMATIS.

614. Omnium Novae Legis Sacramentorum, primum locum et ordine et necessitate tenet Baptisma, quod definitur Sacramentum regenerationis per aquam in verbo. Proprium enim baptismi est homini primam gratiam et vitam spiritualem conferre, ut qui nascitur filius irae et mortis propter originale peccatum, incipiat per baptismi gratiam renasci in sortem et adoptionem filiorum Dei.

ARTICULUS I.

De materia, forma, subiecto et ministro Baptismi.

615. Materia baptismi alia est *remota,* alia *proxima.* Remota ex divina institutione est aqua naturalis. Hinc aqua substantiae alteri commixta non est materia ad baptismum apta, si fuerit cum altera substantia chimice mixta, vel si liquor plus extraneae substantiae quam aquae contineat. Unde infertur: *a*) etsi ineptum ad baptisma sit lutum, valide tamen per aquam lutulentam baptismum conferri. *b*) Materiam, quae solam aquae speciem habeat, ineptam esse, ut ex. gr. saliva, succus stillans ex arboribus, expressus a floribus vel herbis etc. *c*) Aquam in statu solido consistentem non esse materiam aptam, quamdiu idonea non est ad abluendum, ut ex. gr. glacies vel nix.

Ex Ecclesiae praecepto adhiberi debet in baptismate aqua solemniter ad baptismum benedicta, nec extra casum necessitatis licet, hac posthabita, uti aqua communi et naturali, vel ea quae pro lustrationibus benedicitur [1].

Si forte contingat ut aqua baptismalis deficiat, adhibenda erit (quoad fieri potest) aqua benedicta iuxta formulam Ritualis Romani, secus adhibenda erit aqua naturalis [2].

616. Materia proxima baptismi est ablutio per aquam, cuius triplex est modus: *immersio, aspersio,* vel *infusio,* iuxta ritum cuiusque Ecclesiae proprium. *Aspersione* vero vel *infusione* facta ablutio, ut valida sit, necesse est ut aqua fluat; ut ea copia effun-

[1] Bened. XIV, Const. *Inter omnigenas* 2 febr. 1744. Collectanea decret. n. 498, 499, 500, 501, 507, 512, 517.

[2] Congr. S. Off. 20 iun. 1883. Proposito dubio de baptismo collato cum aqua benedicta, quae tamen ob climatis intemperiem foetida evaserat, in Sup. C. Univ. Inq. feria IV, 17 aprilis 1839, attentis expositis, Emi PP. responderunt: baptismos collatos cum aqua corrupta fuisse validos, quamvis illicitos extra casum necessitatis, et in casu necessitatis praeferendam aquam naturalem, sed providendum renovationi aquae fontis baptismalis iuxta Rituale Romanum.

datur qua quis vere ablutus dici possit, et ut corpus tangat. Nullum proinde erit baptisma nive, gelu vel grandine collatum, quamvis calore capitis, cui haec applicantur, subinde resoluta fluant, cum id non fiat actione ministri; nullum, applicatione manus madefactae; dubium, siquis duobus tantum vel tribus aquae guttis, vel motu digiti madefacti fuerit baptizatus; nullum si aqua vestes aut capillos praeterlapsa non fuerit [1]; dubium item, cum infans baptizatur in utero matris, si aqua secundinam dumtaxat attigerit. Nec corpus tantum, sed praecipua eius pars, id est caput, ablui debet; communissima tamen sententia est baptismum esse validum, si pectus, aut humeri, aut scapulae ablutae fuerint. In casu absolutae necessitatis quo pueri mors imminet, Missionarii uti possint materia proxima et remota dubia. Verum si convalescant, sub conditione iterum baptizandi sunt [2].

617. In casu necessitatis conferri baptismus poterit per solam ablutionem digiti, pedis, vel manus, dum infans, cui mortis immineat periculum, solum huiusmodi partem exeruerit; at cum dubius sit, sub conditione iterari debet, idemque dicendum de foeto in utero supra verticem baptizato [3].

618. Formam baptismi constituunt verba, quae apud Latinos sunt: « Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti »; apud Graecos: « Baptizatur servus vel serva Dei N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Idem vero ipse eodem quo materiam adhibet tempore, integre proferre formam debet. Haec verborum formula non potest absque peccato immutari, nec ei aliud addi, nec detrahi, et siquidem mutatio essentialis sit, baptismus sua vi destituetur. Hinc Sacra Congregatio Fid. Prop. interrogata a Vicario Apostolico Coreae [4] an censendum esset validum baptisma, omisso pronomine *te* in forma, die 5 iulii 1841 respondit: *Non valere Baptisma ideoque iterandum.* Insuper periret forma vel saltem

[1] Congr. S. Off. 27 maii 1671.

[2] Collect. n. 502, 503, 504, 505, 506.

[3] S. Congr. Fid. Prop. 12 iulii 1794.

[4] Collect. n. 526.

dubia evaderet, si diceretur: Ego te baptizo *in patre* vel *cum patre*, vel *in virtute* aut *ex parte Patris*, vel *in nomine Patris per Filium et Spiritum Sanctum*, vel *in nominibus*. At validum erit si dixeris: Ego te baptizo in *nomine* Patris, in *nomine* Filii, in *nomine* Spiritus Sancti; vel: Ego te *baptizo* in nomine Patris, ego te *baptizo* in nomine Filii, ego te *baptizo* in nomine Spiritus Sancti [1]. Pariter eadem Sacr. Congr. S. Officii die 10 martii 1590 respondit validum censeri baptisma collatum a nonnullis schismaticis cum forma: « Baptizetur servus Christi in nomine Patris amen, in nomine Filii amen, et in nomine Spiritus Sancti amen ». Item legitimam iudicavit die 5 septembris 1633 [2] formam quae in ritualibus Armenorum schismaticorum prostat: N. servum Iesu Christi, qui a sua infantia venit sponte ad baptismum, baptizet nunc manus mea in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Valida etiam ab eadem S. Congr. declarata est formula: Ego te baptizo cum nomine Patris, Filii, et Spiritus Sancti, 7 dec. 1742.

619. Subiectum baptismi capax est omnis homo vivens nondum baptizatus, tam parvulus, quam adultus, cum hoc discrimine quod in parvulo nulla praerequiratur dispositio, in adulto vero exigitur intentio saltem habitualis illud suscipiendi [3]. In adulto vero sensibus destituto in mortis articulo, sufficit intentio implicita, seu ea quae continetur in voluntate dandi nomen christianae religioni, vel solum faciendi quaecumque necessaria sunt ad salutem[1], imo et ea quae in sola attritione continetur, ut necessitati consulatur; at qui baptizatus fuerit, cum sanam mentem recuperaverit, denuo sub conditione baptizandus erit. Ad haec: debet adultus esse sufficienter in fide instructus, neque haec instructio differri potest post collationem baptismi, sed eam debet praecedere. Quoad hanc instructionem iuverit prae oculis habere sequentes resolutiones: 1) Dubio proposito ab Archiepiscopo Quebecensi « Utrum antequam

[1] Congr. S. Off. 13 ian. 1882. Collect. n. 530.

[2] Collect. n. 520.

[3] Prout declaratum fuit in Conc. Carthag. III, an. 397, can. 34, et Arausic. I, an. 422, can. 12.

adulto conferatur baptisma, minister debeat ei explicare omnia fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius; an non sufficiat, si moribundus promitteret se cum primum e morbo convaluerit instrui curaturum ut in praxim redigat quod ei praescriptum fuerit » Sup. Univ. Inquis. 25 Ianuarii 1703 respondit [1]: Non sufficere promissionem, sed Missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et incarnationis. 2) Dubio proposito « An Missionarius debeat adulto explicare Eucharistiae mysterium » eadem S. Congr. die 10 maii 1703 reposuit [2]: Quoad adultos extra mortis periculum per se loquendo teneri, nisi tale in contrarium urgeat motivum, ut expediens a prudenti missionario iudicetur dilatio post baptismum. Quoad moribundum pariter teneri, nisi vel tempus non suppetat, vel tanta praevideatur in eo animi perturbatio, ut a susceptione baptismi distrahere valeat. Ad haec: 3) Missionarios teneri barbaris adultis aut baptizandis omnia praecepta legis positivae divinae intimare, docuit eadem Sacr. Congr. die 24 maii 1703. 4) Nec licere praeceptum de indissolubilitate matrimonii reticere, nolentesque illud observare non esse baptizandos docuit eadem Sup. Univ. Inq. 31 maii 1703. Denique 5) proposito dubio « an missionarius teneatur inducere baptizandum ad eliciendum actum contritionis vel attritionis » Sacr. Congr. die 10 maii 1703 rescripsit: Affirmative [3].

620. Porro si mulier enixa fuerit massam carneam, haec ablui debet sub conditione, nisi manifeste appareat exanimis, si vero ostentum enixerit, quod plura habeat distincta pectora et capita, unumquodque caput seorsim et absolute baptizari debet, quod si plura pectora sed caput unum, vel vicissim plura capita et unum pectus, tum, uno capite absolute baptizato, cetera seu capita seu

[1] Collect. n. 549.

[2] Collect. n. 552, 551.

[3] Collect. n. 552, n. 2.

pectora sub conditione baptizari debent. Si denique mulier enixa fuerit *monstrum* speciem humanam praeseferens in capite, absolute baptizabitur; si in pectore interposita conditione; quod si nec in capite nec in pectore, sed in reliquis membris speciem humanam exhibeat, sub conditione baptizabitur: at si speciem humanam non habeat, nullo modo baptizari debet.

621. Infantes filios infidelium baptismo tingi vetat Ecclesia, nisi vel mors immineat, vel a parentibus expositi ac relicti sint, vel saltem eorum alter assentiatur. Quod vero de parentibus dicitur, idem dicendum de tutoribus, qui cum parentum locum obtineant, eorum quoque consensus requiritur ut infidelium infantes baptizentur. Quaesitum est num avus paternus puerum hebraeum, invitis parentibus, baptismo offerre possit. Constat id recte fieri, si puer patrem amiserit ac matrem habeat dissentientem, quin etiam multi sunt qui idem fieri posse defendunt cum ambo parentes sospites sunt et ambo dissentiunt. Gravior de avia paterna controversia fuit, quam definivit Bened. XIV [1], statuens aviam paternam puerum hebraeum baptismo offerre posse, quamquam mater tutoresque dissentiant [2].

622. Ceterum filii infidelium baptizari non possunt, quando infanti sic instat perversionis periculum, ut prope certum sit nulla ei ratione postmodum succurri posse. Licet autem eos baptizare, si dubium quidem aliquod perversionis existat, sed non omnis desit congrui subsidii ratio [3]. Sed baptizari non debent, quando parentes idcirco velint eos baptizari, ut a morbo vel a daemonis vexatione liberentur. Qui vero cum tali fine superstitioso baptizati sunt, si adulti petant baptismum, rebaptizari non debent [4]. Filii infidelium

[1] Litteris datis ad Petrum Hieronymum Guilelmum, quae extant in eius Bull. Const. 54, tom. 3, p. 239.

[2] Cfr. Const. eiusdem Pontif. 28, p. 113, ubi de baptismo hebraeorum tum infantium tum adultorum late agitur et omnia quae ad hanc materiam pertinent accurate evolvuntur. Collect. n. 561.

[3] Sup. Univ. Inq. 3 mart. 1703 et 17 sept. 1671. Collect. 546.

[4] Sup. Univ. Inq. 15 sept. 1651.

a nativitate amentes, quos rationis compotes futuros non speratur, iis aequiparantur qui in proximo mortis periculo versantur, ac proinde baptizandi sunt. Quod pertinet ad filios infidelium, quorum talis non est amentia ut non aliqua edant rationis indicia, triplex casus distingui debet. Vel enim moraliter constat eos tali facultate pollere, vel moraliter constat ea non pollere, vel denique post sufficiens examen dubium incertumque manet an ea polleant. Si prudenti iudicio peccati capaces existimantur, utendum est regula S. Thomae, 3 p., q. 68, art. 12: *Baptizantur volentes, non autem inviti.* Si prudenti iudicio culpae capaces non censentur, veluti pueri qui usum rationis sufficientem non attigerunt, tunc si haec rationis impotentia perpetua fore prudenter existimatur, sunt baptizandi ut dictum est superius; si autem spes est ut deinceps eorum ratio sese magis exserat, tunc si in proximo periculo mortis sunt, baptizentur, dummodo id fiat sine scandalo; secus, sunt expectanda certiora rationis indicia, ut more adultorum ad fidem et baptismum adducantur. Quod si dubia tantum signa suppetant, locus erit prudenti regulae, quam suppeditant probati auctores, nimirum, si necessitas non urgeat, expectari debet commodior et maior cognitio; si autem urgeat, tunc in dubio favendum religioni et fidei christianae et spirituali saluti baptizandi [1].

623. Possunt invitis etiam parentibus baptizari pueri adulti, qui baptismum postulant; adulti autem censentur, ut plurimum, qui septennium compleverint. Dicitur ut plurimum, quia Praeses ecclesiasticus etiam atque etiam considerare debet quisnam sit baptismi petitor; fit enim ut quis etiam ante septennium sufficienti sit praeditus ratione ideoque baptizandus invitis licet parentibus [2].

624. Ceterum pueri infidelium aut haereticorum filii, extra mortis periculum etsi a parentibus oblati, non baptizentur, quando remanere debent in potestate parentum aut infidelium aut haere-

[1] S. Cong. Prop. Fidei 17 apr. 1777.

[2] S. Cong. Prop. Fidei 3 martii 1703; Bened. XIV, Const. *Postremo mense* 28 febr. 1747. Collect. n. 530.

ticorum, nec erunt educandi in sanctitate fidei catholicae [1]. Consentiente vero uno e parentibus catholico, licet puerum baptizare, etiamsi ille sciat alterum postea curaturum, ut filius baptizetur a ministro haeretico: at coniux catholicus tenetur monere coniugem haereticum, filium iam legitime esse baptizatum [2].

625. Ordinarii huius sacramenti ministri sunt qui iurisdictionem habent tamquam pastores ecclesiastici, scilicet Episcopi et Parochi; extra ordinem, etiam diaconi de Episcopi vel Parochi licentia. Imminens vitae infantis periculum non raro postulat baptismi festinationem, eximitque a delectu loci, temporis, ordinariique ministri; baptizandi enim infantem in proximo vitae discrimine constitutum, ubicumque hic sit, cuivis hominum generi non modo tributa facultas, sed etiam lex est imposita [3]. Quod si plures adsint satis periti, qui est dignior baptizet, nisi tamen aliter honestas et pudor suadeant, seclusis plane parentibus. Si nemo alius adsit qui baptizare possit, ne formident parentes id agere; nulla enim, eorum alterutro tunc baptizante, oritur inter ipsos spiritualis cognatio, nullumque idcirco impedimentum quod matrimonii usum prohibeat [4].

626. Permittendum tamen non est haereticis aut schismaticis administrare sacramentum Baptismi, nisi in casu necessitatis et deficiente alia quacumque persona catholica [5]. Sacerdoti suspenso aut interdicto non licet illud administrare, nisi privatim in casu necessitatis et citra omnem solemnitatem [6].

627. Non licet demum parentibus catholicis permittere ut eorum filii recipiant baptismum a ministro haeretico ad evitandas mulctas [7]. Induciae baptismi plus quam 10 vel 11 dierum sine gravi causa vetitae sunt.

[1] Sup. Univ. Inq. 26 aug. 1885.

[2] S. Cong. Prop. Fid. 29 nov. 1672. Collect. n. 547.

[3] Cap. *Firmiter* de Sum. Trinit.

[4] Can. *Ad limina* 7, caus. 30, quaest. 1; Rit. Rom. de minist. Bapt., § *Pater*.

[5] Cong. S. Off. 20 aug. 1671.

[6] Cong. Prop. Fid. 12 oct. 1660.

[7] S. Cong. S. Off. 5 nov. 1676 ad Praef. Apost. Hibern.

ARTICULUS II.

De effectibus Baptismi et de Baptismo sub conditione.

628. Effectus baptismi sunt delere originale peccatum, et in adultis etiam actualia, remittere omnem poenam peccatis debitam, imprimere characterem. Quamobrem iteratio baptismi in Ecclesia semper habita est gravissima culpa, adversus quam irregularitatis poenam decrevit Alex. III [1].

629. Quod si, re accurate investigata, probabile ab examine oriatur dubitatio de Baptismi validitate vel collatione, iterari debet sub conditione. Ceterum in iudicando an iterandus sit, nec nimia utendum facilitate est, nec nimia difficultate, agitur enim de sacramento summae necessitatis. Quapropter Theologi communiter docent ut iterari possit tantae necessitatis sacramentum, non tantas requiri rationes de eius valore dubitandi, quantae requiruntur pro iterandis ceteris sacramentis; et licet dubium *grave* exquirant dum agitur de plerisque sacramentis, cum agitur de baptismo vel sacerdotio, *aliquale* dubium sufficere tenent [2]. Cum vero quaestio ista saepissime recurrat in conversione haereticorum ad fidem, praestat recentiora quaedam Apostolicae Sedis documenta in medium proferre, ex quibus erui criteria poterunt ad praxim deducenda.

630. Iamvero Episcopus Anneciensis in Sabaudia dubium proposuit „ An Calvinistae et Lutherani in illis partibus degentes, quorum baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint, ita ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur „. Cong. S. Off. feria IV, die 17 nov. 1830, respondit [3]: 1) Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. 2) Quoad alios, qui

[1] In Cap. *Ex litterarum* de Apostat. et iterant. Baptism.

[2] Cf. R. P. D. D'Annibale *De Sacr. in genere* App.

[3] Collect. n. 649.

iuxta eorum ritualia baptizant valide, validum censendum est baptisma. Quod si dubium persistat, etiam in primo casu censendum est validum baptisma, in ordine ad validitatem matrimonii. 3) Si autem certo cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.

631. Pro Hollandia eadem S. Cong. S. Inqu. die 5 febr. 1851 rescripsit: Generatim loquendo qui in Hollandia convertuntur ad catholicam fidem, habendos esse ex capite baptismatis tamquam valide coniugatos, nisi forte certe et evidenter constet in aliquo casu particulari, haereticum de quo agitur fuisse revera nulliter baptizatum, sed Oratorem, quoties occurrunt casus particulares huius generis, recurrere debere cum expositione omnium omnino casus circumstantiarum ad S. Sedem, et detur decretum authenticum fer. IV diei 17 nov. 1830 a s. m. Pio Papa VIII approbatum.

632. Ad Episcopum Harlemensem S. Off. 6 apr. 1859 rescripsit [1]: « Secundum dubium de haereticorum baptismo cietur: 1) An baptizati ab haereticis promiscue sint sub conditione baptizandi? An saltem illi, quos non constat in particulari valide baptizatos fuisse? Ad utrumque et alia similia fit satis per resolutionem Sac. Congr. Conc., cui obsequendum esse probat Bened. XIV *de Syn.* l. 7, c. 6. n. 7, die 27 martii 1683: An et in quibus casibus baptizati ab haereticis debeant sub conditione rebaptizari, si ad fidem catholicam convertantur? Respondit: non esse rebaptizandos, nisi adsit dubium invaliditatis baptismi. Itaque luculenter patet, non praeceps nec temere baptismum iterandum esse, sed in singulis casibus diligenti instituto examine a testibus fide dignis, si repertum fuerit eo loci valide baptizari consuevisse, acquiescendum erit; si vero adhuc probabile dubitandi motivum supererit, tum conversus rebaptizabitur sub conditione. Ast huius negotii iudicium cui committendum? Ad hoc quod tertio loco proponebatur, dicendum est posse Episcopum regulariter loquendo, in casibus ubi non urgeat necessitas et alias a iure non definitis, sibi reservare tale iu-

[1] Collect. n. 654.

dicium, quinimo quandoque ob graviores difficultates ad S. Sedem tum in quaestionibus de baptismo, cum in quovis alio catholicae doctrinae themate recurrendum esse iura ipsa decernunt. Tertium quaesitum de baptismo infantium cietur domi ab obstetricibus aliisque collato.... Sed quoad hoc plura verba congerere supervacaneum foret cum a Summo Pontifice Benedicto XIV copiosam solidamque pro more institutionem regulamque practicam expositam reperire poterit Amp. Tua *de Syn.* l. 7, cap. 6, et Inst. 8 ac 84. Tanti Doctoris instructiones sequi oportet ad perimendas obortas lites, ac ad praxim tuto ineundam aptissimas ».

633. Diversam pro varietate casuum initam rationem cum haereticis conversis exhibent sequentes Sup. Inquis. Instructiones. Prima die 20 Iulii 1859 edita est. « In conversione haereticorum inquirendnm est primo de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur diligenti examine, si compertum fuerit aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute; si autem investigatione peracta, adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tunc sub conditione iteratur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem seu professionem fidei. Triplex igitur in conciliandis haereticis distinguitur procedendi methodus: 1) Si baptismus absolute conferatur, nulla sequitur abiuratio seu absolutio, eo quod omnia abluit sacramentum regenerationis. 2) Si baptismus sit sub conditione iterandus hoc ordine procedendum erit: *a*) Abiuratio seu fidei professio. *b*) Baptismus conditionatus. *c*) Confessio sacramentalis cum absolutione conditionata. 3) Quando denique validum iudicatum fuerit Baptisma, sola recipitur abiuratio seu fidei professio, quam absolutio a censuris sequitur »[1].

[1] Praestat heic referre dubia aliqua proposita Sac. Univ. Inq. ab Episcopo Savannen. in Stat. Foed. Americae Sept. Frequenter contingit ut duo acatholici inter se contraxerint matrimonium et ignoretur utrum sive uterque sive alteruter fuerit baptizatus. Eiusmodi matrimoniis inter duos acatholicos aut sine dispensatione inter catholicum unum et acatholicum alterum initis, in nulla ex dioecesibus nostris obstat impedimentum clandestinitatis. Contracto ita matrimonio haud raro

634. Altera Instructio edita est die 20 nov. 1878 [1]: « In conversione haereticorum a quocumque loco vel a quacumque secta venerint, inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit

evenit ut compars compartem deserat. Post aliquod tempus partes ita separatae non infrequenter ad alias nuptias convolant, superstite altera parte.

Scio equidem casu quo, spectata qualitate probationum pro et contra, *dubitetur* num vel alteri vel utrique parti collatum fuerit baptisma, standum esse pro valore matrimonii cum tali dubio ac sine dispensatione contracti, usque dum non constet illud fuisse invalidum. Verum deficientibus ceteris pro utraque dubii parte probationibus, quaero num in ordine ad matrimonii contracti validitatem vel nullitatem, collatio vel non collatio baptismi, dum ignoratur, ex principio praesumptionis definienda sit? ..... Quaeritur ulterius utrum dum baptismi collatio ignoratur, principium praesumptionis in ordine ad valorem matrimonii contracti rite applicetur in articulis sequentibus: 1) Si pars vel partes acatholicae parentes habuerint ad sectam pertinentes, quae baptismum respuit, hic non est praesumendus. 2) Idem resolvendum, si parentes habuerint pertinentes ad sectam, quae infantium baptismum non admittit seu in qua non confertur nisi adultis ex. gr. annum aetatis trigesimum iam adeptis, quemadmodum se res habet in secta Baptistarum. 3) Idem pariter resolvendum si parentes habuerint, qui dum in vivis essent, professi sint se nolle ad ullam sectam pertinere, seque Ens supremum honestis potius, ut aiunt, moribus, quam speciali aliquo cultu honorare. 4) Si parentes habuerint pertinentes ad sectam, quae eumdem ut necessarium habet vel in qua saltem ordinarie administratur, et iidem parentes in secta sua zelosi fuerint, praesumendus est baptismus. At quod si parentes in secta socordes fuerint, aut ad sectam pertinuerint, quae baptismum quidem non respuit, sed eum non habet ut necessarium et in qua ordinarie non administratur? An in utroque aut alterutro casu praesumendus est baptismus vel non? 5) Si iuxta unius tantum parentis sectam et animi, ut supra, zelosam dispositionem, praesumptio faveat baptismo et hic in educatione prolis *de facto* et *indubie* primas habuerit partes, praesumendus est baptismus. Idem resolvo si facta inquisitione, ignoretur aut non satis constet, utrum primas habuerit partes; baptismus enim in ordine ad matrimonium praesumendus est cum coniugium semel initum censendum sit valere quamdiu obex se non prodat. Sed quid, si certo constet illius qui de facto et indubie primas in educatione habuit partes sectam et animi dispositionem non favere baptismo, dum alterius secta et animi dispositio eidem favet? 6) Casu quo nulla pro baptismo militat praesumptio, applicanda est regula *factum non praesumitur, sed probandum est.* Huius regulae applicatio in his Foe-

[1] Collect. n. 660.

aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute; si autem pro temporum et locorum ratione investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione *secreto* baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem seu professionem fidei. Quoad abiurationem vero standum est Albitii regulae, scilicet quod si agatur de adolescentibus qui annum 14 attigerint, sola professio fidei catholicae ab iis exigenda est antequam admittantur ad sacramenta; si vero agatur de iis qui 14 aetatis annum excesserint, formalis sectae abiuratio cui pertinuerint est exigenda ».

635. Porro ex allatis documentis liquet: 1) In baptismi iteratione quoad haereticos conversos, non de omnibus casibus indiscriminatim idem ferendum esse iudicium per generalia quaedam principia, sed diligenter inquirendum esse in singulis casibus, an servata sit in baptismo debita forma ac materia: et siquidem post opportunum examen aliquid necessarium defuisse constet, Baptismus absolute iterabitur; si dubium supersit, vel investigatio fieri non possit [1] iterabitur sub conditione. 2) Considerari debent diversarum sectarum adiuncta. Videntur esse infideles nati in sectis Socinianorum seu Unitariorum, Methodistarum, Quakerorum, Swedenbor-

deratis Statibus, ubi inter acatholicos plurimi sunt qui de baptismo infantibus suis conferendo nihil aut parum curant, potiori forte iure locum habere debet, quam in multis aliis regionibus...... Porro Sup. Univ. Inquis. Feria IV 1 aug. 1883, respondit: Ad 1m *Affirmative*, peracta tamen investigatione in singulis casibus. Ad 2m nempe utrum dum baptismi collatio ignoratur, principium praesumptionis in ordine ad valorem matrimonii contracti rite applicetur in articulis sequentibus, Emi Patres responderunt: *Affirmative* quoad 1m, 2m et 3m articulum et quoad primam partem 4, et primam partem 5 numeri, at in hoc postremo articulo post verba – habuerit partes – addatur – neque alter coniux cognoscatur positive contrarius collationi baptismi, praesumendus est baptismus. In reliquis casibus qui adnotantur in secunda parte numeri 5, recurrendum est ad S. Sedem expositis omnibus rerum locorum et personarum adiunctis aliisque ad rem facientibus. Ad 6m Provisum in praecedentibus.

[1] S. O. 4 febr. 1885 ad Visit. Coptorum.

gianorum, Rongianorum, seu liberarum ut vocant Ecclesiarum, aliorumque huiusmodi, et eorum qui sentiendi libertatem sibi arrogant; in singulis tamen casibus examen instituendum erit. 3) Et si agatur de natis in secta baptismi necessitatem non respuente, tamen observandum, an debita materia et forma eius asseclae utantur, adeo enim in dies sectarum incuria et temeritas excrevit, ut iuxta Newman, in *Sermonibus habit. in orator.* dimidia fere pars tot hereticorum in Anglia non sit baptismo rite abluta. Quare ab anno praesertim 1773 mos inductus in Anglia fuit, baptizandi quoslibet conversos sub conditione, nisi certo constet de baptismo prius valide suscepto. Unde patet, principium quidem de unitate baptismi sancte servandum, sed doctrinam de eius applicatione ad casus particulares nunc longe aliam esse debere, quam duobus abhinc saeculis, quando heterodoxi ut plurimum valide baptizabant. Nimirum, postquam in ipsa societate anglicana toleratus est doctor, qui necessitatem baptismi impugnavit, etsi ea societas prae ceteris priscos ritus retinuisse censeatur, periculose admodum sine baptismo conditionato in Ecclesiam recipitur heterodoxus, de cuius valido baptismo in casu particulari non habetur moralis certitudo. Huc spectat canon Synodi Westmonasteriensis de baptismo conditionate conferendo.

636. Quoad confessionem sacramentalem exigendam a neoconversis, Archiep. Westmonasteriensis et Episcopi Angliae proposuerunt sequens Dubium: An debeat, iuxta synodi provincialis decretum a S. Sede probatum, confessio sacramentalis a neoconversis in Anglia exigi et an ea debeat esse integra? Cui dubio S. R. et Univ. Inq. die 17 dec. 1868 respondit: « Affirmative, et dandum esse Decretum latum *sub feria V,* die decimaseptima iunii anni 1715. Eadem die ac feria SSmus D. N. Pius div. prov. PP. IX resolutionem adprobare et confirmare dignatus est, eamque cum memorato Decreto mandavit remitti R. P. D. Archiep. Westmonasteriensi: *Feria V, die 17 iunii 1715* [1]. Dubium: An plena fides sit adhibenda

[1] Collect. n. 644.

Carolo Wipperman de Rosthoch in ducatu Meklemburgensi praedicanti et lectori theologiae lutheranae quietisticae superintendenti et doctori primario sectae Lutheranorum Quietistarum, S. Fidei catholicae reconciliato in S. O. Parmae et circa nonnullos errores detectos in eius baptismo; an ipsi credendum sit circa ea quae enarrat, et quatenus affirmative, tum ut ipsius saluti, tum etiam ut ceterorum illius sectae seu regionis, praesertim si fuerint ignorantes, saluti pariter consulatur. Quaeritur an dictus Wipperman sit rebaptizandus, et quatenus affirmative, an confessio praeponenda sit vel postponenda Baptismo conferendo sub conditione. SSmus auditis votis Emorum dixit: Carolum Ferdinandum esse rebaptizandum sub conditione, et collato baptismo, eius praeteritae vitae peccata confiteatur et ab iis sub conditione absolvatur »[1].

[1] Modus excipiendi professionem fidei catholicae a neoconversis is est. Sacerdos superpelliceo et stola violacei coloris indutus, sedet in cornu epistolae, si ss. Sacramentum asservetur in tabernaculo, sin minus ante medium altaris, et coram illo genuflectit neoconversus, qui codicem evangelii dextera manu tangens, emittit professionem fidei *(iuxta formulam praescriptam)*; vel si nesciat legere, sacerdos praelegit eidem paullatim professionem, ut conversus eamdem intelligere et cum Sacerdote distinctis verbis pronuntiare possit. Postea neoconverso genuflexo manente, sacerdos sedens dicit psalmum *Miserere* sive psalmum *De profundis* cum *Gloria Patri.* Quo finito Sacerdos stans dicit: *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster* secreto, *Et ne nos inducas in tentationem.* R. *Sed libera nos a malo.* Salvum fac servum tuum (ancillam tuam). R. Deus meus sperantem in Te. Domine exaudi orationem meam. R. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum etc. Oremus. Deus cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum (hanc famulam tuam), quem (quam) excommunicationis catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per D. N. I. C. Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Sp. Sancti Deus per etc. Deinde sacerdos sedet, et ad profitentem genuflexum conversus eum ab haeresi absolvit dicens: « Auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte, absolvo te a vinculo excommunicationis, quam (in dubio gravi aut levi utrum poenitens excommunicationem incurrerit sacerdos hic inserat vocabulum *forsan*) incurristi, et restituo te sacrosanctis Ecclesiae sacramentis, communioni et unitati fidelium, in nomine Patris et Filii etc. ». Denique abiuranti aliquam poenitentiam salutarem iniungat, ex. gr. aliquas preces, visitare Ecclesiam, aut similia.

ARTICULUS III.

De probatione et caeremoniis Baptismi.

637. Baptismati comprobando unius sufficit testimonium, dummodo testi aut mari aut feminae fides adhiberi prudenter possit, aut si is ipse testatur qui baptizavit [1]. Si testimonium de collato baptismo sit ab homine incerto, infans rebaptizandus erit adiecta conditione, etiamsi schedula de suscepto baptismo apud puerulum inveniatur, nisi certo pateat cuius manu exarata sit, eique fides tuto praestari possit, aut aliunde indubitatum desumatur indicium baptismatis rite eidem collati [2].

638. Quoad caeremonias in baptismo adhibendas notandum est, quod baptismus vel solemnis est vel privatus. Privatus ille dicitur, in quo nulla alia caeremonia a Rituali romano praescripta adhibetur, nisi ablutio baptizandi verbis formae prolatis, iis videlicet quae baptismo iure divino sunt necessaria. Solemnis vero censetur, quando ii adhibentur ritus ac caeremoniae, quas Rituale romanum memorat acceptas et approbatas ab apostolica et vetustissima traditione fuisse, et ad eius solemnitatem pertinere. Iamvero hos ritus non licet omittere, nisi causa necessitatis, quod quidem S. U. Inq. oraculo suo confirmavit die 28 febr. 1663. Non solum autem imminens mortis periculum potest esse causa legitima eas omittendi, verum etiam alia quaecumque rationabilis et gravis, quae impediat earumdem observantiam ut ex. gr. si tempus omnino deficiat, si instet periculum a paganis, si sacerdos non habeat nec commode habere possit oleum catechumenorum, sanctum chrisma, sal benedictum, aliaque necessaria. In his autem casibus monendus est Missionarius, quod si non omnes, sed solum aliquas caeremonias adhibere possit, cum tempus et occasio opportuna adfuerit, easdem vel omnes vel quas omisit, in ecclesia vel oratorio supplere tenetur [3].

[1] Bened. XIV in cit. Const. *Postremo mense.*

[2] S. Congr. Conc. in Urbinat. 15 ian. 1724; Bened. XIV in Const. cit.

[3] S. Congr. Prop. Fid. 21 ian. 1789 ad Vic. Ap. Tunkini occid.; Collect. n. 611.

639. His universim observatis, ad caeremonias in specie progredimur.

Et 1° ad locum, in quo baptismus conferri debet. Iamvero baptismus, nisi aliter necessitas postulet, est administrandus solemniter, neque alibi quam in ecclesia [1]. Nihilominus licet baptizare domi: 1) filios regum, et magnorum principum, imo et procerum, ubi usus obtinuit, sed in eorum oratoriis; 2) eos qui publice baptizari nequeunt, sine matris infamia; 3) baptizatos in ecclesia, si postea necesse sit iterare baptismum. Neque licet, baptismi sacramentum solemniter administrare in Sacristia Cathedralis, nisi adsit rationabilis causa ab Ordinario approbanda [2].

640. Quod si agatur de locis, in quibus non est ecclesia, seu oratorium commune, debet sacerdos solemniter liberos baptizare in eorum domibus. Quid vero si agatur de locis, ubi quidem est ecclesia, sed ita distans, ut ad eam infantes deferri nolint parentes, ne quid ipsis ex aeris intemperie accidat mali? Huic dubio a Vic. Apost. Tunkini Occidentalis proposito, Sac. Congr. Fid. Prop. die 16 ian. 1789 respondit [3], quod ne in hac re a sanctissimis Ecclesiae institutis recedatur, omnem curam adhibere debet missionarius, ut parentes ab hac irrationabili sua contradictione recedant. Quod si suis persuasionibus et monitis nihil proficiat, tunc sibi persuadere poterit rem esse deductam ad casum necessitatis, impossibile enim erit hos infantes baptizare repugnantibus parentibus, in quorum sunt potestate, proinde licitum erit iis infantibus baptismum conferre extra ecclesiam, et in privatis domibus, vel ubi a parentibus permissum erit, omissis sacris ritibus et caeremoniis, animo tamen eas supplendi in ecclesia quamprimum fieri permissum erit. Si vero praevideatur fore ut parentes infantium neque decursu temporis infantes suos ad ecclesiam pro supplendis caeremoniis deferri permittant, tunc potius erit, ut in ipsis privatis domibus ritus ac caeremoniae a Rituali romano praescriptae in actu collationis baptismi

[1] Clem. un. *de baptism.*

[2] Ut declaravit S. Rit. Congr. die 16 martii 1861 in causa S. Iacobi de Chile

[3] Collect. n. 611.

adhibeantur; praestat enim ut laudabilis consuetudo, quae tantum confert ad maiorem erga hoc sacramentum reverentiam, omittatur, quam ut priventur parvuli baptizati non exiguis spiritualibus bonis, quae ex caeremoniis ab ecclesia institutis in eos dimanant.

641. Inter praecipuas solemnitates baptismi recensentur: 2° *patrini,* qui baptizatum de sacro fonte suscipiant erudiendum postea in doctrina et bonis moribus. Horum designatio ad parentes pertinet, et, his negligentibus, ad Parochum vel Episcopum. Patrini ne sint plures quam unus, sive vir sive mulier, vel ad summum unus et una, statuit Conc. Trid.[1]. Ad munus patrini exercendum haec requiruntur: 1) ut patrinus habeat annos discretionis; 2) ut sit baptizatus; 3) ut habeat intentionem formalem gerendi hoc munus; 4) ut patrinus, vel per se, vel per procuratorem, revera tangat baptizandum. Per sacros canones ab officio patrini arcentur ii qui vel suscepto officio defungi non possent, ut sunt parentes[2], muti, regulares utriusque sexus, excepto regulari Episcopo, vel qui eo sunt indigni. Arcentur denique a munere susceptoris infideles, haeretici et schismatici. Ii patrini nequeunt esse catholicis, nec vicissim catholici illis[3]. Qua quidem in re cum missionarii Albaniae proposuissent dubium an admittendi sint Turcae vel schismatici ad suscipiendos in baptismate catholicorum filios, supposito quod aliunde nequeant parentes sedare dissensiones et odia, nisi fiant compatres, vel an saltem catholicus cum Turca possit admitti ut inde ex parte servetur ritus Ecclesiae et simul intentioni parentum satisfiat, Congr. S. O. die 15 aug. 1681, respondit ad primam et

[1] Sess. XXIV, cap. II de Ref.

[2] In casu quod desertis in locis nullus sit qui patrini munere fungi possit, possunt parentes baptizandi eo fungi quin contrahant impedimentum cognationis S. U. Inq. ad Adm. Ap. Australiae 15 sept. 1869. Pariter S. Rit. Congregatio die 15 febr. 1887 Praef. apostolico Bengalis centralis respondit: « in casu quo haberi nequeant alios sponsores pro baptismo solemni et confirmatione feminarum, posse ad hoc munus admitti Sorores a Caritate ». Haec decisio ut patet, extendi potest ad alias religiosas votorum simplicium, quae in locis missionum versantur.

[3] Congr. S. O. 14 oct. 1656.

secundam partem non licere. Denique arceantur publice criminosi, infames. Potest autem munus Patrini per procuratorem obiri, verumtamen in hoc casu iura exigunt, ut persona absens tempore habili hoc munus acceptet, ac ut deputans mandatum edat pro eo a quo debet in tali caeremonia representari.

642. Quoad nomen 3° curandum ut iuxta laudabilem Ecclesiae consuetudinem semper imponatur baptizando nomen alicuius sancti in martyrologio romano descripti, omnino interdictis nominibus obscoenis, fabulosis, inanium deorum vel impiorum ethnicorum hominum, quibus gentiles utuntur et neophiti appellari consueverunt, antequam per baptismum essent divinae gratiae renati [1]. Quod si puerum baptizandum deferens nolit prorsus eum baptizari, nisi imposito impii alicuius nomine, non ideo fas est baptismum differre, sed puer baptizandus est, addito submissa voce, nomine alicuius sancti [2].

643. Denique 4° in baptismate aqua baptismali utendum est, et sacris oleis eius anni, vel, his deficientibus, superioris; non enim licet baptismum nec ad breve tempus differre [3]. Interrogationes vero in collatione baptismi fieri debent latine, possunt autem primo latine factae, dein in vulgarem linguam verti, ut ab adulto baptizando vel a patrinis et matrinis intelligantur, si agatur de baptismo infantium [4].

CAPUT II.

DE CONFIRMATIONE.

644. Alterum novae Legis sacramentum est Confirmatio, quo per chrismatis unctionem sub certa verborum forma datur baptizatis plenitudo Spiritus Sancti ad firmiter credendum et ad fortiter pugnandum pro fide.

[1] Bened. XIV, Const. *Omnium sollicitudinum* 12 sept. 1744.

[2] Congr. S. O. iun. 1883.

[3] S. Rit. Congr. 19 sept. 1859.

[4] Congr. S. O. Feria IV, 23 aug. 1880. Collect. n. 637.

645. Confirmationis materia remota est chrisma ex oleo olivarum et balsamo confectum et ab Episcopo benedictum. Latinorum chrisma ex oleo tantum et balsamo, graecorum ex aliis praeterea triginta quinque aromatibus conficitur [1].

646. Materia vero proxima est unctio chrismatis confirmandis applicata per manus impositionem [2]. Hac vero impositione rite confirmatio perficitur, etiamsi alia a frontis consignatione distincta manus impositio non adhibeatur. Sane proposito dubio, an praetermissa ab Episcopo prima manuum impositione super confirmandis, repetendum esset Sacramentum sub eonditione, vel potius tuta conscientia sic confirmati in bona fide relinquendi essent, Sacr. Congr. Fid. Prop. die 6 aug. 1840, respondit: Non esse repetendam confirmationem sub conditione.

Est et hoc inter Graecos Latinosque discrimen quod hi solam frontem, illi etiam aures, nares, pectus, oculos et pedes ungunt [3].

647. Confirmationis forma sunt verba: Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

648. Minister ordinarius Confirmationis solus est Episcopus. Trid. Conc. Sess. VII, de Confir. c. III. Qui si confirmet in aliena dioecesi absque licentia expressa Ordinarii loci, illicite agit, et si confirmat in propria, subditum confirmare debet; attamen si confirmet extraneos, licite agit, quod consuetudine et tacita Episcoporum consensione est introductum. At vero simplex etiam Sacerdos ex sola delegatione Rom. Pontificis esse potest eiusdem sacramenti minister extraordinarius. Graecorum Sacerdotes omnes generatim habent hanc delegatam potestatem, per quam sacramentum confirmationis rite conferunt. Sacerdotibus tamen italo-graecis confirmare vetitum est a Clemente VIII [4] et a Bened. XIV [5].

[1] Graecorum ritum in praeparando unguento chrismatis describit Goarius in *Euchol. Graec.*, p. 637.

[2] BALLERINI Theol. Mor., pag. 169.

[3] Cf. GOARIUM *Euch. Graec.* p. 356.

[4] Const. *Sanctissimus.*

[5] Const. 59, § 3, p. 104, et Const. 129, § 4, p. 322 Bullarii.

649. Quoad ministrum extraordinarium confirmationis notandum est in primis nemini charactere episcopali non insignito, vel cui alias usus pontificalium ex vero legitimoque privilegio non competit, fas esse in collatione chrismatis adhibere rochettum, mitram, baculum pastorale, annulum vel crucem pectoralem.

Ceterum Sacerdos, cui facultas haec fuerit concessa, in primis curet apud se habere chrisma per catholicum Antistitem cum eadem Sancta Sede comunionem habentem confectum, ac sciat sibi numquam licere sine eo Confirmationem administrare, vel illud ab Episcopis haereticis aut schismaticis recipere.

Animadvertat insuper, num in facultate sibi ab Apostolica Sede impertita alia etiam facultas expressa legatur, utendi scilicet chrismate ante annum benedicto; alias eo non utatur, nisi forte in casu necessitatis, cum a sacris canonibus id prohibitum sit.

650. Quamvis omni tempore administrari valeat Confirmatio, congruum tamen est, ut praecipue in hebdomada Pentecostes, et circa horam tertiam, in qua Spiritus Sanctus illapsus est Apostolis, conferatur.

651. Nonnisi baptizati confirmandi sunt. Quod ad aetatem confirmandorum attinet, prae oculis habendum est Catechismi Romani monitum ita se habens: « Illud observandum est omnibus quidem « post Baptismum, Confirmationis Sacramentum posse administrari, « sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri usum ra- « tionis habuerint. Quare si duodecimus annus expectandus non « videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre « maxime convenit ». Quod sane monitum in pueris benevalentibus locum habet. Nam si agatur de eo, qui gravi morbo laboret, ex quo decessurus praevideatur, non solum prohibitum non est illi ante septennium sacrum chrisma administrare, sed expedit ut id fiat, unde ex hac vita demigrans maiorem gloriam, iuxta S. Thomae doctrinam, in caelis consequatur. Aliae insuper iuxta probatam plurium Theologorum sententiam esse possunt legitimae causae antevertendi septennium in collatione huius Sacramenti, et praesertim si praevidetur futura diutina absentia Episcopi, vel Pre-

sbyteri, cui facta sit facultas illud administrandi, vel alia urgens necessitas.

652. Ut confirmandi, qui usum rationis habent, digne hoc Sacramentum recipiant, debent esse in gratia, et ideo conveniens valde est, ut illius susceptioni praemittant Sacramentalem Confessionem. Si enim conscii alicuius peccati lethalis, quod absit, ad Confirmationem accederent, non solum huius Sacramenti gratiam non reciperent, sed gravissimo sacrilegio se illigarent.

653. Iuxta veterem Ecclesiae usum confirmandi deberent esse ieiuni, optandumque propterea esset, ut id ipsum in praesenti etiam servaretur.

654. Sacro chrismate liniendi ante diligenter erudiendi sunt iuxta doctrinam Cathechismi Romani de natura, dignitate, effectibus ac dispositionibus ad digne sacramentum huiusmodi recipiendum praerequisitis. Item oportet ut instruantur circa fidei rudimenta, Decalogi et Ecclesiae praecepta, circa actus virtutum theologalium, ac orationem Dominicam, et Apostolorum Symbolum, quae memoria teneant.

655. Ceterum Missionarii non omittant fideles sibi creditos etiam hortari, ut Confirmationem debito tempore recipiant nec non ut parentes filios suos confirmari curent; etsi enim hoc sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu negligi non potest cum illud suscipiendi opportuna adest occasio. Porro haec doctrina, si prae omnibus, qui sunt undique, Christifidelibus vera est, multo magis locum habet in illis, qui in terris degunt haereticorum, vel paganorum, in quibus quandoque adversus catholicos persecutiones ingruunt, unde opus est ut septiformis Spiritus virtute roborentur, qua non solum corde credant ad iustitiam, sed etiam ore confessionem faciant ad salutem, seque paratos exhibeant pro Christo etiam sanguinem fundere.

656. Cum hoc sacramentum indelebilem in anima characterem imprimat, reiterari non debet, et propterea qui est confirmatus ad illud recipiendum non audeat accedere, sicuti nec excommunicatus, interdictus, in divinis communicans cum haereticis, aut schisma-

ticis, vel qui ritus idololatricos usurpat, sive alio modo publice peccat, item qui praeceptum paschale non adimpleverit.

657. Caveant confirmandi ne sordida fronte, capillisque impexis ad hoc Sacramentum accedant, vestibus tamen sint induti, quemadmodum et Patrini, simplicibus et ad modestiam compositis. Mulieres vero illud suscepturae, et quae Matrinarum officium exercebunt, non se in ecclesia cum vanis ornamentis, aut fucata facie, sed cum omni modestia et reverentia praesentent.

Si confirmandi nomen ex iis sit quae imponi in baptismate prohiberi diximus, in Confirmatione commutandum erit.

658. Sunt etiam ex Ecclesiae praecepto in Confirmatione adhibendi sponsores. Sed praeter eos quos notavimus cum de Baptismo egimus, excludendi sunt tum minores annis quatuordecim, tum qui Sacramentum confirmationis nondum receperunt. Verum quia contingere potest ut in locis missionum nullus adsit qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu, ut aliqui sine Patrino confirmentur, qui postea Patrini ceterorum esse poterunt. Ceterum ex regula generali non potest unus patrinus vel matrina multitudini collectivae confirmandorum adesse; nemo enim eodem tempore plus quam duos candidatos vel candidatas suscipere potest, nisi necessitas adsit eo quod impossibile sit plures huic officio aptos invenire; tunc enim fas est Episcopis permittere ut unus vel una plures suscipiat [1]. Qui patrini vel matrinae munere fungitur, sit alius ab eo qui confirmandum in baptismo suscepit, et mari quidem propter honestatem atque pro usu mas, feminae femina assignetur.

659. Circa cognationem spiritualem, quae in hoc Sacramento contrahitur, haec statuit Tridentina Synodus: « Ea quoque cognatio, « quae ex confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, « illiusque patrem et matrem ac tenentem non egrediatur, omnibus « inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis « omnino sublatis ». Quod quidem Concilii decretum locum habet

[1] S. Univ. Inq. 16 iunii 1884 ad Episc. Verapolit.; Collect. n. 696.

in iis, qui ad Tridentini statuta servanda adstringuntur. Ceteri vero disciplinae in suis regionibus vigenti hac in re se conforment.

660. Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter, et praesertim tum cum in privatis domibus, vel extra ecclesiam, seu oratorium, pueris aegrotantibus, de quibus supra, conferendum est, vel etiam adultis, qui ad ecclesiam quacumque ex causa, legitima tamen, accedere nequeunt. In iis casibus sacerdos non omittat saltem stolam, si superpelliceum habere non possit, cavere etiam debet, ne coram haereticis aut schismaticis, et multo minus eis ministrantibus, confirmet.

661. Quod si tandem per Sedem Apostolicam alicui fieri potestatem contingat Confirmationem administrandi in regionibus, in quibus praeter latinos, degunt orientales catholici, non modo opus erit, ut supradicta diligenter observet, sed curabit etiam priusquam Orientalibus ipsis hoc Sacramentum conferat, ab Apostolica Sede instructionem petere, quo pacto se gerere debeat erga orientales uniuscuiusque ritus. Ut autem congruum quantocius responsum accipiat, de nonnullis S. Congregationem de Propaganda Fide, singillatim certiorem reddat oportet. Et primo quidem cuius ritus sint orientales huiusmodi: an fuerint a quoquam confirmati, et a quibus, videlicet, an a suis Episcopis vel Presbyteris propriae nationis, an sponte petant confirmari, an Confirmationem commode a suis Episcopis recipere valeant, ac tandem an confirmatio administranda sit in dioecesi, in qua actu resideat Episcopus Orientalis, qui sit confirmandi Ordinarius.

662. Quoad vero facultatem extraordinariam proposita sunt a Vicario Apostolico Sutchuensi sequentia dubia: 1) utrum Provicarius Apostolicus, sede vacante, ratione muneris Provicarii facultatem habet conferendi Sacramentum confirmationis; 2) delegandi Missionariis, ut possint idem Sacramentum conferre, et quatenus negative 3) an huiusmodi Sacramentum debeat iterari iis, qui a Missionariis sola Provicarii licentia fultis illud susceperunt. Iam vero S. C. de Prop. Fid. mense sept. 1821 respondit ad 1 et 2 partem dubii negative; ad 3 reiteretur, remoto scandalo.

663. Quaesitum est, utrum danda sit Confirmatio illis neophitis, qui in articulo mortis baptizati, omnino rudes sunt, et vi morbi defatigati instrui nequeunt. Porro S. C. S. Off. die 10 april. 1861 respondit [1] non conferendum esse Sacramentum confirmationis illis neophitis moribundis, quos Missionarius capaces baptismi credidit, nisi saltem habeant aliquam intentionem percipiendi confirmationem ad robur animae suae adiiciendum.

CAPUT III.

DE EUCHARISTIA.

664. Renatis cum Christo per baptismum perque confirmationem roboratis in fide, caeleste illud convivium fidelibus exhibetur, quo mirabilium suorum memoriam fecit Dominus in eo divitias amoris sui veluti effundens. In Eucharistiae enim sacramento corpus et sanguis Iesu Christi Dei hominis sub speciebus panis et vini tamquam cibus animarum, vere, realiter et substantialiter continetur per mirabilem et singularem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Domini conversionem, quae ita instituta est, ut dum sacramentum conficitur, Iesus Christus ipse simul in verum et proprium, licet incruentum, sacrificium offeratur. Hinc de Eucharistia primum ut sacramentum est, dein vero ut sacrificium, agemus.

SECTIO I.

DE EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

665. De Eucharistiae Sacramento inquirendum primum est quaenam eius sit materia et forma, quinam minister et subiectum; secundo de dispositionibus agendum ad eam sumendam requisitis ac de frequenti Communione; tertio de modo eam infirmis ministrandi; ac denique de modo eam asservandi.

[1] Collect. n. 685.

ARTICULUS I.

De Materia, Forma, Ministro et Subiecto Eucharistiae.

666. Ad primum quod attinet, materia proxima huius Sacramenti est corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini; remota vero est panis triticeus aqua naturali subactus et igne puro decoctus, ac vinum de vite. Pane azymo utitur Ecclesia latina, graeca fermentato; utrumque rite consecrari non ambigitur, sed propriae Ecclesiae ritus ab unoquoque servandus est. Ex eo quod materia huius sacramenti sit panis triticeus et vinum de vite sequitur: 1) esse materiam dubiam panem ex siligene vel alica, ineptam ex hordeo, farre aut avena confectum, aut panem corruptum. Sequitur: 2) ineptam materiam esse liquorem ex malogranatis pomis, vel moris expressum, omphacium i. e. liquorem ex uvis nondum maturis, acetum, non tamen vinum quod ceperit acescere, tunc enim valida sed illicita erit consecratio, excepto necessitatis casu, ex gr. ne populus missa careat die festo. Sequitur: 3) ineptam esse materiam, succum intra uvas maturas adhuc contentum, vinum aromatibus ita conditum, ut morali aestimatione vini speciem amiserit, secus si alteratio sit exigua, quamvis absque necessitate illicite consecraretur. Valide tamen sed illicite potest consecrari mustum, seu vinum recens ex uvis expressum. Quoad vinum ex uvis passis expressum, an. 1703, die 14 februarii propositum fuit dubium a P. Iosepho de Ierusalem Ord. Min. Strict. Obs. ac Missionibus Aethyopiae Praefecto, an liceat Missionariis celebrare cum vino ex *zebibo,* vel uvis passis expresso, ut in regionibus illis fieri solet. *Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum, mandavit exquiri prius per R. P. D. Assessorem a dicto P. Iosepho, quo praecise modo conficiatur vinum ex uvis passis, vel zebibo (in Aethyopia), et postea iterum formari et proponi idem quaesitum cum dicta expressione vel declaratione ante DD. Consultores, et successive in Congregatione coram Sanctitate Sua habenda.* Responsum deinde fuit a supradicto P. vinum huiusmodi in hunc fieri modum:

sumuntur ex. gr. 4 lib. zebibi, franguntur, atque in apto vase tunduntur, ac deinde totidem frigidae aquae librae in idem vas infunduntur, eaque in infusione servantur per sex, octo, vel ad summum decem horas; extrahitur postea zebibi vel uvae passae materia, eaque exteriori aqua purgata, aut panno stringitur, aut torculari premitur. Liquor inde expressus vinum est, quo sine ulteriori diligentia utuntur, dum celebrant. Hac habita explicatione, fuit iterum propositum dubium, *ac lectis quoque relationibus, et rationibus Patris Ioannis Damasceni Consultoris, nec non variis experimentis factis pro eruendo dicto vino, Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum dixit, licere, dummodo liquor extrahendus a zebibo vel uvis passis ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum* [1].

Ceterum vigilantia ac singulorum Antistitum cura excitata est per Instructionem S. Congr. Fid. Prop. editam die 10 martii 1861 [2] ad eas imponendas sacerdotibus praescriptiones hac in re, quibus omne nullitatis periculum a sacrificio altaris arceatur [3].

667. Essentia formae huius Sacramenti ad consecrationem panis requisita, his solis verbis consistit: *Hoc est corpus meum.* Essentia vero formae ad consecrationem vini *hic est calix sanguinis mei* vel *hic est sanguis meus.* Reliqua vero verba non sunt de essentia, quamvis graviter peccaret, qui aliqua ex reliquis, (excepto verbo *enim*, cuius omissio esset venialis) omitteret vel mutaret. Porro consecrationis verba debent proferri simul recitative et enun-

[1] S. O. 22 iulii 1706. Collect. n. 697. Item 7 maii 1879.

[2] Collect. n. 702.

[3] Quaeri potest an loco vini in utraque purificatione, ubi magna sit vini penuria, licite adhiberi possit tantum aqua. Porro Sup. Universalis Inquisitio die 14 iulii 1707 ad huiusmodi quaesitum propositum ab Episcopo Quebecensi, respondit, *citra maximam penuriam, servandas esse pro viribus Rubricas Missalis Romani, praesertim in purificatione, seu prima ablutione.* Dum vero tanta sit vini penuria, ut nisi sacerdotes aqua tantum uterentur in purificatione, coacti essent plures ad non celebrandum, adhiberi posse solam aquam, declaravit Congr. de P. F. in responsione ad dubia proposita a Missionariis Sinensibus die 23 ianuarii 1665.

tiative, ita ut sacerdos simul recitet quod Christus egerit et dixerit simulque eadem verba in Christi persona pronuntiet.

668. Minister Eucharistiae alter est confectionis, alter dispensationis. Confectionis est solus sacerdos, dispensationis est sacerdos et in casu necessitatis etiam diaconus.

669. Subiectum Eucharistiae est quilibet fidelis qui sufficientem rationis usum habeat [1]. Porro de admittendis primo ad participandam Eucharistiam fidelibus, ex ecclesiasticis regulis et communi praxi docemur, ad eucharisticam mensam eos pueros admitti non debere, qui nondum huius Sacramenti cognitionem habent, contraque illos ad hanc mensam evocandos, qui satis divinam Eucharistiam a communi pane discernunt quique ipsi satis intelligunt quid sit apud christianos sacra communio et quomodo peragi debeat. Cum vero non omnes pueri aequali tempore ad haec cognoscenda perveniant, idcirco Missionarius diligenter hoc totum exploret. Ceterum cum huiusmodi cognitio intra decimum et decimum quartum aetatis annum communiter haberi soleat, haec servanda regula est, ut generatim nemo ante decimum aetatis expletum annum divini huius cibi particeps fiat [2].

670. Quoad adultos, lege ecclesiastica tenentur ii eucharisticum panem sumere semel in anno, idque in paschate seu tempore paschali h. e. a dominica Palmarum ad dominicam in Albis inclusive [3]. Locus etiam est ecclesiastica lege definitus, in quo quisque praeceptum hoc impleat, nempe in propria parochiali ecclesia et non alibi, ne in cathedrali quidem, neque in monasterio in quo degit, nisi ex parochi facultate [4]. Sacerdotes vero ubicumque celebrent,

[1] Latini nunc sub unica panis specie communicant. Graeci sub utraque specie Eucharistiam sumunt, atque hanc consuetudinem permittendam censuerunt Conc. Florent., Leo X in Const. *Accepimus* et Clemens VII in Const. *Provisionis nostrae.* Italo-graecis haec consuetudo integra relinquitur a Benedicto XIV in Const. *Etsi pastoralis,* § 7, et Const. *Allatae sunt.*

[2] Bened. XIV, *de Syn. dioec.* l. 7, cap. 12.

[3] Cap. *Omnis utriusque sexus.*

[4] S. Congr. Epp. et RR. 21 ian. 1848.

praecepto satisfaciunt. Qui legitimo impedimento detinetur praeceptum tempore paschali adimplendi et antea non possit, verius tenetur postea antequam annus elabatur. Ab hac lege adeundae propriae parochiae excipiuntur vagi, peregrini, advenae, qui ubilibet Eucharistiam sumant, praeceptum implent, nisi secus ferant alicubi aut consuetudines, aut synodalia statuta. Regularium denique veri familiares paschali praecepto satisfaciunt in eorum quibus famulantur ecclesiis.

ARTICULUS II.

De dispositionibus ad Eucharistiam necessariis ac de frequentia Communionis.

671. Dispositiones ad sacram Eucharistiam sumendam ex parte animae sunt intentio saltem habitualis suscipiendi sacramentum; carentia censurae, quae sacramentorum susceptionem prohibeat; status gratiae, ita quidem ut qui est in peccato mortali, teneatur ante sumptionem Eucharistiae confiteri, nisi adsit necessitas communicandi, aut celebrandi et confessarius desit, tunc enim sufficit contritio, ea tamen lege ut quamprimum confiteri debeat. Ex parte corporis dispositio necessaria est ieiunium naturale ita ut a media nocte praecedente communionem nihil per modum cibi vel potus aut medicinae ab extrinseco sumatur. Certis tamen in casibus licitum est non ieiuno Eucharistiam sumere, scilicet: 1) in mortis periculo. Non licet tamen sacerdoti non ieiuno celebrare ad Viaticum moribundo deferendum, nec consecrare in fermentato, vel sine vestibus sacris, aut omisso ritu sacrificii; nam consuetudo Ecclesiae ita interpretatur praeceptum divinum Viatici sumendi, ut non debeat dari, nisi quando dari potest iuxta ritum et ordinem ab Ecclesia praescriptum in Eucharistia conficienda et ministranda, et modo convenienti ac in debitis circumstantiis. Quocirca cum Eucharistia non sit absolute necessaria ad salutem, maior habenda est ratio reverentiae ei debitae et uniformitatis servandae in ritu sacrificii, quam utilitatis privatae proximi. 2) Licitum est Eucharistiam

sumere non ieiuno in casu quo perficiendum est sacrificium, ex. gr. si sacerdote post consecrationem deficiente, non adsit nisi sacerdos non ieiunus, qui illud absolvat. Item si sacerdos advertat in calice non fuisse nisi aquam cuius iam partem sumpsit, tunc enim debet consecrare vinum, et consecratum sumere: vel cum post consecrationem recordatur se non esse ieiunum: lex enim divina faciendi sacrificium perfectum ac integrum, praevalet legi ecclesiasticae de ieiunio. Quod si sacerdos ante consecrationem advertat se non esse ieiunum, tenetur recedere, si potest sine gravi scandalo. 3) Quando post ablutionem supersint reliquiae aliquae in ea Missa consecratae, etsi magnae sint, dum facile recondi nequeunt in pixide et Sacrario: cum enim ad idem sacrificium spectent, sumuntur per modum unius refectionis. Non licet tamen tunc sumere particulas alterius sacrificii, quae sunt in ciborio ad illas renovandas. 4) Si periculum sit, ne alioquin Eucharistia ab infidelibus profanetur; nam lex divina obligat ad impedienda sacrilegia, cum impediri possunt: et quod in reverentiam Eucharistiae statutum est, non debet obligare ad non impediendam eius profanationem et irreverentiam.

672. Quoad frequentiam communionis notandum est, quod frequens imo et quotidiana communio a SS. Patribus, a Summis Pontificibus atque adeo ab Ecclesia commendatur fidelibus [1]. Requiritur vero et supponitur in singulis debita aut conveniens dispositio, ad quam iudicandam principia non sunt petenda ab iis auctoribus asceticis et moralibus, in quibus reliquiae veluti aliquae rigorismi ianseniani remanserunt, sed a probatis auctoribus, ut a S. Alphonso eique similibus [2].

[1] Conc. Trid. Sess. XXII, cap. VI.

[2] De quotidiana SS. Eucharistiae sumptione sub die 20 decembris anno 1905 a S. C. Concilii decretum latum est quo S. C. statuit ac declaravit:

1° Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

673. His principiis generalibus uti poterit prudens Confessarius, cui ab auditis confessionibus singulorum animi sunt explorati. Advertendum tamen est, Ecclesiam magis propendere ad suadendam et enixe commendandam frequentiam communionis, quam ad ar-

2º Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3º Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se numquam in posterum peccaturos; quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

4º Cum vero Sacramenta Novae legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

5º Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

6º Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam *(Part. II. c. 63)*, christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

7º Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* diei 17 mensis decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8º Si quae sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *directivae* non tamquam *praeceptivae* putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel

cendum ab ea. Qua quidem in re Bened. XIV [1] monet ut caveat Episcopus, ne aut universim improbet, aut omnibus indiscriminatim suadeat quotidianum ad sacram mensam accessum, deinde ex decreto Sac. Congr. Conc. ad litem de communione frequenti praecidendam lato, iubente Innoc. XI, die 22 febr. 1679, haec verba transcribit. « In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana sacrae Communionis sumptione, unica praecepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum, per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provideat, ut nemo a sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo, rarius aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet... Proderit etiam praeter Parochorum et Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, et cum eis constitutum haberi, ut cum Fideles

quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9° Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem abstineant.

Relatis autem his omnibus ad SSmum D. N. Pium Pp. X per infrascriptum S. C. Secretarium in audientia diei 17 mens. decembris 1905, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi iussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Praelatos Regulares, ad hoc ut illud cum suis Seminariis, Parochis, institutis religiosis et sacerdotibus respective communicent, et de executione eorum quae in eo statuta sunt S. Sedem edoceant in suis relationibus de dioecesis seu instituti statu.

Datum Romae, die 20 decembris 1905.

† Vincentius Card. Episc. Praenestinus, *Praefectus.*

C. De Lai, *Secretarius.*

[1] *De Syn. dioeces.* lib. VIII.

ad ss. Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive coniugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini iudicii formidine discant caelestem Mensam in qua Christus est, revereri; et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad maiorem praeparationem accingere ». Denique concludit quod si in Synodo instituatur sermo de frequenti, aut etiam quotidiano sanctissimae Eucharistiae usu, non est deviandum ab huius decreti semita, sed si quae Parochis tradenda sit instructio, curandum est, ut haec illi adamussim respondeat: praecipue vero monendi sunt Confessarii, ne frequentem ad Eucharistiam accessum iis aut suadeant aut permittant, qui in gravia peccata saepe labuntur, nec de poenitentia peragenda, suaque vita emendanda sunt solliciti, sicuti nec illis, qui etsi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhaerentem [1].

674. Quoad moniales vero cura praecipua Confessarii esse debet ut in diebus ex earum Ordinis Instituto praestitutis communicent. Siquae vero puritate mentis emineant et fervore spiritus ita incaluerint, ut frequentiori aut quotidiana sanctissimi sacramenti per-

[1] Qua de re legendi sunt S. Franciscus Salesius *Philoteae* part. 2, cap. 20, et Ioannes Taulerus *serm. 4 in festo Ven. Sacramenti.* — Quoad effectus, ad quos Eucharistia necessaria est, tria sunt animadvertenda. 1) Caro et sanguis Christi vere cibus est ac potus, adeoque ad vitam supernaturalem ut signum efficax et causa refertur per modum cibi ac potus proindeque vitam supernaturalem gratiae et per gratiam unionem fidelium cum Christo, ut vivorum membrorum cum capite, non primum efficit, sed supponit praeexistentem, atque ad eam nutriendam, augendam et conservandam speciali modo pertinet. 2) Ea est necessaria ad salutem vi praecepti divini omnibus, qui praecepti sunt capaces; hinc quivis christianus et rationis capax tenetur saepius in vita SS. Euch. sumere. 3) Est necessaria ut medium ad conservandam vitam gratiae iis qui hanc vitam possunt peccando amittere, ita tamen ut si absque sua culpa hoc medio priventur, illud possit suppleri aliis mediis ad impetranda adiutoria divina.

ceptione dignae videantur, id illis a Superioribus [1] permittatur. Sacr. Congr. Conc. Decr. cit. Moniales vero quae forte minus frequenter aliquando ad sacram synaxim accedunt, nullo modo habeantur velut minus studiosae perfectionis.

ARTICULUS III.

De modo Eucharistiam infirmis ministrandi.

675. In mortis periculo tenentur fideles Eucharistiam accipere, communisque Doctorum sententia est obligationem hanc divini iuris esse [2]. Obligantur itaque Parochi graviter aegrotantibus eam per modum viatici deferre. Debent etiam ea refici morte damnati et etiam neophyti, dummodo ii saltem discernant divinam Eucharistiam a communi pane, cognoscendo et credendo in sacra hostia praesentiam Christi Domini [3].

676. Neque semel tantum in eadem infirmitate, sed iterum atque etiam tertio sacrosanctum viaticum deferri potest, tumque praesertim etiam debet, cum ipsimet aegrotantes iterum caelestem hunc panem esuriunt [4]. Dari etiam potest viaticum et extrema unctio infirmo, qui iuxta experientiam vivet adhuc plures menses, sed intra annum morietur, eo quod quando urgens aderit casus eam recipiendi, non poterit praesens haberi Missionarius ob distantiam. Porro Bened. XIV [5] agit de viatico exhibendo, vel non exhi-

[1] Superiorum nomine in Decreto an. 1679 intelligi Confessarios ordinarios et non directores praevia participatione Praelati ordinarii declaravit eadem S. Congr. Conc. die 14 april. 1725.

[2] Bened. XIV *de Syn.,* lib. 7, cap. 2, n. 2.

[3] S. Un. Inq. 10 apr. 1861. Collect. n. 734.

Pueri etiam qui nondum ad sacram communionem admissi corripiuntur morbis, quorum vi ad mortem videntur contendere, si latentem sub speciebus sacramentalibus Christum et firmiter credant et reverenter adorent, sacro viatico reficiendi sunt. Tanta enim non requiritur aetas, ut quis in mortis articulo viatico muniatur.

[4] Bened. XIV *de Syn.,* cap. 12, n. 2.

[5] *De Syn.,* lib. 8.

bendo ei, qui post perceptam mane sanctissimam Eucharistiam, eadem die prudenter timetur moriturus, atque recensitis hinc inde opinionibus, statuit, *in tanta opinionum varietate, auctorumque discrepantia, integrum esse Parocho eam sententiam amplecti, quae sibi magis arriserit, quin fiat reus violati Statuti Synodalis, quod certe non potuit casum istum extraordinarium respicere. Neque fas esse Episcopo, aut in Parochum animadvertere, qui praefato aegrotanti Viaticum denegarit; aut quidquam de eiusmodi controversia in sua Synodo decernere, ne videatur sibi arrogare partes iudicis inter gravissimos, hac super re, secum contendentes Theologos.*

677. Porro quovis die, ne feria quidem VI in parasceve excepta, licet sacro viatico decessuros munire, dummodo private et submissa voce preces recitentur et psalmis, praeter eorum dierum consuetudinem, non addatur postremo *gloria* et in reditu ad Ecclesiam nequaquam populus cum pixide benedicatur.

678. Generatim loquendo non licet hoc sacramentum secreto deferre ad infirmos, exceptis necessitatis casibus, ex. gr. in locis haereticorum ubi manifeste nequit deferri [1].

Quomodo autem Sanctissimum Eucharistiae sacramentum privatim cum necessitas inciderit, sit deferendum, docet Bened. XIV Const. *Inter omnigenas* pro incolis regni Serviae ac finitimarum regionum, in qua ait: « At ubi Turcarum vis praevalet et iniquitas, (quod cum Gousset dicendum quoque de absoluta impiorum parentum oppositione) sacerdos stolam semper habeat coopertam vestibus, in sacculo seu bursa pixidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli in defectu clerici associetur ». Utraque vero laudatorum Pontificum sanctio a S. Congr. Fid. Prop. in memoriam revocata est Instructione ad Hiberniae Episcopos data circa modum deferendi Sanctissimam Eucharistiam ad infirmos, die 25 febr. 1853, quam Pontifex Pius IX confirmavit. In eadem Instructione insuper decernitur, quod causa qua Missionarius in aliquem forte aegrotum

[1] Honorius III, cap. *Sane* de celebr. missae.

incidere possit, nullatenus iustificat abusum in quibusdam dioecesibus inolitum, quo sacerdotes Sanctissimum Sacramentum a mane usque ad vesperam secum deferunt, et Ordinarii excitantur ad rurales aediculas multiplicandas, ut in iisdem frequenter sacerdotes missae sacrificium celebrent. Itidem proposito dubio, an liceat in longissimis itineribus secum ferre Eucharistiam, ne ea *Sacerdotes priventur*, Qualificatores S. O. die 27 martii 1665, responderunt: non licere; et Emi approbarunt die 15 aprilis 1665.

679. Denique sacramentum Eucharistiae non posse in navibus deferri, ne nautae et vectores sine viatico decedant, declaravit eadem S. U. Inq. die 13 iulii 1660.

ARTICULUS IV.

De modo asservandi Eucharistiam.

680. Sacram Eucharistiam retinere tantum possunt ecclesiae parochiales, cathedrales et Regularium, praeter eas, quas apostolicum iuvat indultum aut immemorabilis consuetudo, quae huiusmodi indulti praesumptionem inducat [1]. Potest tamen Episcopus concedere facultatem exponendi Sanctissimum Sacramentum ad tempus [2]. Porro de hac expositione observandum est, vetitum esse in quacumque sive saecularium sive regularium ecclesia divinam Eucharistiam exponere, nisi iusta eaque ab Ordinario probanda intercesserit causa, eiusque consensus accesserit. Bened. XIV in epist. ad Episcop. Warm. 16 apr. 1746 et in epist. ad Urbis Vicarium 27 iulii 1755. Sacramentum vero eucharisticum privatim exponere, est ecclesiae rectoribus integrum [3].

681. Porro vetitum est Eucharistiae sacramentum alio in loco servare, praeterquam in tabernaculo in medio altaris posito. S. Rit. Congr. mense augusti 1863. Eius vero tabernaculi clavis nec in

[1] Bened. XIV, Const. *Quamvis iusto* 30 apr. 1749. Collect. n. 747.

[2] S. Congr. Conc. 12 aug. 1747.

[3] Bened. XIV, in ep. cit.

Sacristia relinqui debet, neque penes laicum servari, sed penes sacerdotem. S. Rit. Congr. 22 febr. 1593.

682. Aedicula seu tabernaculum ubi divina asservatur Eucharistia, sit regulariter ex opere ligneo, extra deaurato, cuius interiores parietes album sericum circumvestiat [1]. Pavimentum candido sternatur corporali. Extrinsecus vero conopeo item serico instar tentorii de integro contegatur. Conopeum vero poterit etiam esse ex panno, sive gossypio, sive lana, sive cannabe contexto [2]. Item conopeum numquam poterit esse nigrum, vetat enim nigrum esse honor Christi viventis. Die vero qua omnium fidelium defunctorum commemoratio agitur, est apponendum violaceum, ceteris diebus curandum ut concolor sit sacris indumentis, quibus Ecclesia utitur. Si qua tamen Ecclesia hanc varietatem ob inopiam habere non possit, conopeum coloris albi perpetuo sit [3].

683. Neque vero in tabernaculo quidpiam praeter consecratum panem est reponendum, non olea sacra, non sanctorum reliquiae, non aliud quidvis quamtumvis sanctum sacrumque videatur [4].

684. Nec possunt super tabernaculum ipsum reponi sanctorum reliquiae pictaeque imagines, adeo ut ipsum inserviat pro basi, quod quidem valere pro reliquiis etiam Sanctissimae Crucis vel alterius instrumenti passionis publicae venerationi expositi, declaravit S. Rit. Congr. *in Trid.* 12 martii 1836. Nec licet ante ipsius tabernaculi ostiolum collocare alicuius sancti reliquia, vas florum, aut quidquid simile.

685. Non procul a tabernaculo una saltem diu noctuque lampas colluceat oleo ex olivis expresso, ubi vero oleum haberi nequeat, vel non sine magna difficultate et magno sumptu, Ordinariorum prudentiae remittitur lampades nutriri ex oleis, quantum fieri potest, vegetalibus [5].

[1] S. Congr. Epp. et RR. 26 octob. 1575.

[2] S. Rit. Congr. 21 iulii 1855.

[3] S. Rit. Congr. 21 iulii 1855.

[4] S. Congr. Conc. 8 apr. 1628, 22 febr. 1563.

[5] S. Rit. Congr. 9 iulii 1864.

686. Pixides in quibus Eucharistia excipitur, quas maxime deceret aureas vel argenteas esse, sint saltem ex solida decentique materie, sintque interius auro linitae, exterius vero conopeis albi coloris contectae.

687. Porro tum hostiam tum particulas consecratas renovare identidem opus est, rigidiore nimirum tempore non tardius quam quintodecimo quoque die, mitiori ne tardius octavo. Absit vero ne Missionarios particularum sacrarum iam facta corruptio, de ipsis renovandis admoneat.

SECTIO II.

De Eucharistiae Sacrificio.

ARTICULUS I.

De applicatione Sacrificii.

688. Non sacramenti solum rationem habet Eucharistia, sed etiam sacrificii, imo unicum novae Legis sacrificium est, non modo adorationis et laudis, sed etiam gratiarum actionis, impetrationis, et propitiationis pro vivis ac defunctis. Cum enim Christus magnus Sacerdos, per sacerdotum ministerium eius nomine offerentium, constituit corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini secundum quamdam sanctissimae suae humanitatis exinanitionem a functionibus et rationibus existendi connaturalibus ad statum cibi et potus, offert se in verum et proprium sacrificium [1].

689. Iamvero fructus sacrificii Eucharistiae alius est *generalis* vel generalissimus, qui communicatur omnibus fidelibus non excommunicatis et non ponentibus obicem. Alius est *specialis* qui tantum obvenit illis pro quibus specialiter offertur: alius est fructus *specialissimus* qui soli celebranti obvenit. Porro inquirendum in primis est quibus applicari illud possit. Iamvero offerri potest pro omnibus, exceptis iis pro quibus Ecclesia offerri vetat; vetat autem pro excommunicatis tantum [2]. Hinc pro viatoribus infidelibus

[1] Cf. *Tract. de Euch.* Emi Franzelin.

[2] Bened. XIV, Const. *In superiori* 18 martii 1755, § 27.

quoque et nedum generatim, sed etiam pro singulis, offerri potest, pro animabus purgatorii, pro Beatis quatenus est eucharisticum. Quid vero de acatholicis sentiendum est? Profecto distingui debet inter missas pro acatholicis vivis et pro defunctis, atque inter missas privatas et solemnes ac publicas. Missae privatae pro acatholicorum conversione licite celebrari possunt, ita tamen ut sacerdos quidem fructum medium pro spirituali acatholici salute applicet, sed privatim dumtaxat quin nomen illius publice denuntiet, ne ceteri vel scandalum sumant, vel eiusmodi sacerdotem nomine Ecclesiae agere existiment. Sane quoad schismaticos (ideoque et haereticos) proposito dubio « utrum possit aut debeat celebrari missa ac percipi eleemosyna pro graeco-schismatico, qui enixe oret atque instet ut missa applicetur pro ipso sive in ecclesia adstante, sive extra ecclesiam manente » Sacr. Inqu. Congr. fer. IV, die 19 aprilis 1837, respondit: Iuxta exposita non licere, nisi constet expresse eleemosynam a schismatico praeberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem. Eadem vero die Gregorius XVI resolutionem hanc probavit. Pro infidelibus potest missa applicari. Sane eadem Sacr. Congr. die 21 iulii 1865 proposito dubio « utrum liceat sacerdotibus missam celebrare pro Turcarum aliorumque infidelium intentione et ab iis eleemosynam pro missae applicatione accipere » respondit: Affirmative, dummodo non adsit scandalum et nihil in missa specialiter addatur, et quoad intentionem constet nihil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse. — Missae vero solemnes solum pro principibus regnantibus conceduntur et quidem eo solo respectu quia fiunt pro regnante et pro reipublicae prosperitate. Non potest autem missa solemnis pro defuncto acatholico neque pro ipso principe offerri, quia principe defuncto, iam non amplius pro imperante, sed nonnisi pro anima defuncti missa applicari potest, quod sane non licet, etenim Gregor. XVI an. 1842, declaravit « Veteri ac nova Ecclesiae disciplina interdictum est, ne homines in externa notoriaque haeresum professione defuncti catholicis ritibus honorentur ».

Ad summum missa privata cum enumeratis restrictionibus pro defuncto acatholico celebrari potest, si ipse cum manifestis poenitentiae signis nec non cum desiderio catholicorum fidem amplectendi obierit [1].

Pro catechumenis vero defunctis licite sacrificium missae offerri potest.

ARTICULUS II.

De applicatione Missae ratione stipendii.

690. Cum aequum sit qui altari inservit de altari vivere, fas est ut sacerdos qui, iuxta piam voluntatem alterius petentis, Sacrificium offert, eleemosynam accipiat, non tamquam retributionis mercedem, quam expectare debet a Domino, sed tamquam stipendium sustentationis [2]. Et quoniam Episcopi est iudicare, quid singulis presbyteris in unoquoque loco sit necessarium ut vitam honeste traducant, hinc eius erit definire quid ipsis rem divinam facientibus tribuendum sit [3].

691. Porro plurima de missarum celebratione ab Apostolica Sede sunt constituta ac definita, quae sacerdoti cuilibet sunt probe cognoscenda, tum accurate adimplenda, quorum praecipua heic exponemus.

Iamvero: 1° Sacr. Congr. Concilii auctoritate Urbani VIII illi specialiter attributa ad quosdam super celebratione missarum abusus convellendos, die 21 iunii 1625 [4] sequentia decreta edidit: 1) Districte prohibet sub poena nullitatis, ne Episcopi in dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post Concilium Tridentinum imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis vel commutandis ad Apostolicam Sedem re-

[1] Cf. cl. Aichner in *Comp. Iuris eccl.*

[2] S. Thomas 2ª, 2ªᵉ, qu. 100, art. 2, ad 2.

[3] Bened. XIV, *de Synod.* lib. 5, cap. 9, et in Inst. Eccl. 56.

[4] Collect. n. 866.

curratur. 2) Deinde praecepit ut a Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, domibus ac locis piis quibuscumque absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem stipendii sive ab una, sive a pluribus personis collati, quantumcumque incongrui et exigui, praescriptae fuerint, alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent et ad restitutionem teneantur. Quapropter revocat privilegia et indulta omnia quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium earumdem oneribus satisfiat. 3) Prohibuit sacerdoti qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat. 4) Decernit ut pecunia ac bona mobilia ecclesiis, capitulis, monasteriis, etc., tam saecularibus quam regularibus, tradita vel relicta cum onere perpetuo missarum celebrandarum, statim sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrenda, deponi debeant penes aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam ad effectum illa seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa et individua oneris adnexi mentione. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica alienari contigerit, pretium sub eadem poena deponi atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum eiusdem oneris repetitione atque adnexione converti debeat. 5) Prohibuit eisdem locis piis ac respectivis eorum Superioribus tam saecularibus, quam regularibus, ne onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum, saeculares quidem sine Episcopi vel eius Generalis Vicarii, Regulares vero sine Generalis vel provincialis licentia in scriptis, sub poena, contra primos, interdicti eo ipso ab ingressu ecclesiae, contra secundos privationis omnium officiorum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, vocisque activae et passivae absque alia declaratione incurrenda. 6) Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis iidem accipere possint, si oneribus antea impositis satisfecerint, alioquin abstineant ab huiusmodi elee-

mosynis, etiam sponte oblatis recipiendis, et capsulas auferant ab ecclesiis cum inscriptione *Eleemosyna pro Missis* sub eisdem poenis ipso facto incurrendis. 7) Episcopus vero seu Vicarius aut Generalis vel Provincialis de licentia pro perpetuis oneribus requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de missarum obligationibus cuique loco pio incumbentibus, nec antea assensum praebeant, quam eis legitime constiterit, illius sacerdotes tam antiquis quam novis oneribus satisfacere posse. Itaque praecipue animadvertant, ut redditus relicti omnino respondeant oneribus adiunctis secundum morem cuiusque civitatis vel provinciae, excogitantes in novissimo die huius praetermissi muneris rationem esse reddituros.

692. 2° Porro, excitatis super praemissorum decretorum intelligentia infrascriptis dubiis, a memorata Sacr. Congr. Conc., simili auctoritate a praefato Urbano VIII specialiter illi tributa, sequentes prodierunt declarationes.

1. Dubium. Si legatum sit ita tenue, ut nullus velit onus illi iniunctum subire, et si propter recursum ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris totum aut fere totum insumi oportet pro expensis ad id necessariis, quid faciendum? Respondit. Sedem Apostolicam, iis non obstantibus, esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet, quod magis expedire in Domino iudicaverit: verumtamen si in ipsa Beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo iniunctum onus reducere ac moderari, legem hanc fundationis esse validam et observandam. — 2. Dubium. An verba illa « tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint » intelligenda sint de praescriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario? Respondit. Intelligenda de praescriptione facta ab offerente: quod si ab hoc numerus Missarum non fuerit praescriptus, tunc praescribendus ab Ordinario secundum morem civitatis vel provinciae. — 3. Dubium. An cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum ac temporum, sacerdos accipiens stipendium minus congruo, teneatur Missas illi ab offerente praescriptas celebrare? Respondit. Teneri. — 4. Dubium. An sacerdotes, qui tenentur Mis-

sas celebrare ratione Beneficii seu Cappellae, legati aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis et Defunctorum recipere, et unico Missae sacrificio utrique oneri satisfacere? Resp. Non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere. — 5. Dubium. Posito quod testator reliquerit certum Missarum numerum absque praescriptione eleemosynae, an haec ab haeredibus, vel ab Ordinario sit praescribenda? Resp. Ab Ordinario secundum morem civitatis vel provinciae. — 6. Dubium. Cum S. C. revocaverit privilegia, quibus indulgebatur, ut certarum Missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis, satisfiat, an verba *in futurum suscipiendis* intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium? Resp. Ita esse intelligenda. — 7. Dubium. An permittendum sit administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similium? Resp. Permittendum non esse, nisi cum ecclesiae alios non habeant redditus in huiusmodi usum licite erogandos; et tunc portionem quam retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario subeundarum; et nihilominus curandum esse, ut tot Missae celebrentur, quot fuerint praescriptae. — 8. Dubium. An Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur eidem dare stipendium ad rationem reddituum Beneficii? Resp. Satis esse, ut tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione Beneficii aliud cautum fuerit. — 9. Dubium. An sacerdotes, quibus offertur eleemosyna maior solita pro celebratione Missae, debeant dare eamdem integram iis, quibus Missas celebrandas committunt; an vero satis sit, si dent eleemosynam consuetam? Resp. Debere absolute integram eleemosynam tribuere, nec ullam illius partem sibi retinere posse. — 10. Dubium. An novas valeant eleemosynas recipere ii sacerdotes, qui acceptis non satisfecerunt; et quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere? Resp. Posse nova etiam onera

Missarum suscipere, dummodo infra modicum tempus [1] valeant omnibus satisfacere. — 11. Dubium. Quid si offerens eleemosynas audito impedimento consentit, ut sacerdos Missam celebret, cum primum poterit? Resp. Posse. — 12. Dubium. An poena interdicti, et aliae appositae in eodem Decreto, afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptam, quam eos qui non auferunt ab ecclesiis capsulas pro Missis? Resp. Has poenas non habere locum, nisi in suscepturis onera Missarum perpetua sine licentia Episcopi vel eius Generalis Vicarii, aut Generalis vel Provincialis. — 13. Dubium. An in hoc Decreto comprehendantur illae capsulae, quae apponi solent in ecclesiis in die commemorationis omnium Sanctorum, et vulgo dicuntur « Casse de' Morti ». Resp. Comprehendi. — 14. Dubium. An in ecclesiis magnae devotionis et concursus possint accipi eleemosynae pro Missis, licet celebrari nequeant nisi post longum tempus, ne devotio, cultus atque concursus fidelium minuantur? Resp. Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tradunt. — 15. Dubium. Si in hisce Decretis, eorumque prohibitionibus comprehendantur privati sacerdotes? Resp. Comprehendi. — 16. Dubium. An ubi praefixio numeri Religiosorum in quolibet Monasterio facta iam fuit, vigore similis Decreti sanctae memoriae Pauli V, absque computatione reddituum cuiusque Religiosi, sit denuo facienda nec ne? Resp. Esse iterum faciendam. — 17. Dubium. An Novitii ad habitum regularem admissi possint ad professionem admitti in Monasteriis, in quibus habita, ut supra, praefixione numeri, commode sustentari nequeunt? Resp. esse admittendos, si habiles existant, ac deinde in alio Monasterio esse collocandos, ubi commode ali possint. — 18. Dubium. An eae Religiones, quae Missarum onera suscipere non consueverunt, ut sunt Religiones Capuccinorum et S. I., valeant coenobia ac domus erigere, in quibus duodecim Religiosi commode ali ne-

[1] Die 17 Iul. 1655, Sacr. Congr. Conc. *modicum tempus* intelligendum esse resolvit *infra* mensem, si agatur de sanctuariis quae gravantur aliis missarum oneribus. *Duo* vero *menses* iuxta S. Alph. aliosque Theol. intelligendi sunt, quando agitur de singulis sacerdotibus quibus demandatur celebratio.

queunt? Resp. Non posse. — 19. Dubium. An hoc Decretum, ut non recipiantur Conventus Regularium, nisi, praeter alia ad id requisita, duodecim saltem fratres in eis degere et competenter sustentari valeant, alioquin subsint iurisdictioni Ordinarii, locum habeat extra Italiam, Insulasque adiacentes? Resp. Habere locum etiam extra Italiam, Insulasque adiacentes.

693. Ad haec 3° eadem Sacr. Congregatio sequentia Decreta edidit, quae per Breve *Quocirca cum dilectus* die 23 dec. 1697 [1] approbata et confirmata fuerunt. 1) Decreta superius relata cum illorum declarationibus Sacra Congregatio plenissime confirmavit, universis praecipiens ut eadem omnimodae executioni demandentur. 2) Insuper eos qui missarum celebrationem omittunt sub malitiosa vel irrationabili spe earumdem condonationem vel reductionem a Sede Apostolica vel compositionem a Rev. Fabrica S. Petri de Urbe obtinendi, certiores et monitos fecit, praefatas condonationes et reductiones ab eadem Sede nonnisi ex rationabili causa seu aequa commiseratione, compositiones vero a dicta Fabrica, nonnisi ex causa pariter rationabili et cum clausulis opportunis, praesertim cum illa *dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur,* admitti consuevisse et solere. Quapropter tales intentiones, opiniones, spes, contraventiones, seu circumventiones directas vel indirectas, immediatas vel mediatas, tamquam prorsus irrationabiles, iniustas ac illicitas reprobat, damnat et interdicit. 3) Decrevit ut omnes Rectores, Superiores ac ministri tum saecularium tum regularium ecclesiarum, debeant in loco magis patenti et obvio, retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium litteris perspicuis et intelligibilibus descriptorum, quorum implemento si nequeant intra breve tempus satisfacere, vel illa dumtaxat et non ulteriora adimplere posse crediderint, nullatenus nova onera suscipiant, idque in eadem tabella similiter exprimant. 4) Iidemque teneantur pariter in sacrario duos libros retinere ac in eorum altero singula onera per-

[1] Collect. n. 867.

petua et temporalia, in altero autem Missas manuales et tam illorum quam illarum adimplementum et eleemosynas distincte et diligenter adnotare, atque de iis exactam rationem suis Superioribus reddere. Verum tam Superiores, quam supradicti, reddendae rationi obstricti sedulo curent, ut in praefatis libris omnes et singulae rationes huiusmodi describantur, seu adnotentur. 5) Praecipit ut Regulares debeant omnes eleemosynas tum manualium, tum perpetuarum et temporalium missarum reponere in capsa in particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera penes alium a Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de eisdem eleemosynis et celebratione missarum coram Patribus discretis seu Consiliaris vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus exactam rationem exigere et respective reddere. 6) Quod si autem ii, ad quos cura tabellae, capsae et librorum pertinet, suam operam praemissis non navaverint et Superiores tam saeculares quam regulares rationem praedictam non exegerint, seu non invigilaverint, ut quisque suo muneri satisfaciat in singulis respectivis casibus, saeculares poenam suspensionis, regulares vero privationis vocis activae et passivae, graduum, officiorum ac inhabilitatis ad illa ipso facto et absque ulla declaratione incurrant. 7) Decernit ut haec decreta exposita prostent in sacrariis, et in monasteriis bis in anno legantur, atque excitat omnes Ordinarios et superiores ad curam impendendam ut eadem observentur.

694. Ad haec 4° Bened. XIV [1] primo animadvertit missas esse celebrandas in illa ecclesia seu loco ubi volunt eleemosynam conferentes, postea declarat quemcumque, qui eleemosynas seu stipendia pro missis celebrandis colligens et accipiens ipsas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendiorum, celebrare fecerit, laicum quidem excommunicationis, clericum vero suspensionis poenam sibi suisque successoribus reservatam ipso facto incurrere. Pius vero IX in Const. *Apostolicae Sedis* excommunicationi R. Pontifici simpliciter reservatae subiecit colligentes eleemosynas maioris pretii

[1] In Const. *Quanta cura* 30 iunii 1741.

pro missis et ex iis lucrum captantes faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent [1].

695. Tandem 5° cum circa eleemosynas missarum graves quaedam quaestiones S. Sedi propositae fuerint, eas Sum. Pont. Pius IX Sac. Congregationi Concilii expendendas ac resolvendas mandavit. Sunt autem hae: I. An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui, adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo missarum eleemosynas colligunt; et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam sed libros aliasve merces rependunt? II. An haec agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia nulla facta imminutione, tot missae a memoratis collectoribus celebrandae committantur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus, eleemosynis missarum carentibus subvenitur? III. An huiusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur? IV. An turpi mercimonio concur-

[1] Sunt casus in quibus sacerdos potest alteri sacerdoti missam celebrandam delegare cum eleemosyna ordinaria, sibique retinere eius excessum, idque generatim fieri licet quoties adsunt alii tituli celebrationi extrinseci. Eiusmodi vero tituli sunt: 1) Si missae inhaereant beneficio, vel cappellaniae. 2) Si missa perpetua non inhaeret beneficio, sed certo cuidam sacerdoti demandatur ita ut ipsi cura incumbat solutioni consulendi, quod onus pretio aestimabile est. 3) Si alicui legatum relinquitur certo ac determinato numero missarum gravatum; at non idem dicendum, si aliquis in testamento non tamquam legatarius sit designatus, sed executor legati missarum. 4) Si quis maiorem stipem non tam intuitu missae daret, quam amicitiae, paupertatis, gratitudinis. 5) Si maius stipendium datur ratione stolae vel officii parochialis vel dignitatis, ut fit in missis nuptialibus, S. Congr. Concil. die 25 iulii 1874 declaravit « integram eleemosynam solvendam, nisi morali certitudine constet, excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae ipsius Parochi ». Conf. cl. Aichner Op. cit. p. 775.

rant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine? V. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii, qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro missis celebrandis libros, aliasve merces, harum pretio sive imminuto, sive integro? VI. An illicite agant ii, qui pro missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis, vel turpis lucri specie? VII. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis redditibus careant? VIII. An et quid agendum ab Episcopis, ne iisdem Sanctuariis plures missarum eleemosynae congerantur, quam quae ibi intra praescriptum, seu breve tempus absolvi queant? IX. An et quid agendum ab Episcopis, ut missae, sive quae singulis sacerdotibus, sive quae ecclesiis et locis piis a fidelibus celebrandae committuntur, accurate et fideliter persolvantur? Quibus dubiis non semel in propriis comitiis sedulo et accurate perpensis, tandem in Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 25 iulii 1874, iidem Emi Patres in hunc modum respondendum censuerunt, videlicet:

Ad I. Affirmative. Ad II. Negative. Ad III. Affirmative. Ad IV. Affirmative. Ad V. Affirmative. Ad VI. Negative. Ad VII. Negative, nisi de consensu oblatorum. Ad VIII et IX. Standum Constitutionibus Apostolicis et Decretis alias datis. Factaque die 31 augusti 1874 de his omnibus SSmo D. N. per Sacr. Congr. Secretarium relatione, Sanctitas Sua resolutiones S. Congregationis Apostolica sua auctoritate adprobavit et confirmavit, atque ad Episcopos transmitti iussit, ut ipsi eas intra propriae iurisdictionis limites exequendas, perpetuoque et inviolabiliter servandas curent. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

696. In sequelam resolutionum praedictarum, bina proposita sunt dubia seu :

I. An illicite agant ii, qui cum non sint bibliopolae nec mercatores, vel aliter missarum celebrandarum quaesitores, verum ecclesiastici viri, quibus sponte a fidelibus missarum celebrandarum eleemosynae traduntur, quique ad bonos libros vel diaria religiosa evulganda, eas celebrandas offerunt sacerdotibus, ut inde hi accipiant stipendii loco, libros vel ephemerides? II. An illicite agant huiusmodi sacerdotes, qui vel iis oblatas a supradictis ecclesiasticis missas acceptant, vel ipsis eas petunt celebrandas, ut inde queant, pro missis iam celebratis, earum stipendii loco, libros vel diaria acceptare vel petere, cum ipsi aliunde sciant, aut sibi persuadeant, aliter non obtenturos easdem missas pro effectiva eleemosyna celebrandas? Quibus dubiis S. Congregatio in generalibus comitiis habitis die 24 aprilis 1875 respondit: Negative in omnibus ad utrumque.

ARTICULUS III.

De Missae iteratione.

697. Ex regula generali iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam, semel tantum in die licet sacerdotibus sacrificium missae offerre, excepto die Nativitatis Domini. Attamen Missionariis apud infideles et heterodoxos degentibus, datur facultas ab Apostolica Sede missam binandi. Circa hanc facultatem S. Congr. Fidei Prop. per Instructionem datam die 24 maii 1870 [1] regulas ac principia praestituit, quae in memoratae facultatis usu ob oculos habenda sunt. Atque in primis declaravit, quod quando in casu necessitatis permittitur sacerdotibus iteratio missae, id intelligi debet de venia duas tantum missas celebrandi, quamvis graves concurrerent causae, quae maiorem missarum numerum exposcere viderentur [2].

[1] Collect. n. 792.

[2] Instructio a S. R. C. die 12 septembris 1858 edita pro sacerdote Apostolicam facultatem habente bis Missam eadem die celebrandi est sequens:

698. Porro necessitas, quae unicus titulus est ob quem facultas haec conceditur, desumenda non est ex parte inopiae sacerdotum, sed ex parte necessitatis spiritualis populi et ex raritate sacerdotum. Hinc infertur non recte sentire qui diceret 1) posse missam iterari diebus festis suppressis; 2) iterari missam posse in eorum commodum, qui praecepto satisfacere vellent in suis privatis oratoriis; 3) consuetudinem esse titulum sufficientem eodem die binandi;

« Quando sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat calicem et palla tegat, ac iunctis manibus in medio Altari dicat: *Quod ore sumpsimus* etc. et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum* et abstergat. His peractis Calicem, super corporale manentem adhuc, deducta palla cooperiat ceu mos est, scilicet primum purificatoris linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec Missam prosequatur, et completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio Altaris, et detecto Calice, inspiciat an aliquid divini Sanguinis nec ne ad imum se recederit, quod plerumque continget. Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, cum particulae, quae circum sunt, undequaque sursum deserantur, non nisi deposito Calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat, et super extantibus adhuc vini speciebus ex divino praecepto compleri debet.

« Postmodum sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquae fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua Sanguinem biberat in paratum vas dimittat. Calicem subinde ipse Purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit atque ab altari discedat. Depositis vestibus sacris, et gratiarum actione completa, aqua e Calice demissa pro rerum adiunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat Missam habiturus) et in secunda purificatione in Calicem demittatur, vel gossipio aut stupa absorpta comburatur, vel in Sacrario si sit exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.

« Cum autem Calix, quo sacerdos primum est usus, purificatus iam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero in altera Missa diverso Calice uti poterit.

« Cum superior S. R. C. Instructio nonnisi casum respiciat, quo Sacerdos duas Missas dissitis in locis eadem die sit celebraturus; operae pretium visum est ex Commentariis Bartholomaei Gavanti et Caietani Mariae Merati hic ritum adiungere a sacerdote servandum cum utramque Missam in eadem ecclesia offerre debet.

4) interdictam non esse sacerdoti missae iterationem quoties alius haberi possit sacerdos, qui populi necessitati valeat satisfacere. Quocirca prius quam admittatur missae iteratio, videndum erit, num aliquod e remediis a iure praestitutis suppetat ad consulendum spirituali populi necessitati. Hinc ad consulendum necessitati in primis Parochus ipse tenetur stipendium alteri sacerdoti suppeditare; eo non potente, populus, et si ob paupertatem is non possit, tenetur Ordinarius.

699. Quoad vero casus, quibus Episcopi binandi facultatem concedere possunt, Bened. XIV declaravit permitti eam posse: 1) sacerdoti, qui duabus parochiis praesit vel duos populos curet adeo seiunctos, ut alteruter Parocho celebranti die festo adesse nullatenus possit; 2) si una tantum sit ecclesia, in qua missa celebratur et ad quam insimul universus populus convenire non potest. Porro his intervenientibus casibus, iterari missa poterit etiam ab iis qui binandi facultate non sunt instructi, cum id concedat ius commune, semper tamen dependenter ab Ordinario, ad quem pertinet tum de vera existente necessitate, tum de possibilitate alia canonica remedia applicandi, iudicium ferre. Quin imo in casu unius Parochi

« Hoc itaque in casu sacerdos post haustum in prima Missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens ac super corporale relinquens, dicit iunctis manibus: *Quod ore sumpsimus Domine* etc. Deinde digitos, quibus SS. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo ad hoc in Altare praeparato abluet, interim dicens: *Corpus tuum Domine* etc., abstersisque purificatorio digitis calicem velo cooperiet, velumque ponet super corporale extensum. Absoluta Missa, si nulla in ecclesia sit sacristia, calicem eodem modo super Altare relinquet; secus vero in sacristiam deferet, ibique super Corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit usque ad secundam Missam; in qua, cum eodem Calice uti debeat, illum rursus secum deferet ad Altare, ac super corporale extensum reponet. Cum autem in secunda Missa sacerdos ad Offertorium devenerit, ablato velo de Calice, hunc parumper versus cornu Epistolae collocabit, sed non extra corporale, factaque hostiae oblatione, cavebit ne purificatorio extergat Calicem, sed eum intra corporale relinquens leviter elevabit, vinumque et aquam eidem caute imponet ne guttae aliquae ad labia ipsius Calicis resiliant, quem deinde nullatenus ab intus abstersum more solito offeret ».

cum duabus paroeciis, parochum non solum posse, sed plane teneri ad missam iterandam animadvertit Bened. XIV [1]. Ex his consequitur leviorem necessitatem requiri ut vi facultatis binatio permittatur, quam ut vi iuris communis. Quae quidem necessitas, conscientiose quidem, at non anxie diiudicanda est. Quare perperam ageret tam is qui laxe, quam is qui extremo cum rigore hac in re procederet. Uno verbo charitatis fidelibus debitae haud minor ratio habenda est, quam legis binationem prohibentis. Porro haec moralis fidelium necessitas, seu gravis utilitas, exurgere praesertim solet ex numero fidelium qui alias sacro assistere sine notabili difficultate non possunt, attentis distantia ab ecclesia, temporis circumstantia ex. gr. hiemalis, viarum asperitate etc.

700. Quod ad numerum vero fidelium, qui satis sit ut missa iterari possit, in Const. *Apostolicum Ministerium* edita pro Anglia declaratur eiusdem facultatem posse adhiberi « cum eorum numerus, qui diebus festivis tenentur sacris assistere, talem exhibeat necessitatem, ut nisi alicui sacerdoti duas missas eadem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiae mandato *plures* non satisfacerent ». Cum haec generalis norma dubium omne non auferat, hinc S. Congr. in more habuit huiusmodi quaestionem, quemadmodum ea quae distantiam respiciunt, resolvendam relinquere prudenti Ordinariorum arbitrio, a quibus facultas dependet [2]. Haec autem necessitas vera quidem, sed moralis intelligitur, non absoluta.

701. Circa stipendium percipiendum ab iis qui duas missas eadem die celebrant, Sac. Congr. Fid. Prop. regulam generalem edidit die 15 oct. 1863, scilicet non concedi presbyteris eleemosynam recipere pro secunda missa; etiamsi de illis agatur, qui parochiali

[1] L. 6 *de Syn. Dioec.*

[2] Numerus circiter vicenarius in decreto S. Congr. Conc. in Lingonensi 12 ian. 1847, supposita notabili difficultate, sufficiens habitus fuit, dum idem numerus in alio casu iudicatus fuit non sufficere. Ad hoc igitur determinandum ratio habenda est adiunctorum, et sic in casu in quo agebatur de detentis in carcere, favore minus quam decem vel quindecim licita fuit declarata binatio, quae declaratio ad hospitalia, et ad conventus monialium papali clausura adstrictarum extendi potest.

munere fungentes ideo pro prima missa nequeunt stipendium percipere, quia eam *pro populo* applicare tenentur. Etsi vero voluerit ut haec norma generatim servetur in praxi, cum tamen specialia adsint in nonnullis missionibus rerum ac personarum adiuncta, et cum difficultates non paucae oriri possent si regula ipsa nullas exceptiones pateretur, Pius IX facultatem impertivit Ordinariis missionum ut, iusta et gravi causa intercedente, sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda missa in eadem die celebranda, stipendium percipere possint ac valeant [1].

ARTICULUS IV.

De loco et tempore celebrationis.

702. Missae celebrari possunt in Ecclesia et Oratoriis publica auctoritate Ordinarii deputatis, consecratis vel saltem benedictis, nisi casus magnae necessitatis interveniat [2].

703. Ad missam requiritur altare, cuius duplex est species; alia enim sunt altaria *fixa,* alia *mobilia.* Fixa ea dicuntur quorum structura moveri nequit; mobilia sunt quae, salva integritate, de uno in alium locum transferri possunt. Ab altari mobili differt privilegium altaris portatilis, quod in eo consistit ut quis super altari viatico ubivis missam possit celebrare.

704. Porro materia tabulae altaris debet esse lapidea [3], unoque integro lapide constare [4], et forma quadrangularis. Item in media parte debet cavitatem habere in qua reponuntur in consecratione reliquiae sanctorum, sine quibus consecrari non possunt [5]. Altare oportet tribus lineis mappis esse contectum, atque inter candelabra debet Crux et Christi Domini ex ea pendentis imago prominere. Et quidem suprema est auctoritate statutum, non posse rem divi-

[1] S. Congr. Fid. Prop. 15 oct. 1863.

[2] Conc. Trid. Sess. XXII *de obs. in celebr. missae.*

[3] Collect. n. 826.

[4] S. Rit. Congr. 17 iunii 1843.

[5] Collect. n. 824, 825.

nam fieri in altari, ne illo quidem excepto in quo intra tabernaculum divina eucharistia asservatur, nisi Crux quam diximus, talis sit atque ita constituta, ut sacerdos et populus sacro adstans Crucifixum facile et commode possint intueri. Quod si in maioris altaris tabula Servator noster Cruci suffixus aut caelatus appareat, tunc nullam inter candelabra poni crucem necesse est [1].

705. In missae sacrificio adhiberi debent candelae industria confectae ex apum labore, et ex venia apostolica interdum conceditur missionariis ut possint uti loco cerae, oleo, et etiam oleo deficiente, ut celebrent absque luminibus. Pariter ex Indulto Apostolico conceditur facultas utendi cera ex arbore fluente. Calix debet esse aureus vel argenteus, aut saltem stamneus, si ecclesiarum vel sacerdotum paupertas tanta sit, ut maioris pretii vasa comparare non sinat. De calice vero ex alluminio confecto, lata est instructio a S. Rit. Congr. die 6 dec. 1866 [2]. Debent autem calicum cuppae et patenae in tota superficie argento prius et deinde auro in partibus a rubrica requisitis obduci [3]. Calices denique et patenae per solum Episcopum consecrari possunt, et iterum consecrari debent si fuerint denuo inaurati [4].

706. Amictus, albae, tobaleae, mappulae ex lino vel cannabe constare debent, nunc fas est uti palla a parte superiori drappo serico cooperta. Paramenta denique, linteamina sacra, exceptis purificatoribus, debent esse benedicta.

707. Rubricae missalis tempus intra quod missae celebrari possunt, excepta sola missa solemni in nocte nativitatis Domini et excepto privilegio, aurora et meridie concludunt. Neque tamen violatae huius legis reus haberetur, siquis parte horae tertia antevertat auroram sic ut missam ad auroram ipsam absolvat, vel etiam, si absolvat eamdem tertia post meridiem horae parte elapsa [5].

[1] Bened. XIV, Const. *Accepimus praestantium.*

[2] Collect. n. 865.

[3] Collect. n. 864.

[4] Collect. n. 842, 850.

[5] Bened. XIV, Instr. 13.

Minus tamen quam horam intervertere est leve et ex gravi motivo innoxium prorsus, ex. gr. itineris causa. Et si viaticum dandum sit, licet a media nocte missam celebrare. Ne autem populus careat missa, licet ad duas horas post meridiem. Denique observandae sunt in missae sacrificio rubricae in missali praescriptae, quarum aliae sunt praeceptivae, aliae directivae. Praeceptivae sunt quae continent aliquid quod ex iure vel legitima consuetudine convenienter praecipitur, directivae dicuntur reliquae.

708. Ultimo loco inquirendum superest quoties sub gravi quivis sacerdos celebrare teneatur. Porro agitur hic non solum de praecepto affirmativo et indeterminato, sed de praecepto naturali per modum officii imposito, siquidem iuxta rituale, celebrare est primum sacerdotis officium. Porro quidquid ad instar officii impositum est, subiecto inhaeret per modum habitus, et quidquid rationem habitus habet frequentiam aliquam actuum expostulat. Hinc uno vel tribus aut quatuor actibus pro toto tempore quo officium perdurat, ei nullatenus esset satisfactum. His positis, S. Thomas huic quaestioni respondet: « dicendum quod quidam dixerunt quod Sacerdos potest omnino a celebratione rite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare populo et sacramenta praebere. Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data; ..... unde Sacerdoti etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare, sed saltem videtur quod teneatur celebrare in praecipuis festis et maxime in quibus fideles communicare consueverunt ». Quae formula, subdit S. Alph. [1], *in praecipuis festis* iuxta Sotum intelligitur de tribus principalioribus solemnitatibus i. e. Natali, Paschate et Pentecoste; unde sententia longe communior, subdit s. Doctor, affirmat Sacerdotes non teneri ad celebrandum, nisi ter vel quater in anno. Et haec sententia est conformis Decreto Sac. Congr. Concilii edito mense nov. 1696 [2], ubi dicitur quod qui sine iusta causa ter vel quater in anno non celebravit peccat mortaliter et potest ab Episcopo puniri.

[1] L. 6, tract. 3, n. 33.

[2] Apud MONACELLUM p. 1, tit. 5, form. 9, n. 15.

CAPUT IV.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

709. Poenitentiae virtutem eiusque fructum Christus Dominus ritui a se instituto alligavit, quo christianorum peccata clavibus Ecclesiae rite subiecta solvuntur et lapsis post baptismum, beneficium mortis Christi applicatur. Hoc sensu Poenitentia est verum ac proprium Novae Legis Sacramentum remissionis gratiam producens ex opere operato. Porro Poenitentiae Sacramentum christianis peccatoribus necessarium est necessitate praecepti ac medii, illudque proprium habet ut institutum sit ad modum iudicii.

ARTICULUS I.

De Materia et Forma Sacramenti Poenitentiae.

710. Materia remota Sacramenti poenitentiae sunt peccata post baptismum commissa. Peccatum vero si est certum et mortale, est materia necessaria: si vero est veniale, vel mortale aut veniale alias rite confessum et absolutum, est materia libera et sufficiens. Quod si incertum seu dubium sit, est materia insufficiens.

Materia vero proxima sunt actus poenitentis, qui tres iure censentur scilicet *contritio, confessio* et *satisfactio.*

Forma denique huius sacramenti est *absolutio* iuridica Sacerdotis.

§ 1. — *De Contritione.*

711. Quod ad poenitentis actus pertinet, prima poenitentiae pars, eaque omnino essentialis atque potissima, est contritio seu « animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero ».

Porro contritio debet esse *interna* seu *vera, supernaturalis, summa* et *universalis;* propositum vero debet esse *firmum, efficax* et *universale.* Generica contritionis notio iure in *perfectam* et *imperfectam* specie distinguitur ex distinctis specie motivis, atque adeo

quae ex motivo amoris Dei super omnia *propter se* dilecti concipitur, contritio dicitur perfecta, quae vero ex alio supernaturali motivo et nominatim ex timore Dei punientis vel ex turpitudine peccati, imperfecta contritio dici solet seu attritio.

712. Notandum vero est quod cum charitas dicitur *super omnia*, perfectio significatur appretiativi amoris, adeo ut Deus omnibus praeferatur et nihil contra eum ametur, sine quo vera charitas esse non potest [1], non vero praeter hanc essentialem perfectionem significatur ut necessaria distincta perfectio *affectus intensitas*.

713. Ad haec, cum dicitur dilectio gratuita Dei *propter se*, significatur quidem amor Dei super omnia directe propter suam infinitam bonitatem, at non excluditur necessario respectus omnis ad Deum quatenus etiam summum bonum nostrum est, eo ipso quod est in se summum bonum.

714. Contritio charitate perfecta poenitentem Deo reconciliat antequam Sacramentum actu suscipiatur, idque non solum cum gradibus intensa est ac fervens ac longo tempore dominans atque sub omni respectu pura et gratuita, neque solum cum non adest Sacramenti copia urgente necessitate, ex. gr. in mortis articulo, vel accedente martyrio, sed dummodo in sua specie perfecta sit, ante Sacramenti susceptionem iustificat, licet non sine voto Sacramenti. Quin imo perfectae contritionis intensio tum ex parte charitatis, ut loquitur S. Thomas [2], tum ex parte doloris sensibilis quem excitat voluntas, efficere potest ut non solum culpa et poena aeterna, sed etiam omnis temporalis poena cum voto tamen Sacramenti remittatur.

715. Quod autem contritio cum Sacramenti voto iustificat, non ita est intelligendum ac si remissio fieret vi Sacramenti quod nondum existit, vel vi quidem contritionis sed conditionate, si Sacramentum deinde suscipiatur, vel ita ut per contritionem culpa tantummodo remittatur, poena vero aeterna per Sacramentum tollenda

[1] S. Th. 2ª 2ªᵉ, quaest. 24, art. 12; quaest. 184, art. 3.

[2] IV, Dist. 27, quaest. 2, art. 5.

sit, sed ita ut contritio intelligatur iustificare cum relatione ad medium seu Sacramentum ad hoc divinitus ordinatum, cuius suscipiendi voluntas saltem implicite, non modo tantum communi ut votum suscipiendi alia sacramenta, sed modo etiam proprio in christiana contritione continetur [1].

716. Contritio vero charitate perfecta non requiritur tamquam necessaria dispositio ut poenitentiae Sacramentum rite suscipiatur, vera enim licet imperfecta contritio et cordis conversio concipi etiam potest ex motivo timoris sine amoris motivo, ac verus est et utilis dolor atque ad iustificationem in Sacramento obtinendam proxima atque sufficiens dispositio.

717. Denique ex eo quod contritio sit absolutionis conditio, sequitur, eam ante absolutionem esse eliciendam, post hanc enim elicita non sufficit; ex eo vero quod sit materia sacramenti consequitur sensibilem esse debere atque ad sacramentum ipsum ordinatam.

§ 2. — *De Confessione.*

718. Altera poenitentiae pars est Confessio, seu accusatio omnium et singulorum peccatorum mortalium quae post baptismum commissa sunt, facta proprio sacerdoti ad absolutionem virtute clavium obtinendam. Ut haec valida sit requiritur 1) ut sit fidelis; 2) ut sit integra. *Fidelis* erit si exprimatur verum, *integra* si exprimatur totum.

719. Porro tota fidelitas requiritur in materia necessaria, mentiri enim in materia necessaria, sive negando peccatum mortale quod commissum est, sive asserendo peccatum grave, quod factum non est, est peccatum grave et consequenter contra sacramenti substantiam. Mentitur aliquis vero in materia non necessaria, aut negando v. gr. veniale quod factum est, aut asserendo veniale quod factum non est; si fiat primo modo erit peccatum veniale et substantia sacramenti consistet, dummodo cetera adsint; si autem secundo modo

[1] S. Th. in *Suppl.*, quaest. 18, art. 1; Suarez *de Poenit.*, disp. 17, sect. 3.

fiat, peccabitur graviter quando tale falsum veniale fuerit sacramenti materia totalis, non vero cum fuerit partialis.

720. Integritas vero est materialis vel formalis. Confessio materialiter integra est accusatio omnium mortalium commissorum quoad numerum, species, et circumstantias declarandas. Confessio formaliter integra est accusatio eorum dumtaxat mortalium, quae poenitens potest et debet declarare in iis circumstantiis, in quibus versatur. Per se loquendo integritas confessionis ad valorem Sacramenti requisita exigit, ut quantum moraliter fieri potest, declarentur: 1. Omnia peccata mortalia tam occulta et interna, quam externa et publica, etiamsi aliunde essent nota Confessario. 2. Eorum numerus. 3. Omnes species morales. 4. Omnes circumstantiae, quae speciem peccatorum mutant. 5. Ipsi denique actus externi. Porro non requiritur integritas materialis, sed sufficit formalis. Hinc a confessione integra materialiter excusantur: 1. Qui ex oblivione inculpabili, vel ignorantia invincibili, aliquod mortale omittunt. 2. Qui per gestus, scripturam, vel alia signa nequeunt omnia declarare. 3. Qui versantur in periculo moriendi ante absolutionem, nisi mox detur; tunc enim auditis aliquot, absolvendi sunt. 4. Cum in naufragii periculo imminenti, vel instante pugna, nequeunt omnes integre confiteri; tunc enim sufficit confessio confusa, qua omnes simul significant se peccasse, dolere de peccatis, et velle absolvi. Si tamen unusquisque potest saltem aliquod peccatum in particulari confiteri privatim, ad id tenetur. 5. Ii, quorum idioma non nisi ex parte intelligi potest a confessario, si nequeant alteri confiteri, sitque necessitas confitendi, vel iuxta aliquos urgeat praeceptum annuae confessionis. 6. Sacerdos, dum peccatum suum confiteri nequit absque fractione sigilli confessionis. 7. Quicumque confiteri nequit aliquod peccatum sine gravi damno confessioni extrinseco, temporali, vel spirituali, sive proprio, sive etiam alieno; nam lex charitatis obligat ad diligendum proximum sicut nos ipsos, ac proinde ad vitandum eius damnum; ut si prudenter timeas, ne confessarius, qui solus haberi potest, frangat sigillum. Sed tunc requiritur iusta causa confitendi hic et nunc tali confessario, cuiusmodi esset prae-

ceptum confitendi, vel necessitas celebrandi ad vitandum grave scandalum, aut infamiam; alioqui adeundus est alius confessor, vel differenda confessio, si commode differri queat. Item si infirmi vita periclitentur in accuratiori peccatorum declaratione, vel si integra confessio laborantis morbo valde contagioso a longe audiri nequeat, nec prope sine periculo proximo mortis confessoris, tunc siquidem audito uno aut altero peccato, potest absolvi. At magnus populi concursus, die Indulgentiae, vel festivitatis, ut Paschatis, per se praecise non excusat ab integritate confessionis; quia tunc non adest sufficiens necessitas dimidiandae confessionis: et maximi inde abusus ac magna incommoda orirentur. Hinc Innocentius XI damnavit hanc propositionem: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis ex. gr. potest contingere in die alicuius magnae festivitatis, aut indulgentiae.*

Confessio sacramentalis integra exigitur a neo conversis, cum sub conditione rebaptizantur [1].

721. Ceterum cum in confessione audienda Sacerdos et medicum agere debeat et iudicem, debet idcirco omnium primum peccatoris et peccati circumstantias cognoscere, ut recte iudicet utque opportune ac salubriter medeatur. Quare si poenitens numerum et species et circumstantias immutantes species non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget. Interroget etiam de his quae ignorans tacet eoque magis de iis, quae per negligentiam aut verecundiam omittit [2]. Sed in poenitentibus interrogandis diligentissime caveat, tum ne irrogetur ulla Sacramento iniuria peccatum tacendo, tum ne aperte nimis interrogando, novae poenitentibus ingerantur malitiae, praesertim si de mulieribus aut adolescentibus agatur. Quod si poenitens socium criminis habeat, nefas est Confessario huius nomen aut domum exquirere, multoque magis poenitentem ad haec revelanda compellere. Quam quidem praxim Bened. XIV

[1] S. Congr. S. O. 17 iunii 1715, 17 decembris 1868. Collect. n. 955.

[2] Bened. XIV, Const. *Sacramentum Poenitentiae.*

damnat tanquam scandalosam et perniciosam ac tam famae proximorum, quam ipsi Sacramento iniuriosam; et siquis ausus sit docere vel defendere, aut voce aut scriptis, licitam esse praxim huiusmodi, id est et *exquirere nomen complicis et reticenti absolutionem denegare,* excommunicationem incurret ipso iure Rom. Pontifici reservatam [1]. Complicem vero heic accipere debemus non in re turpi, sed in quovis peccato.

722. Quoad confessionem per interpretem duo quaeri possunt: 1) an sit exigenda; 2) an sit permittenda. Circa primum explorata res est, neminem teneri ad confitendum per interpretem; cum soli Sacerdoti peccata nostra aperire teneamur: *omnia sua solus peccata confiteatur proprio Sacerdoti,* inquit Innoc. in c. *omnis utriusque sexus*, tit. de poenitentia, videlicet insinuans, quod si solus confiteri nequit, confiteri non teneatur. Posse vero poenitentem, si velit, per interpretem confiteri, nemo negat. Haec responsio Sacrarum Urbis Congregationum decretis consentanea est. In Congregatione enim particulari Prop. Fid. [2] decretum fuit: *quamvis docente Concilio Tridentino, nullo sit divino praecepto mandatum, nec satis consulto lege aliqua humana praecipi possit, ut delicta, praesertim secreta, publica confessione aperiantur; tamen visum est Patribus deputatis, eidem sacrae Synodo inhaerentibus, eos, qui vellent sponte per interpretem confiteri, non debere per Vicarium Apostolicum Constantinopolitanum prohiberi, cum sufficiat praecavere abusus, et scandala, et curare, ut interpretes admoneantur de obligatione, quam habent servandi naturalis secreti.* Et proposito ann. 1633 sequenti dubio: *Qua ratione se gerere debent Missionarii cum poenitentibus, quorum idioma ignorant?* S. Congr. diei 10 febr. 1668 respondit: *Missionarii hortentur poenitentes ignaros idiomatis Missionariorum ad adhibendum interpretem, per quem confiteantur omnia peccata: quod si hoc nolint, saltem confiteantur aliqua per interpretem, et reliqua per nutus et signa quantum possunt, quod*

[1] Pius IX, Const. *Apostolicae Sedis.*

[2] Collect. n. 951.

si nulla velint per interpretem confiteri, confiteantur per signa et nutus omni meliori modo, sicut fit cum mutis: sed Missionarii curent addiscere ex unaquaque lingua ibi usuali, illa pauca verba, quae sunt necessaria ad explicanda praecipua peccata contra Decalogum, et contra quinque praecepta Ecclesiae.

723. Cum ignorans Confessarii idioma renuat confiteri per interpretem, petat vero a Missionariis peccatorum absolutionem ob confessionem nutibus et signis dumtaxat factam vel faciendam, absolvi licite potest, ut Theologi docent, et ut ex solutione patet dubii quod sequitur: *Utrum in regionibus longinquis catholicus multis annis inconfessus, et signis dumtaxat ob defectum idiomatis petens absolutionem peccatorum, possit absolvi absque ope interpretis?* Emi approbarunt *vota PP. Theologorum, videlicet, non esse opus interprete in casu proposito, sicut etiam posse et debere absolutionem peccatorum impertiri exhibenti signa, quae potest, dummodo sufficiant ad exprimendum aliquod peccatum in specie. In casu vero, quo quis conetur quantum potest, exhibere signa peccatorum in specie, nequeat autem omnino intelligi, absolvi posse per solam manifestationem peccatorum in genere* [1].

724. Quoad modum vero excipiendi confessiones, haec notanda sunt. Solent confessiones sacramentales, excepta infirmitatis causa, audiri in ecclesiis et quidem in sedibus ad id constitutis. De confessionibus feminarum praecipitur, ne audiantur alibi, quam in templis aut publicis oratoriis, numquam vero in sacrariis, numquam in earum vel aliorum domibus, nisi infirmitatis casu. Porro in ecclesiis et oratoriis audiantur in sede confessionali, quae qualibus cratibus munitae esse debeant, discendum ex Rit. Romano. Hae vere sedes non in ecclesiarum abditis, sed in patentibus et conspicuis earum locis sint positae [2]. Vetitum et mane ante illucescentem diem et vespere post signum salutationis angelicae, dempta infirmitatis causa feminas audire confitentes. Cum vero infirmitatis causa

[1] S. Congr. Supr. Inqu. 28 febr. 1633.

[2] S. Congr. EE. et RR. in Patav. 21 iunii 1620. Cfr. Collect. n. 962.

postulante, feminis sacramentum administratur in earum domibus, fiat id aperta cubiculi ianua et Sacerdote sic constituto, ut quamvis minime audiri, videri tamen possit [1].

725. Pro missionibus regularium, eadem S. Congr. die 26 iunii 1780 [2] Instructionem emanavit, qua praescribitur « hospitia et stationes, seu domos quaslibet cuiuscumque Ordinis, Congregationis, aut Instituti Regularis in locis missionum ubicumque existentes, in quibus duo vel tres Missionarii latini ritus commorantur seu commorari contigerit, clausurae legibus subiici, ita ut nemini Regulari cuicumque omnino liceat, ullam feminam intra privata eorumdem hospitiorum seu stationum cubicula, mansiones, recessus sub quovis titulo, specie aut praetextu introducere multoque minus sanctissimum poenitentiae sacramentum ibidem ipsis administrare, nec mulieribus sub quarumcumque licentiarum obtentu, praedicta hospitiorum privata cubicula, mansiones, recessus ingredi, sub poenis a sacris canonibus ac supramemoratis Pontificum constitutionibus inflictis adversus clausurae violatores. Ut autem ad eorumdem hospitiorum interna oratoria, ecclesias ac loca, ubi sacra peraguntur, mulieribus quoque pateat accessus, ut sacrosancto missae sacrificio aliisque ecclesiasticis functionibus intersint, atque sacramentum poenitentiae suscipiant, eadem S. Congr. declarat ac decernit admitti posse mulieres in internis ecclesiis, cappellis aut oratoriis publicis hospitiorum praedictorum, ad quae tamen recto tramite accedant, nec in cubicula aut privatas mansiones deflectant et per eamdem per quam accesserunt viam revertantur. Iubet praeterea et praecipit S. Congr. ut mulierum confessiones palam in ecclesiis, Cappellis aut publicis oratoriis ubi adsunt, ubi vero desiderantur, in alio loco patenti ac pervio et ianuae hospitii quantum fieri potest viciniore a respectivis Ordinariis, et his deficientibus, a localibus

[1] S. Congr. Supr. Inqu. die 5 nov. 1601. — 11 april. 1619. — 23 ian. et 12 febr. 1620. — 30 nov. 1625. S. Congr. Fid. Prop. 12 iunii 1764. Ad haec S. Congr. Fid. Prop. die 17 aug. 1839 iussit eas nonnisi tectas velamine audiendas esse.

[2] Cfr. Collect. n. 960.

Missionum Superioribus designando, interposita crate ferrea vel alio repagulo inter os Confessarii ac mulieris poenitentis, audiantur. Qui secus fecerint ac saluberrimis hisce ordinationibus contraiverint, poenas contra clausurae violatores ac sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum praefatarum contemptores incurrant ».

§ 3. — *De Satisfactione.*

726. Tertia poenitentiae pars est satisfactio, seu executio operis a Confessario in poenitentiam peccatorum virtute clavium poenitenti iniuncta. Porro cum satisfactio pertineat ad integritatem Sacramenti, debet a Confessario imponi et a poenitente adimpleri, nisi necessitas impediat.

727. Hac in re meminisse debet Confessarius duplicem sustinere personam, nimirum iudicis et medici, et nec iudicium sine misericordia sibi esse faciendum, nec misericordiam sine iudicio. Ut autem iudicium sine misericordia faceret qui pro levioribus peccatis gravissimas poenas imponeret, ita iudicis muneri deesset, qui pro gravissimis culpis poenas iniungeret leviores. Habenda insuper ei est ratio virium, sexus, aetatis sui poenitentis.

728. Satisfactio exigenda non est ante absolutionem, eaque nec propria auctoritate a poenitente immutari, neque per substitutam personam expleri poterit. Ceterum addendum heic est, poenis etiam divinitus immissis vel sponte susceptis, satisfacere nos posse, at sacramentalis poenitentia ad gratiam concurrit et non modo ex natura operis vim habet expiativam, sed etiam virtute clavium, quam quidem sacramentalem vim, prout S. Thomas explicat [1] praeter opera iniuncta, participare quadamtenus possunt alia etiam bona poenitentis opera, quae generali formula ad remissionem peccatorum a Sacerdote quodammodo universaliter sunt adscita.

[1] *Quodlib.* 3, quaest. 13, art. 28.

§ 4. — *De Absolutione.*

729. Absolutio, quae est pars essentialis huius sacramenti et dicitur forma in qua praecipue huius sacramenti vis sita est, est prolatio sententiae facta a Sacerdote potente et volente absolvere a peccatis. Absolutio non potest dari absentibus per epistolam vel per internuncium, nec dari potest nutibus aliisque signis, sed verbis a Sacerdote prolatis. Verba autem debent esse haec: « Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, etc. ». Omnia haec verba necessario proferri debent necessitate praecepti, non vero necessitate sacramenti, ad huius enim valorem sufficerent verba « Absolvo te ». Quamvis vero sacramentalis efficientia optime per indicativam absolutionis formulam significetur, quam nunc adhibere iubemur, potest tamen per se satis exprimi formula etiam deprecativa, qua instrumentalis et ministerialis causae dependentia a causa principe directe significatur, ut ex liturgicis antiquitatis monumentis colligitur.

730. Porro illud in primis Confessarii habere debent animo fixum, potestatem Sacerdotibus datam in eos, qui ad poenitentiae tribunal accedunt, discreto iustoque iudicio tum in remittendis peccatis, tum in retinendis esse exercendam. Etenim *Confessor* (inquit Suarez disp. 32, sect. 2) *tenetur iustitiam et religionem in eius administratione servare; quia et iudicium et actionem sacram exercet. Cui muneri ut satisfaciat, unum ex praecipuis est, ut dispositionem conscientiae poenitentis sufficienter agnoscat. Est enim praecipuum huius materiae fundamentum, non posse Confessorem licite poenitentem absolvere, nisi ille sit bene dispositus ad absolutionem suscipiendam. Primo, quia non potest ipse absolvere, nisi quem Christus etiam absolvit, gerit enim vices Christi, et quae ipse solvit in terris, debent soluta manere et in caelis, alias clavis errabit, et minister illa abutetur, et peccabit. Secundo, quia tenentur ministri Sacramentorum non dare illa indignis. Tertio, quia est iudex, et tenetur iustum iudicium facere. Ex quo fit, priusquam absolvat necesse esse, ut prudenter iudicet, poenitentem esse dispositum: quia alias se exponeret periculo errandi; et sine sufficienti*

cognitione operaretur. Hinc in Instruct. S. Congr. Fid. Prop. ad Sacerdotes Tonkinenses an. 1736 [1] data, haec prae oculis Missionariis habenda proponuntur « Absolutio dari prorsus debet poenitenti rite disposito. Et quamvis multi dentur casus, in quibus denegatio et dilatio absolutionis medicamen sit opportunum et subinde necessarium, atque adeo Sedes Apostolica adversus mollem et praeposteram nonnullorum casuistarum in concedenda absolutione facilitatem insurrexit, tamen exceptis casibus in quibus fideles utpote non dispositi absolvi non possunt, promiscua et passim adhibita cuiusque peccati retentio, causa concipiendi maiorem adversus crimina horrorem et adquirendi meliorem dispositionem ad beneficium absolutionis obtinendum, non est profecto medicina, nec castigatio congrua umquam invitis poenitentibus adhibita ab Ecclesia, sed a solis rigidis et imprudentibus confessariis contra omne fas usurpata et a tribus Romanis Pontificibus proscripta ».

731. Negari vero absolutio debet iis omnibus, qui debita dispositione carent, quales sunt *qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant.* Rit. Quid vero de his qui in occasione peccandi versantur? Occasionum peccandi duplex genus distinguitur, alia est enim occasio *proxima,* altera *remota.* Proxima est illa in qua quis positus saepe cadit, quod intelligendum est non *absolute* sed *respective,* ita ut verbum *saepe* mensuretur a vicibus, quibus positus est in occasione. Hinc qui singulis diebus positus est in occasione et cadit ter in mense, non dicitur saepe cadere, attentis siquidem triginta vicibus, quibus in occasione versatur, ter cadere, non est *saepe* cadere, e contra qui semel in hebdomada positus est in occasione et cadit ter in mense, dicitur saepe cadere, quia attentis quinque vicibus quibus positus est in occasione, *ter cadere* est saepe cadere. Ex

[1] Collect. n. 971.

his facile intelligitur, quae occasio remota dicatur, et occasionem quae respectu unius proxima est, respectu alterius remotam esse aut fieri posse.

732. Porro cum quisque teneatur ex praecepto divino ac naturali, fugere etiam peccandi occasionem ne se exponat periculo, sequitur ut ipsa persistentia in occasione, etiamsi quis in ea non cadat, generatim sit peccatum. Nihilominus concurrere ea possunt aliquando adiuncta, quae obligationem fugiendi occasionem seu periculum peccati tollunt. Circa quam materiam haec tradi solet regula: Si occasio est proxima et voluntaria, (nam necessariam, scilicet eam quam quis vel omnino vitare non potest, vel non sine gravi damno aut incommodo, per se non tenetur nisi remotam reddere) permanere in ea est semper peccatum. Si vero occasio est remota, permanere in ea est peccatum quoties fit sine iusta causa [1].

733. His positis, dicimus, prima vice absolutio regulariter danda est tum habituatis, tum his qui in occasione utcumque necessaria versantur, dummodo serio promittant hanc ex proxima remotam reddere. Subinde vero his qui versantur in occasione voluntaria dari convenit, si ea *non est in esse,* si est in *esse,* quidam putant adhuc dari posse, quidam contra sentiunt, nisi prius illam dimiserint, qua quidem in re Confessoris erit ex variis personae, loci, temporis, causae adiunctis iudicare, quid caritas et prudentia magis expediens suadeat [2].

ARTICULUS II.

De Ministro Poenitentiae.

734. Subiectum immediatum iudicialis Ecclesiae potestatis remittendi retinendique peccata, adeoque Minister sacramenti poenitentiae, solus est Sacerdos rite ordinatus. Nemo autem Sacerdos sive saecularis, sive regularis quem Ordinarius non approbaverit,

[1] Ita colligitur ex doctrina S. TH. 2ª, 2ae, q. 10, art. 9 in fine. Cfr. CASTROP. *de pecc.* tract. 2, disp. 2, p. 9, § 3. IOAN. DE CARDENAS Tract. 1. *de probab.* disp. 18.

[2] Cfr. D'ANNIBALE *De Sac. Poenit.*

potest quorumque confessiones audire et irrita prorsus esset eiusdem absolutio, idque intelligendum est de canonicis etiam cathedralis ecclesiae [1].

735. Est autem approbatio, Ordinarii de alicuius Sacerdotis ad audiendas confessiones idoneitate iudicium. Qua ex definitione patet, approbationem esse quid distinctum a iurisdictione, siquidem approbare est declarare aliquem dignum cui a legitimo Superiore possint reipsa et in actu secundo committi subditi, in quos clavium potestatem exerceat, iurisdictionem vero conferre, est ipsi subditos assignare.

Approbatio duplex est, *expressa* scilicet et *tacita*. Approbatio si Episcopo videbitur necessarium, facienda est examine praemisso, eique integrum est ius vocandi ad novum examen Sacerdotes illos, quos ipse approbavit. Imo poterit etiam Parochos ad examen revocare, si prudens suspicio de eorum imperitia suboriatur ex noviter deductis etiam extraiudicialiter indiciis. Quod si haec imperitiae indicia non supervenerint, non poterint Parochi ab eodem Episcopo a quo approbati fuerunt, iterum vocari ad examen, at poterunt a successore [2]. Porro qui approbatus est ab uno Episcopo pro sua dioecesi, non est censendus approbatus pro aliis dioecesibus, sed in singulis nova approbatione indiget. Attamen Sacerdotes iter transmarinum suscepturi, possunt ab Ordinario loci unde naves solvunt, donari facultate ad excipiendas fidelium secum navigantium confessiones tempore navigationis, usque dum perveniant ad locum, ubi alius Superior ecclesiasticus iurisdictione pollens constitutus sit [3].

736. Quoad regulares tenendum est, eorum Praesules ordinaria, ceteros delegata iurisdictione pollere quoad eos qui regularium iure censentur. Quoad vero confessionem saecularium, Regulares iurisdictionem accipiunt a Romano Pontifice, sed egent Ordinarii loci approbatione ad confessiones excipiendas [4]. Ex hac vero approba-

[1] S. Congr. Conc. 1 apr. 1796.

[2] ROTA Decis. 257, 258, p. 2. Recent.

[3] S. U. Inqu. 17 Martii 1869 ad Ep. Nannet.

[4] Ex Decr. Urbani VIII an. 1628 et Innocentii X an. 1648.

tione determinatur eorum potestas quoad locum, quoad genus personarum, quoad tempus [1], quoad casus [2].

737. Utrum vero ei, cui semel data fuerit sine ulla temporis limitatione approbatio, auferri possit, adhuc lis sub iudice est, ideo ad tempus omnibus dari solet [3]. At Episcopus nequit, inconsulta Apostolica Sede, omnibus simul unius conventus Confessariis eam adimere [4]. Attamen ab Episcopo successore pro maiori conscientiae suae quiete, poterunt denuo examinari, et si minus idonei reperti fuerint, reprobari [5]. Hoc vero non poterit Vicarius Capitularis [6].

738. Ad validum exercitium iudicialis potestatis remittendi retinendique peccata, praeter approbationem, requiritur in Sacerdote potestas iurisdictionis, quae vel ordinaria vel delegata est. Cf. quae diximus in Cap. III de Episc. Porro hanc iurisdictionem Ecclesia aliquando supplet cum scilicet 1) error communis habetur, 2) cum subest opinio probabilis in dubio iuris. Tandem prorogari potest [7].

739. Ut quis hanc iurisdictionem exerceat valide, requiritur ut error substantialis ac metus non intercedat. Ceterum si falso quis putavit sibi iurisdictionem deesse et tamen eam exercuit, valet absolutio [8].

740. Insuper ad confessiones audiendas non sufficit iurisdictio praesumpta, nec sufficit quod sit petita, sed non obtenta. Non sufficit pariter iurisdictio existimata, nisi credatur communi errore et huic errori occasionem dederit titulus coloratus, quo casu Ecclesia eam supplet.

741. Notandum heic est, in praxi iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam, approbationem et iurisdictionem simul eodem actu Prae-

[1] Const. *Apostolici Ministerii* Inn. XIII confirmata a Bened. XIII.

[2] Ex Alex. VII 12. Gregorio XIII Const. *Cum in Sacra*.

[3] Bened. XIV, Notif. 86, *De Synodo dioec.* l. IX, 16.

[4] S. Congr. Epp. et Reg. 20 nov. 1615.

[5] S. Pius V, Const. *Romani Pontificis* 1571.

[6] S. Congr. Epp. et RR. 19 iunii 1806. Cf. D'Annibale p. 145, part. III, not.

[7] Cf. D'Annibale l. c.

[8] De Lugo *de Poenit.* 19 18. Cf. D'Annibale p. 56, part. I, not.

lati sacerdotibus, exceptis regularibus exemptis, conferri. Hinc usu communi iurisdictio etiam approbatio dicitur.

ARTICULUS III.

De Sigillo.

742. Nemo ignorat nullo unquam casu aut periculo fas esse, violare sacramentale sigillum, quae quidem obligatio mortuo etiam poenitente perdurat. Huius custodiendi lex non modo importat ut Confessarius abstineat a loquendo de rebus ex valida confessione sibi cognitis, sed etiam ex invalida, sacrilega vel incoepta, modo facta sit animo se accusandi in foro conscientiae. Si enim fieret ex alia causa ex. gr. ioco, aut solo animo Confessarium decipiendi, tentandi etc. sigilli obligatio evanesceret. Hinc proposito dubio « an Sacerdotes teneantur sigillo in casu quo facinorosi aliqui fingunt se confiteri, sed realiter illis dicunt velle quantitatem pecuniae, alias eos occident: Sanctissimus die 31 iulii 1659 in Congr. S. O. mandavit rescribi, quod oretenus confessariis significet (Vic. Apost.) in hoc casu non militare sigillum confessionis adeoque eos posse praemissis solitis protestationibus et servatis consuetis cautelis necessariis ad evitandum incursum in irregularitatem, revelare Superioribus facinus hoc quod latrones audent perpetrare ».

743. Porro obligatione sigilli obstringuntur praeter confessarium: 1) interpres; 2) Superior ad quem delatus sit casus reservatus; 3) iuxta communiorem doctrinam, Doctor de poenitentis licentia consultus a confessario; 4) qui causaliter vel malitiose alienam confessionem audivit; 5) ille cui Sacerdos confessionem alterius revelavit.

744. Duplici vero modo violatur sigillum: *formaliter* et *directe* revelando peccatum aliquod in confessione auditum, si poenitens indicatur aut innotescere potest; 2) *indirecte* aliquid dicendo, faciendo, vel omittendo ex quo deveniri possit in probabilem alicuius poenitentis suspicionem. Ad hanc vero violationem requiritur ut aliquo modo indicetur persona, quae peccatum revelatum commi-

sit, aut ea dicantur ex quibus ea possit innotescere. Neque uti licet notitia habita in confessione ad exteriorem gubernationem alicuius conventus vel monasterii, si exinde metuenda sit aut revelatio alicuius peccati, aut gravamen poenitentis [1].

ARTICULUS IV.

De casibus reservatis.

745. Iurisdictionis potestatem iure suo limitibus coercere possunt Pontifices Maximi in Ecclesia universali et in sua quisque dioecesi Episcopi per casuum reservationem, qua invalida prorsus redditur absolutio extra mortis articulum.

746. Reservari autem possunt vel peccata vel censurae; in illis Ordinarius iurisdictionem non dat, in his datam adimit ad hoc ut reservata superioris iudicio subiiciantur. Hinc sive poenitens ea inculpabiliter omiserit, sive Confessarius ea imprudens absolverit, absolutio nullius momenti est, nec proderit utriusque bona fides, quia reservatio recidit in legem irritantem [2].

747. Porro peccatum prout innuimus, reservari potest vel sine censura vel cum censura: reservata peccata sine censura Romano Pontifici duo sunt, absolutio a calumniosa sollicitationis accusatione [3], et receptio munerum a Regularibus utriusque sexus, quorum valor sit ultra 10 scutata romana.

748. Reservationes factae a Romano Pontifice sunt perpetuae, Ordinarii, nisi statutae sint in synodo dioecesana, cessant resoluto iure reservantis [4].

749. Ut usus talis iuris reservandi sit licitus, requiritur ut adsit ratio quae usum ipsum honestum reddat. Non una autem ratio praesto est, omnes hac una complexi sunt Patres Tridentini nimi-

[1] Clemens VIII, Decret. edit. 1594.

[2] Cf. D'Annibale part. III, 144.

[3] Bened. XIV, Const. *Sacramentum Poenitentiae.*

[4] Cf. D'Annibale.

rum *christiani populi disciplina.* Sane ratio est ut deterreantur magis homines a quibusdam peccatis, cum eorum videant difficiliorem esse absolutionem eamque a maiore Praelato petendam esse; ratio est etiam ut efficacior correptio certis peccatoribus adhibeatur, quam Praelatus Superior vel solus aliquando vel facilius quam caeteri, praestare potest, utque scandala et animarum pericula citius et securius amoveantur. In praxi quamvis non possit quoad usum prudentem reservationis certa norma ubique custodienda praescribi, attamen instar regulae esse possunt quaedam generalia monita et decreta, quae a Sacris Urbis Congregationibus hac in re prodierunt. Hinc cum minor fructus sperari possit a missionariorum ministerio, si in tam dissitis regionibus, in tam exiguo ministrorum numero tantisque temporum angustiis, nova casuum reservatione arctioribus eorum iurisdictio circumscribatur limitibus, ideo Ecclesiae bonum postulat, ne plures nunc casus reserventur, quam canonica lex praescribit et vetus postulat consuetudo [1]. Nec difficiles praebere se debent Ordinarii in concedenda praesertim Sacerdotibus a sede episcopali remotis, facultate absolvendi.

750. Quoad absolutionem a reservatis notandum est in mortis articulo nullam esse reservationem, atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet poenitentes, a quibusvis censuris atque peccatis absolvere possunt [2]. Qui tamen a censuris Romano Pontifici speciali modo reservatis absolvit poenitentem; cum moneat teneri si convaluerit, se sistere eidem R. P. eidemque plane parere, recidet enim in censuras easdem si praestare haec renuat [3]. Diximus qui a *censuris*

[1] S. Congr. Fid. Prop. Instr. 1817.

[2] Conc. Trid. Sess. XIV, cap. 7.

[3] Quaesitum est a S. Congregatione R. et U. Inqu. I. Utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens ad Episcopum aut quemlibet Sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum etiam speciali modo Papae reservatorum, quando poenitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem? II. Quatenus negative, utrum recurrendum sit saltem per litteras ad Emum S. Poenitentiariae Praefectum pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum, praeterquam in articulo mortis, ad obtinendam absolvendi facultatem? III. Sac. vero Poenitentiaria sequens 3m dubium proposuit, nempe, an

R. P. speciali modo reservatis, quia haec obligatio non afficit qui peccata reservata vel alias censuras habent [1].

751. Extra mortis articulum, tantum possunt directe a reservatis absolvere ipse reservans, reservantis superior et ab alterutro delegatus.

752. Monendi sunt confessarii quod qui casum reservatum in propria dioecesi habentes in alienam digrediuntur, in qua casus ipse non est reservatus, illuc absolvi possunt a Confessario approbato [2]. Non potest autem absolvi qui eo pergat in fraudem reservationis in sua dioecesi vigentis, seu ob principalem finem obtinendi absolutionem vitandique iudicium proprii pastoris, non vero si alio fine illuc diverteret ex. gr. fine confitendi.

753. His quae diximus aliqua sunt addenda, de delicto complicis et de peccato eius qui accepit donum a Regularibus utriusque sexus.

toleranda sit sententia eorum, qui docent, praeditos indulto, quo arctatur potestas absolvendi quibusdam adiectis conditionibus, posse nihili facere has restrictiones et uti iure communi? Iamvero feria IV die 23 iunii 1886, Eñi ac Rñi Patres Cardinales in rebus Fidei Generales Inquisitores, suprascriptis dubiis mature perpensis, respondendum censuerunt: Ad 1^{m} attenta praxi S. Poenitentiariae praesertim ab edita Constitutione Apostolica s. m. Pii IX quae incipit « Apostolicae Sedis » Negative. Ad 2^{m} affirmative; at in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo Confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem, iniunctis de iure iniungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium Confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem. Ad 3^{m} provisum in praecedentibus. Feria IV die 30 Iunii 1886. SSñus resolutionem Eñorum PP. adprobavit et confirmavit.

[1] Notandum heic est quod si quis bona fide confitetur, nesciens suum peccatum esse reservatum, vel confitetur apud Confessarium, qui nescit casum ipsum esse reservatum, bona fides excusat, sed relinquit onus sistendi se Superiori, ubi error inculpabilis cessaverit. Qui vero confessus est peccatum reservatum apud Confessarium habentem potestatem absolvendi a reservatis, etsi fecerit confessionem invalidam, tamen cognita peractae confessionis invaliditate, potest a Sacerdote absolvi non habente potestatem casus reservatos absolvendi, qui prior Confessarius sustulit reservationem.

[2] Clemens X, Const. *Superna*.

754. Porro de Confessario quoad poenitentem complicem in peccato turpi, sic est habendum, illi ne pro tempore quidem iubilaei facultatem hunc absolvendi suppetere, ac nullam omnino et irritam futuram absolutionem, si eam impertierit etiamsi absolverit inscius seu reservationis seu poenitentis quem non agnovit. Verum si is poenitens in mortis articulo sit constitutus, tum solum ab eo Confessario absolvi poterit, cum nullus omnino Sacerdos adsit, etiam minime alias approbatus, cui sine scandalo aut infamia confiteri possit. Ac si absque necessitate huiusmodi Confessarius eum poenitentem absolverit, in excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici reservatam speciali modo incidet. At valide absolvet.

755. Hanc censuram incurrit etiam qui simulat absolvisse. Liberum vero est absolvere personam complicem, quae a peccato complicitatis absoluta iam fuit per alium confessarium, at nisi cogat necessitas, suadendum ut complex ab hoc se abstineat [1].

756. Ad haec; casus iste id peculiare habet, quod in generali et amplissima concessione facultatum, quae fit a S. Sede pro variis locorum adiunctis personarumque officio, prout in locis missionum, absolvendi ab omnibus casibus S. Sedi reservatis etiam ob censuram speciali modo reservatam, expresse excipiatur absolutio complicis in peccato turpi [2].

757. Ad alterum quod attinet de donis a regularibus acceptis, sufficiat notasse, excipi dona remuneratoria et rerum medicinalium.

758. Postremo qui a Sacerdote hoc sacramento abutente fuerit sollicitatus ad turpia, etiamsi longum a sollicitatione tempus effluxerit, fueritque sollicitatus pro alia persona, non potest absolvi, nisi sollicitantem ad Ordinarium vel ad Apostolicam Sedem detulerit, aut si statim non possit, delaturum quam primum polliceatur [3].

759. Denuntiatio veri excipi etiam poterit a Vicario Apostolico. Etenim cum quaesitum fuerit a Sup. Univ. Inquisit. « An Vicarii

[1] S. O. 20 maii 1867.

[2] S. Un. Inqu. Fer. IV, 4 apr. 1871.

[3] Gregor. XV, Const. *Universi;* Bened. XIV, Const. *Sacramentum Poenitentiae.*

Apostolici absque speciali facultate possint accipere denuntiationes in materia sollicitationis ad turpia, et an, eiusmodi denuntiationibus acceptis, teneantur eas ad S. Officium deferre » Emi Patres Inquisitores Generales, in fer. IV 20 iunii anni 1883, respondendum censuerunt: « Supplicandum SSmo pro extensione ad omnes Vicarios Apostolicos Instructionis pro Vicario Apostolico Cocincinae diei 1 iunii 1775 [1], cum addito quod remittant ad S. Officium, per me-

[1] Instructio Sac. Congr. Fid. Prop. data Vicario Apostolico Cocincinae super dubiis a se propositis de mandato Pii Pp. VI, in Congr. S. O. iunii 1775. Collect. n. 949.

Primum Dubium. An Constitutio Benedicti XIV adversus sollicitantes obliget etiam Missionarios Franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina.

Secundum Dubium. An eadem Constitutio restringi possit, ac moderari in aliquo casu in eodem regno Cocincinae.

Constitutio novissima Benedicti XIV cuius initium est, *Sacramentum Poenitentiae,* aeque ac ceterae a pluribus Pontificibus editae adversus Sacerdotes ad turpia sollicitantes in actu sacramentalis confessionis, vel eius occasione et praetextu, et prout praescribitur in iisdem Constitutionibus,, afficit absolute et absque ulla limitatione omnes Confessarios etiam cuiuscumque Ordinis et Instituti, in quibuscumque orbis partibus huiusmodi facinora perpetrantes. Hinc est quod ad dubia per te proposita, Sanctitas Sua, re mature perpensa, ad *primum* affirmative, ad *secundum* negative respondit.

Verum cum non ubique datum sit in huiusmodi delicti prosequutione ea omnia deducere ad praxim quae ex iisdem apostolicis Constitutionibus et tribunalium institutis sancita sunt, hinc est quod Sanctitas Sua, pro eximia sapientia, mandavit tibi aliqua praescribatur methodus, iuxta quam in re huiusmodi procedere possis in quantum harum regionum circumstantiae tibi permittent, ad impediendum, saltem ex parte, ne tam immane facinus late serpat, neque altius radices agat in perniciem fidelium animarum tuae curae concreditarum, atque in maximum scandalum Infidelium et detrimentum Christianae Religionis et fidei.

In primis tibi pro regula tenendum est, quod omnia iura vetant ne ad criminum punitionem deveniatur, nisi prius per probationes a lege praescriptas constet de delicti perpetratione.

A lege statutum est ut probationes huiusmodi habeantur tantum vel ex rei confessione, vel attestatione duorum saltem testium probatae fidei, qui dictis vel factis, de quibus testimonium ferunt, una simul praesentes adfuisse nitide et absolute testentur.

dium S. C. de Propaganda Fide in epistola clausa, nomina sollicitantium ". Summus vero Pontifex Leo XIII, in Audientia eiusdem feriae ac diei, decretum Emorum Patrum approbavit et petitam concessit extensionem.

Privilegium tamen est in causis quae instituuntur de crimine sollicitationis, quod, ut plurimum, remotis arbitris secreto perpetratur, ut ad plenam probationem faciendam admittantur etiam attestationes singulares mulierum vel virorum de facto proprio denunciantium, dummodo tamen numerum trium personarum attingant. Huiusmodi denunciationes tibi tamquam Superiori iurisdictionem habenti secreto deferri debent, neque ab aliquo omitti possunt absque culpa lethali.

Sed cum, in summa difficultate itinerum in his regionibus, fere impossibile erit ut personae sollicitatae ad tuam audientiam accedant, ut rite deferant suas denunciationes, tunc tibi permissum erit delegare ad eas recipiendas, modo ut supra enuntiato, aliquem Sacerdotem probatae fidei, qui tamen non sit de ipsa sollicitatione vel suspectus vel denunciatus.

Acceptis per te, uno vel altero modo, denunciationibus, quae semper esse debent iuramento firmatae, earum pondus, qualitates et circumstantias serio et accurate perpendas necesse est, et praesertim ullam curam non praetermittes ut tibi perspectum et exploratum evadat, quod mulieres vel viri denunciantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel odio, vel inimicitia, vel alio humano affectu adducantur. Oportet enim ut testes huiusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus sint immunes, ut ipsis integra fides haberi possit.

Praemissis his, et audito reo eo modo quo commode fieri poterit, si, ex omnibus rite et accurate perpensis, tibi satis perspecta evadat admissi criminis veritas, tunc demum poteris devenire ad illi interdicendum in perpetuum ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quascumque facultates in id muneris eidem etiam per quodcumque privilegium, vel etiam ab ipsa S. Sede impertitas. Praeterea, declarare poteris eumdem reum obnoxium esse ceteris poenis spiritualibus] in Constitutionibus, et praesertim in Gregoriana sancitis; tibi quoque fas erit illum suspendere a sacrosancti Sacrificii celebratione.

Cum vero difficillimum sane erit, in his tam dissitis et disparatis regionibus, haec omnia adamussim servare, et cum, si aliqua ex his omittantur, iustitia non patiatur ut poenae infligantur adversus reos de quorum crimine tali pacto adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse ages, si in huiusmodi causis extra iudicii ordinem procedas, ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos tibi suggeret in casibus particularibus tua perspecta prudentia cum animarum zelo coniuncta, et cura quam debes habere praecipuam de conservanda pace et concordia inter Operarios apostolicos, praesertim diversi Instituti et nationis.

760. Non est autem denuntiatio differenda ultra mensem. Et negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare intra mensem, excommunicationem latae sententiae nemini reservatam incurrunt [1].

761. Poenitens vero denuntiandi obligationi obnoxius, si forte sollicitanti Confessario morem gesserit, non tenetur culpam suam aperire, iudicibusque gravissime est vetitum in denuntiantis culpam ullo modo inquirere, imo et in acta referre siquid ab hoc minus caute de se dictum fuerit. Poenitenti vero aperiat Confessarius si per calumniam sollicitationis, de qua agitur, Sacerdotem accuset, irretiturum seipsum teterrimo scelere ac tali, a quo nisi per Summum Pontificem extra mortis articulum, non possit absolvi.

ARTICULUS V.

De Confessione Monialium.

762. In generali facultate confessiones audiendi, numquam includitur facultas excipiendi monialium confessiones. Hinc ad has audiendas Sacerdotes etiam regulares quicumque sint, speciali indigent approbatione etiamsi ageretur de monialibus, quae regularium gubernio subsunt [2]. Neque vero si quispiam certum ad monasterium sit destinatus ut ibi ordinarii aut extraordinarii Confessarii munere fungatur, debet idcirco existimare approbatum se esse ad id munus in alio monasterio exercendum, nec approbatus pro una

[1] Const. *Apost. Sedis.* — Quoad sollicitationem notandum est 1) quod ea debet esse facta a Sacerdote tamquam a *Confessario,* hinc vel in *actu confessionis* sive *immediate ante* sive *immediate post,* vel extra confessionem *occasione* vel *praetextu* vel *simulatione* confessionis.

Notandum 2) est quod si casus occurrerit quo adhibitis omnis generis hortationibus et minis poenitentes nullo modo ad denunciandum induci queant, Confessarius opus caritatis faciet si suppresso eorum nomine, ad Sacr. Poenitentiariam casum deferat.

[2] Gregorius XV, Const. *Inscrutabili.*

vice, expleta deputatione, confessiones monialium poterit excipere ulterius [1].

763. Porro quod attinet ad Confessarios ordinarios, si agatur de monialibus alicui Superiori regulari obnoxiis, Praelatus ipse praesentare et proponere eos debet, Episcopo approbandos. Singulis vero trienniis ordinarii Confessarii mutari debent [2], et debent esse in aetate 40 annorum constituti. Facultas vero eumdem confessarium confirmandi ea conditione solet a S. Congr. concedi, ut si agatur de secundo triennio, consensus duarum saltem ex tribus partibus sororum capitulariter ac per secreta suffragia praestandus requiratur: si vero de ulterioribus trienniis, omnium piae domus sororum consensus, ut supra praestandus, necessarius sit [3].

764. Qua quidem in re die 22 apr. 1872, proposita fuerunt S. Congr. Epp. et RR. sequentia dubia: 1) quomodo intelligenda sit vox illa *capitulariter,* num scilicet de sororibus quae ordinarie capitulo intersunt et in eo iure suffragii gaudent habentes vocem sive passivam sive activam, vel de omnibus indiscriminatim sororibus etiam novitiis et conversis? 2) Quomodo intelligenda et applicanda vox illa sit *capitulariter* in domibus sororum in dioecesi aliqua existentium, quae quasi extra clausuram, caritatis operibus externis addicuntur, neque proinde stabiliter in eadem domo permanent, cum illae domus non sint sui iuris, sed sub regimine congregationis generalis detinentur? 3) In multis Parochiis praesertim ruralibus

[1] Gregor. XV, Const. cit.

[2] S. Congr. Conc. 2 sept. 1642.

[3] Loquendo etiam de feminarum Congregationibus quae verae moniales non sunt, seu de novis Institutis votorum simplicium cuiusmodi est Congregatio Sororum a Nazareth, S. Congr. Epp. et RR. animad. 3, in earumdem constitutiones die 27 Sept. 1861 edixit « Circa confessarium extraordinarium observandae sunt praescriptiones Sacri Concilii Trid. et Const. Bened. XIV quae incipit *Pastoralis curae* ideoque non semel tantum in anno praedictus Confessarius advocandus erit, sed saltem bis aut ter in anno et si opus erit etiam pluries ». Et revera posito confessario Ordinario et adempta Sororibus facultate advocandi alium confessarium quem libuerit, ad consulendum libertati et securitati conscientiarum provida ac sollicita mater Ecclesia, extraordinarium requirit.

adsunt duae vel tres et vix quatuor praedictarum Congregationum Sorores, puellarum educationi inservientes, quae non habent sacellum privatum, sed ecclesiam parochialem sicut ceteri frequentant, ibidem Missae et caeteris officiis assistentes, Sacramenta tum Poenitentiae, tum Eucharistiae recipientes, etc. quomodo in his applicanda vox illa, *capitulariter.* 4) Voces illae *omnium* piae *domus sororum consensus* debentne intelligi de unanimitate absoluta, vel tantum morali? – Iam vero eadem S. Congregatio respondit: « Ad 1 intelligendas esse eas tantum sorores, quae ordinarie capitulo intersunt. Ad 2 intelligendum esse de iis sororibus quae praefatas domos inhabitant tum cum triennium confessarii completur, et vocem habent in capitulo. Ad 3 sorores de quibus agitur posse peragere extra piam propriam domum sacramentalem confessionem penes quemcumque Confessarium ab Ordinario approbatum. Ad 4 affirmative ad primam partem, negative ad secundam ».

765. Episcopi aliique monasteriorum Praelati subiectis sibi Monialibus praeter ordinarium, extraordinarium Confessarium bis aut ter in anno exhibere tenentur iuxta Decretum Conc. Trid. sess. XXV *de Reg.* c. X. Hoc autem Decretum declaratum et ampliatum est a Benedicto XIV [1] decernente: 1) Confessarium extraordinarium teneri audire omnium monialium aliarumque in monasterio degentium confessiones, illas autem ad id non arctari, sed debere tantum coram illo se sistere, saltem ad salutaria monita, etiam extra confessionem excipienda; idque ad tollendas suspiciones et oblocutiones iuxta decretum Innocentii XI. Hanc vero extraordinarii deputationem vult Benedictus extendi ad omnes mulierum communitates, quae unum ordinarium ministrum poenitentiae habent. 2) Hunc regulariter deputandum esse ab eo, ad quem spectat ordinarii confessarii electio et deputatio. 3) Si Episcopus neglexerit extraordinarium deputare, deputandum esse a Cardinali maiori poenitentiario, si requisitus fuerit a Monialibus, ex approbatis tamen a locorum Ordinariis pro excipiendis monialium confessionibus. Si vero

[1] Const. *Pastoralis* 5 aug. 1748.

hanc deputationem neglexerit Praelatus Regularis, deputandum esse ab Ordinariis locorum. 4) Tam Episcopum quam Praelatum regularem teneri peculiarem Confessarium concedere moniali graviter aegrotanti, si illum petat, sicut et illi quae licet non infirma, obfirmate tamen recuset confessario ordinario confiteri. Iste autem peculiaris Confessarius assignandus a Praelato Regulari, semper debet esse ex approbatis ab Episcopo pro monialibus. Quod si ille cui monialis regularibus subiecta confiteri cupit, non sit ex approbatis, tunc Episcopus eumdem approbet tot vicibus, quot expedire iudicaverit. 5) Posse Episcopum iuxta decretum Congr. Conc. anno 1573 a Gregorio XIII approbatum, assignare semel vel pluries peculiarem Confessarium tam saecularem, quam regularem alterius ordinis eidem moniali regularibus subiectae, reluctanti confiteri ordinario Confessario. 6) Non esse interdictum pluries etiam quam tribus vicibus in anno, extraordinarium nedum omnibus, sed etiam singulis monialibus offerre, si non ex animi levitate, neque ex indiscreta affectionis singularitate illum petant, quod remittitur iudicio et discretioni Praelatorum. 7) Quoscumque Superiores regulares teneri bis aut ter in anno deputare hunc extraordinarium monialibus sibi subiectis, qui saltem semel in anno sit ex Clero saeculari, aut ex alio ordine regulari, tributa facultate Episcopis supplendi eorumdem defectum, appellatione remota. 8) Ordinarium Confessarium, durante extraordinario, accedere non posse ad confessionem excipiendam cuiuscumque intra monasterium aut piam domum degentis, etiam Superiorissae, novitiae, etc. sub poenis arbitrio Praelatorum, quorum regimini monasteria aut piae domus subiectae sunt. 9) Extraordinario, sive Communitati, sive alicui in monasterio degenti peculiari deputato, expleto suo munere, interdictum esse accessum ad idem monasterium sub poenis in accedentes ad Moniales, et cum ipsis conversantes statutis.

ARTICULUS VI.

De Indulgentiis.

766. Remissa culpa et poena aeterna per Sacramentum Poenitentiae rite susceptum, solvenda superest plerumque temporalis poena, quae relaxari etiam extra poenitentiae sacramentum potest Ecclesiae auctoritate. Voluit enim Deus extare satisfactionum thesaurum ab unigenito Dei Filio Ecclesiae militanti adquisitum, ad cuius thesauri cumulum Beatae Dei Genitricis omniumque sanctorum merita adminiculum praestant [1]. Porro thesaurum hunc per beatum Petrum eiusque successores Vicarios suos commisit fidelibus salubriter dispensandum. Hinc patet, Ecclesiam per indulgentias ita poenitentes a poena absolvere, ut simul Deo solvat debitam satisfactionem ex superabundantibus satisfactionibus Christi et sanctorum, atque adeo completa indulgentiae notio continetur tum absolutione vi clavium, tum pretii solutione Deo facta ab ipsa Ecclesia pro eo, qui a poena absolvitur.

767. Porro duplici ratione Pontifices Maximi potestate ipsis attributa utuntur, una quidem qua plena poenae temporalis post deletam culpam luendae condonatio seu remissio conceditur, altera vero qua conceditur tantum, quantum aequaret canonicas, si has fideles poenitentes obirent poenitentias annorum aut dierum certi definitique numeri. Hinc distinctio indulgentiae in plenariam et partialem. Aliae autem sunt indulgentiae pro vivis, aliae pro defunctis, aliterque illae atque hae conceduntur: in illis enim elargiendis iudiciaria ex potestate agitur; defunctis vero conceduntur modo tantum suffragii satisfactorii, scilicet non quidem iuridica absolutione, quemadmodum fit in subditos, sed tantum pretii solutione. Quae autem indulgentiae pro vivis concessae sunt velle defunctis applicare et vicissim, consilium foret inane. Eae vero ita pro vivis in-

[1] Clemens. VII in Extrav. com. l. 5, tit. 9, c. 2; Pius VI, Const. *Auctorem fidei;* Bened. XIV, Const. *Apostolica,* § 3.

terdum conceduntur, ut etiam in defunctorum beneficium impendi queant, quod ex apostolicis litteris est cognoscendum.

768. Indulgentia datur subiecto capaci, scilicet baptizato, non excommunicato, et subdito, ex cuius parte requiritur, ut iniuncta adimpleat opera, et saltem ultimum opus coniungatur cum statu gratiae. Non posse autem per preces iam obligatorias satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ad lucrandam Indulgentiam plenariam declaravit S. Congr. Ind. in Briocen. 29 maii 1841. Quando vero ad Indulgentias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato v. g. extirpatione haereseos, non requiritur intentio explicita expressa singulis vicibus, sed sufficit habitualis et interpretativa. Ceterum Indulgentiae pro aliqua festivitate concessae, nisi aliud expresse habeatur in indultis, incipiunt a media nocte et durant usque ad mediam noctem insequentem [1].

769. Quando Summus Pontifex Indulgentiam quamlibet concedit Urbi et Orbi, ut fideles talem Indulgentiam in variis dioecesibus lucrari possint, non requiritur ut haec indulgentia ab Ordinariis locorum promulgetur, sed sufficit ut fideles certi sint praedictam Indulgentiam a Summo Pontifice fuisse concessam [2].

770. Quoad vero Indulgentias locales, quae cuidam loco e. g. ecclesiae, altari, affiguntur, expectanda erit publicatio Ordinarii, et eius recognitio, ut fideles sciant an sint Indulgentiae plenariae vel partiales, et quae sint conditiones assignatae ad illas acquirendas [3]. Relate ad conditiones ad lucrandas Indulgentias requisitae, notandum est, harum concessionum initium a die petendum esse quo concessionis litterae datae fuerunt, non ab eo quo publice Indulgentia proponitur. Indulgentia vero alicui festo alligata, potest adquiri alio die, ad quem solemnitas et exterior celebratio festi transferatur, non vero si tantum Officium cum Missa transfertur [4].

[1] S. C. Indulg. in *Geneven.* 12 ian. 1878. Collect. n. 1026.

[2] S. C. Indulg. 1 iul. 1839. Collect. n. 1017.

[3] S. C. Indulg. in *Rhotomagen.* 31 aug. 1844.

[4] S. C. Indulg. 9 aug. 1852. Collect. n. 1020.

771. Quoad clausulas, quae in Indulgentiarum rescriptis inveniuntur, sufficiat notasse quod verba « qui vere poenitentes, confessi et Sacra Communione refecti ecclesiam visitaverint » quae in Indulgentiarum litteris inseri solent, exigunt ut confessio omnino peragatur etiam ab iis, qui nullius sibi lethalis culpae conscii sint. Potest vero confessio dumtaxat, aut confessio et communio, peragi die qui immediate praecedit sequentem pro qua concessa fuit indulgentia, quacumque de causa [1]. Apostolicis Indulgentiarum litteris solet haec clausula apponi: « Volumus autem ut si alias christifidelibus dictam ecclesiam quolibet anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes litterae nullae sint ». Haec clausula neque ad privilegium altaris pro defunctis refertur, neque ad indulgentias concessas certis personarum coetibus, aut peragentibus certa ac definita pia opera in ecclesia vel altari, de quibus apostolicae litterae; cum his enim omnibus consistit vis novae concessionis, quemadmodum ea consistit cum indulgentiis stationum Urbis et septem altarium instar septem altarium Basilicae Vaticanae concessis et cum indulgentiis quae pro unica vice conceduntur.

772. Ceterum eodem die lucrari possunt plures indulgentiae plenariae quando pro unaquaque praescripta est perceptio divinae Eucharistiae, servatis tamen respective aliis appositis conditionibus [2]. Insuper declaratum est confessionem praeterquam pro indulgentia in forma iubilaei, necessariam iis non esse qui frequenti peccatorum confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad sacramentum poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt et nullius lethalis culpae a se post peractam ultimam confessionem commissae sibi conscii sunt [3]. Ad haec, cum quaesitum fuisset 1) utrum confessio praescripta *per singulas hebdomadas* peragi debet infra septem vel potius infra octo dies, 2) an

[1] S. C. Indulg. 6 oct. 1870.

[2] S. C. Indulg. in *Briocen.* 29 maii 1841. Collect. n. 1037.

[3] S. C. Indulg. 9 dec. 1763. Collect. 1031.

verba *infra duas hebdomadas* (quod concedi solet pro locis, ubi difficilis est confessio hebdomadalis) stricte interpretanda sint ita ut confessio peragi debeat infra quatuordecim dies vel potius sufficiat bina confessio in mense, S. Congr. Indulg. die 23 nov. 1878 respondit: Ad 1m affirmative ad 1m partem, idest praescriptam confessionem peragi debere quolibet decurrente septem dierum spatio; negative ad 2m partem. Ad 2m affirmative ad 1m partem, idest praescriptam confessionem peragi debere quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio; negative ad 2m partem. In iis locis vero, in quibus ob inopiam confessariorum nequeant fideles frequenter confiteri, confessio peracta infra hebdomadam ante festivitatem suffragari potest ad lucrandam indulgentiam, dummodo nullius lethalis culpae fideles conscii sint [1]. Verba denique *infra hebdomadam* significant octo dies tantum quae festivitatem immediate praecedunt, non vero hebdomadam illam totam, et integram quae ante festum decurrit [2].

773. Christifideles, qui ob physicum permanens aliquod impedimentum domo egredi non possunt, etiam in communitate et sub regula viventes, acquirere possunt omnes et singulas indulgentias plenarias iam concessas, vel in posterum concedendas et quas alias acquirere possent in locis in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit sacra communio et visitatio alicuius ecclesiae, vel publici Oratorii in locis iisdem, dummodo vere poenitentes confessi, ac ceteris omnibus absolutis conditionibus, si quae iniunctae fuerint, loco sacrae Communionis et visitationis, alia pia opera a respectivo Confessario iniungenda fideliter adimpleant [3]. Ad supplendam impotentiam preces recitandi iniunctas pro indulgentiis, qua destinentur Surdo-Muti, latum est decretum a S. C. Ind. die 15 mart. 1852 [4] cuius vi statuitur: 1) Quod si inter opera pro lucranda Indulgentia praescripta, sit visitatio ali-

[1] S. Congr. Indulg. 12 iun. 1822. Collect. n. 1035.

[2] S. Congr. Indulg. in *Mechlinien.* die 15 dec. 1841. Collect. n. 1038.

[3] S. Congr. Indulg. 18 sept. 1862 et 16 ian. 1855. Collect. n. 1044.

[4] Collect. n. 1042.

cuius Ecclesiae, Surdo-Muti Ecclesiam ipsam devote visitare teneantur, licet tantum mentem in Deum elevent, et pios affectus. 2) Quod si inter opera sint publicae preces, Surdo-Muti possint lucrari Indulgentias iis adnexas corpore quidem coniuncti ceteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata et piis cordis affectibus. 3) Quod si agatur tantum de privatis orationibus, proprii Mutorum et Surdorum Confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera, aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire iudicaverint.

774. Insuper per S. Congr. Indulg. in decreto 16 ian. 1886 Leo Pp. XIII dignatus est concedere, servatis de iure servandis, indulgentiam plenariam sacerdoti primum sacrum facienti eiusque consanguineis ad tertium usque gradum inclusive, qui primo eidem sacro interfuerint; ceteris vero christifidelibus adstantibus, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum.

775. Aliquid nunc innuendum est de indulgentia *Viae Crucis.* Iam in erigendis stationibus, requiritur tam Sacerdotis erigentis deputatio, ac Superioris localis consensus, quam respectivi Ordinarii vel Antistitis et Parochi, nec non Superiorum Ecclesiae, Monasterii, Hospitalis, et loci pii, ubi eiusmodi erectio fieri contigerit deputatio. Consensus vero et licentia in scriptis pro singulis casibus et cum specifica designatione loci et non aliter expediri et quandocumque opus fuerit, exhiberi debent sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae [1]. Indulgentiae non cessant, et proinde opus non est nova erectione, si stationes et Cruces renoventur et mutentur, salva substantia, vel si innovetur substantia dummodo sint denuo benedictae [2]. Neque cessant si cruces amoveantur. Quod si cruces primitus benedictae omnino pereant vel tollantur iterum nova erectio et benedictio requiritur ad adquirendas indulgentias, si vero pereant vel tollantur ex minori parte, licet alias illis substituere absque nova erectione et benedictione [3].

[1] S. C. Indulg. 3 aug. 1748 et 21 iun. 1879.

[2] S. C. Indulg. in *Camerinen.* 16 dec. 1760.

[3] S. C. Indulg. in *Aginnen.* 20 sept. 1839.

776. In privato sacrae Viae Crucis exercitio ad lucrandas indulgentias semper requiritur transitus ab una statione ad aliam. Idem dicendum de exercitio publico, casu quo ex praedicto transitu excitanda non timetur perturbatio; si autem haec timetur, sufficit ut, unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat. In hoc casu tamen suadendum videtur, ut populus vertat se ad singulas stationes necnon ad easdem genuflectat ac erigat se cum sacerdote.

777. Antequam huic brevi tractatui finem imponamus, nonnulla adnotanda sunt circa Indulgentiam plenariam in mortis articulo. Iam vero Summus Pontifex Clemens XIV omnibus et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis Apostolicis, nec non Praefectis seu Superioribus Missionum tam Cleri saecularis, quam regularis in locis Missionum, concessit facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus praedictis ad extremum agonem redactis, cum ea etiam extensione, ut facultatem huiusmodi, Sacerdotibus, et respective Missionariis eorum iurisdictioni subiectis, pro locis tamen suarum dioecesium vel pro Missionum districtibus tantum, communicare possint. In hac benedictione impertienda servanda est formula praescripta a Bened. XIV [1]. Cum autem facile contingat, ut aliqui ex praedictis christifidelibus ex hac vita decedant, quin Ecclesiae sacramentis fuerint muniti, et absque sacerdotis cuiuslibet assistentia, etiam illis plenariam indulgentiam concessit, si saltem contriti nomen Iesu ore cum possint, sin minus corde, invocaverint, et mortem tamquam stipendium peccati de manu Domini ea qua decet christiana animi demissione et humilitate susceperint, animamque in manus Creatoris sui commendaverint.

778. Porro cum Vic. Ap. Sutchuensis petiisset, quidnam censeri deberet mortis articulus, Congr. S. O. mense ian. 1780 declaravit, eam temporis circumstantiam satis esse ut ea rite impertiatur, quae sufficit extremae ipsi unctioni conferendae; cum nempe infirmus

[1] In Const. data die 9 apr. 1747 quae incipit: *Pia Mater Ecclesia.*

vi morbi cernitur ad interitum vergere. Neque proximus agoni tempus expectandum esse, quo aegrotus vix sui compos ad eos plane animi motus edendos impar est, quos Rituale Romanum efflagitat, ut tanti beneficii, sicut extremae unctionis fructus uberius percipiatur. Quae quidem confirmata sunt a S. C. Indulg. die 18 dec. 1885, proposito enim dubio « utrum Benedictio Apostolica cum indulgentia plenaria in mortis articulo dari possit post collata extrema sacramenta, cum periculum quidem mortis adest, non tamen imminens » S. Congr. respondit: Affirmative et hanc responsionem ex rei natura pro omnibus aegrotis Christifidelibus in mortis periculo constitutis valere.

779. Quamobrem e Missionariorum debito erit post adhibitam infirmo sacramentalem unctionem, eumdem excitare ad ea animo concipienda, quae in eodem rituali libro leguntur; mox vero tam insigni beneficio plenariae remissionis eumdem communire, idque tum potissimum praestare, cum se haud reversurus praevideat.

780. Porro haec benedictio impertienda est etiam pueris, qui defectu aetatis primam communionem nondum receperunt. Non potest autem pluries impertiri, eadem permanente infirmitate, etsi diurna. Secus vero dicendum, si infirmus convaluerit, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum incidat. Potest autem concedi etiam damnatis ad mortem.

CAPUT V.

DE EXTREMA UNCTIONE.

781. Extrema Unctio est Sacramentum a Christo Domino institutum ad conferendam aegrotis vita periclitantibus gratiam ad resistendum tentationibus, ad patienter dolores ferendos, peccati reliquias abstergendas atque ad valetudinem corporis, quatenus non sit animae nocitura, consequendam.

782. Materia remota huius Sacramenti est oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Hinc Paulus V in Congr. Generali Univ. Inqu.

coram se habita die 13 ian. 1655 declaravit, temerariam et errori proximam propositionem quod Sacramentum extremae Unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit. Ac dubio proposito an in casu necessitatis Parochus ad validitatem Sacramenti extremae Unctionis uti possit oleo a se benedicto, die 14 sept. 1842 eadem S. Un. Inqu. respondit *negative* ad formam decreti 13 ian. 1655, quae resolutio probata est a Greg. XVI [1].

783. Materia proxima est unctio in forma crucis quinque sensuum, scilicet oculorum, aurium, narium, oris, manuum vel, siquis aliquo horum careat, partis ei proximae. Ad haec, nisi aliud usus ferat, ungendi sunt pedes et renes, sed renes virorum tantum. Sacerdotes vero ungendi in parte manuum exteriore.

784. Quoad unctionem renum, S. Rit. Congr. die 14 augusti 1858 rescripsit Archiepiscopo Ultraiectensi, in cuius archidioecesi inusitata ea erat, ut curaret paulatim et sensim sine sensu disponere fideles ad istam quoque specialem unctionem recipiendam.

Absque necessitatis causa non licet uti stylo seu virgula argentea in peragenda extrema unctione [2].

785. Huius Sacramenti forma sunt verba: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, auditum etc. deliquisti, amen* in singulis repetita ; si tamen necessitas urgeat, satis est sub unica forma omnes

[1] Quamquam oleum huiusmodi ab Episcopo debeat esse benedictum, tamen nec irritum dicendum est Sacramentum a graecis presbyteris cum oleo ab ipsis benedicto collatum, neque ea de causa reprehendi debent: tum quia de Episcopi licentia, et conniventia, et tolerantia Sedis Apostolicae id fieri possit, ut celebriores theologi docent: tum quia consuetudo haec a mille amplius annis in graeca Ecclesia obtineat, ut ex eiusdem Ritualibus probant Arcudius, et Goarius, vigueritque etiam apud Armenos, ut ex epistola liquet Ioannis XXII ad Osimum eorumdem Regem: tum demum quia a Clemente VIII et Benedicto XIV Const. *Etsi Pastoralis*, pro Graecis, qui Episcopis latinis subsunt, decretum est: *Non sunt cogendi presbyteri graeci olea sancta praeter Chrisma ab Episcopis latinis dioecesanis accipere, cum huiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, et Sacramenti exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, et benedicantur.*

[2] S. Rit. Congr. 9 maii 1857. Collect. n. 1151.

unctiones perficere; imo si aegrotus morbo contagioso laboret aut animam agat, satis erit unica unctio.

786. Subiectum huius Sacramenti homo est, christianus, qui sit infirmus, ac etiam peccati capax; quamobrem pueri ante usum rationis, et qui nunquam rationis usum exercuerunt amentes, quod per visum, auditum etc. non potuerint peccare, huius Sacramenti incapaces habentur.

787. Debet vero esse in probabili mortis periculo constitutus, in quo versari intelligitur quisquis gravi morbo laborat. Cum hoc periculum debeat oriri ex infirmitate corporis, hinc sequitur, nemini corpore non aegrotanti, in exitu licet vitae sit constitutus, hoc Sacramentum esse conferendum, cuiusmodi sunt ultimo supplicio afficiendi, nemini item non aegrotanti, qui vel in praesens veniat vitae discrimen, cuiusmodi sunt dimicationem inituri, vel mulieres pariturae, nisi his accesserit peculiaris et lethalis corporis aegritudo. Senibus vero, etsi nullo alio morbo laborent, si prae senio deficere atque morituri in dies videantur, conferenda ea erit, non debet denique conferri extrema unctio illis neophitis moribundis, quos missionarius capaces baptismatis credidit, nisi saltem habeant aliquam intentionem recipiendi hoc sacramentum in beneficium animae pro mortis tempore ordinatum.

788. Huius Sacramenti minister est solus Sacerdos [1], sed solus Parochus in sua paroecia aut qui ab eo licentiam accepit est minister ordinarius. Ceteri itaque sacerdotes nunquam sibi ministerium hoc sumere possunt, nisi cum Parochus iusserit, aut permiserit, vel cum, Parocho absente, summa indigentis necessitas id postulet [2].

789. Regularibus tamen licet suis subditis suisque familiaribus tantum administrare unctionem extremam. Ii autem soli familiares habentur qui eo tempore intra monasterii septa religiosis commu-

[1] Graeci, aliique Orientales, qui Graecorum mores imitantur, in huius Sacramenti administratione septem adhibent sacerdotes, et si septem non adsint, saltem tres.

[2] Bened. XIV, *de Syn.* l. 8, cap. 7, n. 5. Collect. n. 1143.

nia ita degunt, ut regularibus famulentur et ab iis vicissim alantur [1].

790. Porro in eodem mortis periculo Sacramentum hoc non est iterandum. Si autem infirmi, quibus adhibita fuit extrema unctio, convaluerint in novumque postea inciderint vitae periculum poterunt rursus iuvari huius Sacramenti subsidio. Quod si imminuto morbo, periculum illud cessasse prudenter existimetur, sed postea aegrotus antequam convalescat rursus periculum subeat, iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam rursus hoc Sacramento iuvari poterit [2].

791. Oleum infirmorum custodiendum in ecclesia est in cavo a cornu evangelii altaris maioris, vel eius altaris in quo divina posita est Eucharistia. Sit hoc cavum interius decenti serico violacei coloris obductum, eiusque ostium clavi apud Parochum aliumve, sed omnino fidelem virum, servanda muniatur. Supra ostiolum vero legatur epigraphe: « Oleum Infirmorum ». Hinc non licet ob commoditatem illud in domo sacerdotis asservare, excepto casu magnae distantiae ab ecclesia, quo casu servetur domi rubrica quoad honestam et decentem tutamque ipsius custodiam [3].

792. Cum autem singulis annis ex Ecclesiae praecepto sacra sint olea renovanda, caveant quicumque ea asservandi ius habent, ne vetere utantur. Acceptis oleis recens benedictis, quidquid ex veteribus superest, quamprimum comburendum est; nempe aut in lampade quae ante divinam Eucharistiam collucet ad ardendum ponatur, aut tanta quanta opus erit gossipii massa sacro illo liquore imbuatur idque iterum atque iterum donec vasa probe extergantur, gossipium vero igne absumatur et cineres in sacrarium deiiciantur.

793. Quamquam vero negandum non sit, oleo consecrato non consecratum posse misceri, id tamen faciendum non est quando sacrum oleum post consecrationem distribuitur, sed quando neces-

[1] Bened. XIV, Instr. 55, n. 7.

[2] Bened. XIV, Instr. 55, cap. 8, n. 4.

[3] S. Rit. Congr. 16 decembr. 1826. Collect. n. 1145.

sitas exigat; summa tamen scrupulositate agendum id est, ut scilicet cum oleum aliquando deficere vel non sufficere posse videatur neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso reparetur. Potest autem oleum non benedictum pluribus vicibus benedicto superinfundi, ita ut oleum additum, consideratis omnibus additionibus simul, non fiat quantitas maior benedicti [1].

CAPUT VI.

DE ORDINE.

794. Esse in Ecclesia catholica hierarchiam divinitus institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, dogma est, quod absque fidei iactura verti dubio non potest. Haec autem hierarchia non ut in veteri testamento carnali generatione et successione fundatur, sed electione et ordinatione statuitur, qua homines a Deo vocati et ex hominum reliquo assumpti, diversisque in gradibus constituti, divino mancipantur obsequio et altaris deserviunt sacrificio. Hinc Ordo est Sacramentum quo stabiliter potestas confertur ad consecrandam Eucharistiam et ad alia ecclesiastica ministeria rite obeunda.

795. Materia remota est res quae traditur, proxima eius traditio. Cum vero in minoribus Ordinibus tradantur instrumenta, hinc est quod materia Ostiariatus sunt claves ecclesiae, Lectoratus liber sacrarum lectionum vel Scripturarum, Exorcistatus liber exorcismorum, Acolythatus urceoli et candelabrum cum cereo extincto. Maiorum vero est, in Subdiaconatu sola instrumentorum traditio, id est calix vacuus cum patena vacua ac libri Epistolarum; Diaconatus impositio manus et liber Evangeliorum; Praesbyteratus impositio manuum, calix cum vino et patena cum hostia. Episcopatus vero materia tum remota quam proxima est sola impositio manuum.

[1] S. Congr. Rit. 23 sept. 1682.

796. Ordinis forma consistit in verbis ab Ordinante pronunciatis, prout in Pontificali praescribuntur.

797. Minister ordinum maiorum est solus Episcopus consecratus [1], minorum vero potest esse etiam Sacerdos ex delegatione Summi Pontificis. Porro ut minister ordinet valide, sufficit (suppositis aliis requisitis essentialibus) ut intentionem habeat. Ad hoc autem ut ordinet licite, requiritur ut ea omnia servet, quae sacri canones ac ritus Ecclesiae praescribunt; de quibus agendum breviter est.

798. Iam haec sunt: 1) Ut Episcopus ordines conferat suo subdito, 2) qui debitis qualitatibus aetatis, probitatis, et scientiae instructus sit, et 3) titulo ordinationis praeditus; 4) ut Ordines conferat legitimo ordine, tempore, et gradatim; 5) praehabitis proclamationibus.

ARTICULUS I.

De Episcopi Subdito.

799. Innocentius XII [2] quatuor ex causis quemlibet Episcopo subdi posse statuit; nimirum ratione *beneficii*, *originis*, *domicilii* et *familiaritatis*.

800. Porro *beneficium* debet esse in dioecesi obtentum, pacifice possessum, et sustentationi sufficiens, nempe iuxta taxam synodalem, quae eo loci viget [3]; et si aliquid desit, non potest suppleri ex patrimonio in eadem vel ex beneficio in alia dioecesi ex Const. *Apostolicae Sedis.* Nihil vero interest, utrum beneficium residentiale

[1] Si Episcopus renuntiaverit episcopatum, haec renuntiatio si facta sit tantum loco, adimet facultatem ordinis conferendi, excepto casu quo resignans ab alio Episcopo rogatus sit ad eos conferendos, si facta sit loco simul et dignitati, revocat omnino eamdem facultatem, et qui ab eo ordinatus est characterem recipit, sed ordinem exercere non potest.

[2] In Const. *Speculatores* data prid. non. nov. 1694.

[3] Innoc. XIII, Const. *Apostolici ministerii;* Bened. XIII, Const. *In supremo* 23 sept. 1724.

sit, vel non. Episcopo vero beneficii fas non erit sacris ordinibus initiare beneficiatum, qui testimonialibus litteris tam Episcopi originis quam domicilii, si alibi hoc habeat, instructus non sit. Ceterum ut quis alicui Episcopo subditus fiat, sufficit beneficium simplex, vel beneficium ecclesiasticum, quamvis ad nutum amovibile, dummodo aliter provisum fuerit de sustentationis perpetuo titulo constituendo [1]. Non sufficit autem ad subiectionis titulum Cappellania laicalis, quamvis perpetua [2]. Si quis plura beneficia in diversis dioecesibus habeat, poterit ab eo ordinari Episcopo, quem ipse maluerit.

801. Secundo loco aliquis Episcopo subditus fit ratione *originis*, cum scilicet *naturaliter* natus sit in eius dioecesi, vel in ea tum cum natus est domicilium habebat pater eius, non vero si in ea pater versabatur itineris, negotiorum, vel temporarii muneris causa, v. g. medici, Praetoris [3], quo casu nullatenus eiusmodi fortuita nativitas, sed vera et naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis alicubi ex accidenti tamdiu moratus fuerit, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit, necessariae eidem sunt Episcopi dioecesis illius testimoniales ad Episcopum originis datae. Si pater in aliena dioecesi, ubi filius natus est, domicilium de iure plene contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium recens contractum attendi debet pro ordinatione eiusdem filii.

802. De filiis alicubi naturaliter aut per accidens ortis, Honorante [4] inquit: « Unde regula generalis pro invenienda ad ordines origine haec est: nato filio, vel pater eo tempore alicubi domicilium habebat, vel non? Si domicilium habebat, filius erit originarius paterni domicilii, sive in eo natus sit, sive non; si pater nullibi, tempore nativitatis filii, domicilium contraxit, originarius erit loci paternae naturalis originis, idest loci in quo pater naturaliter ortus est, nisi pater in loco, ubi filius ex accidente natus fuerit, sedem postea domicilii de iure contraxerit, quod tum ex praedicta Const.

[1] S. C. Conc. in Pient. *Ord.* 18 iulii 1733.

[2] S. C. Conc. in Tiburt. *Cappèll.* 11 iun. 1710.

[3] Schmalzgrueber II, 2, 21.

[4] In *Prax. Secret. Trib. Vic.* cap. 1.

Speculatores, tum ex dictis abunde constat ». Unde origo matris ad effectum recipiendi ordines non suffragatur.

803. Tertia causa subiectionis est *domicilium* certum ac stabile. Attamen si ordinandus e loco originis ea aetate digressus sit, qua aliquod impedimentum contrahere potuerit, vel alio loco per accidens per notabile tempus (sex menses circiter) commoratus fuerit, tunc testimoniales Episcopi originis domiciliique accidentalis eidem necessariae sunt. Aetas autem ad impedimentum contrahendum capax est ea, quae septennium excessit. Ad adquirendum vero stabile domicilium, iuxta Innoc. XII Const. requiritur, ut quis vel 1) per decennium saltem in eo loco commoratus sit, vel 2) maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum extructis aedibus ibi posuerit, ac insuper ibi per considerabile tempus commoratus fuerit et iuramento suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverint.

804. Poterit autem quis domicilium mutare eo fine, ut ab Episcopo novi domicilii promoveatur ad ordines, quos Episcopus originis iniuste denegavit. Ceterum etsi quis duo, vel plura domicilia legalia insimul possit obtinere, attamen ad effectum ordinationis duo vel plura domicilia simultanea componi non possunt in diversis dioecesibus, quia ex duabus conditionibus ab Innocentio XII mox recensitis, ambae convenire nequeunt in duobus, vel pluribus domiciliis. Quando pater domum originariam deserit, et in alienam digreditur dioecesim, ibique fixerit sedem, bona emerit, et pro cive se gerat, si filius velit promoveri ad ordines ab Episcopo huius dioecesis, S. Congr. Conc. iubet, ut ad normam Innocentianae Const. iuramentum emittat, se vere et realiter animum habere ibidem permanendi [1]. In novo domicilio eligendo iuramenti praestatio requiritur sive a patre, cum filius in minori aetate et sub patris potestate est, sive ab ipso filio, quando est sui iuris.

805. Quarta causa subiectionis est *familiaritas* cum Episcopo, dummodo ordinandum per triennium in suo servitio secum reti-

[1] In Tarraconen. *Ord.* 18 apr. 1744.

nuerit, eumdemque suis sumptibus aluerit. Triennium verum integrum et completum esse debet, et accedere debent litterae testimoniales Episcopi originis seu domicilii. Debet insuper Episcopus beneficium sufficiens saltem intra mensem a die habitae ordinationis eidem conferre, ac in testimonio ordinationis disertam mentionem facere tam de titulo familiaritatis, quam de testimonialibus proprii Praelati. Haec vero necessitas beneficium conferendi cessat, si is aliud beneficium aut patrimonium habeat. In hoc triennio potest computari tempus, quo cum Episcopo commoratus est antequam ad episcopatum esset promotus [1]. Familiaris vero in casu censetur is, qui Episcopo inservit, in eius aede commoratur; eiusque sumptibus alitur; hinc ex. gr. nepotes Episcopi, qui alterius dioecesis sunt, licet cum eo commorentur, et ab eo alantur, nisi simul eidem inserviant, non possunt titulo familiaritatis sacris initiari ordinibus sine dimissoriis proprii Episcopi [2].

806. Denique notandum, quod qui in una dioecesi natus, in alia domicilium habeat, in tertia beneficium, a quovis trium istorum Episcoporum poterit ordines suscipere, idque etsi ab uno eorum, aliquem ordinem acceperit.

807. Regulari solemniter professo unus est proprius Episcopus, scilicet coenobii, ubi qui ordinandus est commoratur. Hinc [3] Superiores regulares possunt pro arbitrio, Regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere postulet, litteras dimissoriales concedere, ad Episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii in cuius familia ab iis ad quos pertinet, is regularis positus fuerit. Si Episcopus dioecesanus absit, vel ordinationem non habeat, vel Sedes episcopalis vacet, fas erit Praelato regulari mittere ordinandum ad quemcumque alium Episcopum, dummodo tamen ab hoc Episcopo, qui ordines eidem confert, examinetur quoad doctrinam, et dummodo ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissorialium ad id tempus, quo Episcopus dioecesanus

[1] S. Congr. Conc. in *Catanien.* 9 nov. 1589.

[2] Cf. Zamboni verbo *Sacra Ordinatio,* art. 2, n. 9.

[3] Ex decreto S. C. Conc. 24 Aug. 1619, 20 iulii 1675.

vel abfuerit, vel nullas habiturus sit ordinationes [1]. In iis autem litteris dimissorialibus huiusmodi causa absentiae dioecesani Episcopi, vel ordinationum non habendarum, exprimenda est. Quod si regulares ordinandi morentur in monasterio *nullius dioecesis*, huiusmodi dimissoriae concedi debent ad Episcopum viciniorem.

808. In praesens, durante triennio probationis et ante professionem solemnem, non licet, prout diximus, dimissorias concedere religiosis, nisi ad tonsuram et minores ordines [2].

809. Sunt autem Ordines regulares, qui speciali privilegio praediti sunt, ut a quolibet catholico Episcopo eorumdem alumni ordinari possint.

810. Notandum quod suspensionem per annum l. s. Rom. Pont. reservatam incurrunt ab ordinum collatione ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium qui alibi tanto tempore moratus sit ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus [3].

ARTICULUS II.

De requisitis Ordinandi.

811. Episcopus debet ordinare suum subditum debitis requisitis praeditum. Porro haec requisita alia sunt *positiva*, alia *negativa*. Positiva recensentur certa *aetas, scientia, pietas*.

812. Ad aetatem quod pertinet, tanta ea esse debet, quanta sufficiens sit ad iniunctum officium recte peragendum. Quapropter requiritur pro prima tonsura annus septimus, pro minoribus ordinibus aetas determinata non est, pro subdiaconatu vigesimus secundus. Hinc qui ingreditur 22 aetatis annum vespere sabbati, non

[1] Bened. XIV, Const. *Impositi nobis* 27 febr. 1747.

[2] S. C. super statu Regular. 12 ian. 1858.

[3] Const. *Ap. Sedis*.

poterit ad subdiaconatum promoveri mane eius diei. Pro diaconatu requiritur annus vigesimus tertius, pro presbyteratu vigesimus quintus omnes incepti; pro Episcopatu trigesimus completus. Ab aetate vero Episcopus dispensare non potest.

813. Quoad scientiam vero exigitur ad tonsuram ut quis teneat rudimenta fidei et scribendo legendoque profecerit, ad minores ordines peritia latinae linguae, ita ut illam intelligat [1]. Ad subdiaconatum et diaconatum peritia litterarum, et earum rerum, quae ad ordinem exercendum pertinent [2]. Ad presbyteratum eiusmodi scientia, quae idoneum efficiat ad docendum populum ea quae ad salutem necessaria sunt, et ad sacramenta administranda [3], ita ut qui ad eiusmodi ordinem promoventur saltem theologiae moralis competenter periti sint [4].

814. Denique ordinandi pietate et vitae probitate praelucere debent et sacramento confirmationis initiati esse debent.

815. Impedimenta quae ex requisitis negativis dimanant, dicuntur *irregularitates*. Irregularitas est impedimentum canonicum, quo prohibetur susceptio Ordinum, et eorum exercitium. Sive, est inhabilitas iure canonico inducta, impediens susceptionem Ordinum, et susceptorum exercitium. Differt a censura, cum haec sit poena medicinalis ob culpam inflicta, et ad emendationem delinquentis ordinata, irregularitas vero immediate et primario statuta sit non ad punitionem, emendationemve delinquentis, sed ad honorem sacri ministerii, qui postulat, ut qui ad altaris ministerium assumuntur, sint et integri corpore, et animo puri, unde non necessario supponit culpam, ut censura. Fertur tamen aliquando per modum poenae vindicativae, sed secundario, quatenus ob delicti maculam aliquis censetur indignus sacro ministerio, ob cuius reverentiam primario infligitur. Porro nomine Ordinum hic intelligitur etiam prima ton-

[1] Conc. Trid. cap. XI, Sess. XXIII *de Reform.*
[2] Conc. Trid. cap. XIII, Sess. cit. *de Reform.*
[3] Conc. Trid. cap. XIV, Sess. cit. *de Reform.*
[4] Bened. XIII, Const. *In suprema* 23 sept. 1723.

sura, ut constat ex praxi Ecclesiae, et communi Doctorum sensu: ea enim est dispositio ad Ordines.

816. Circa irregularitatem notanda sunt sequentia: 1) Nulla est irregularitas ab homine, sed omnis est a iure universali [1]. Bonifacius VIII, declarat per celebrationem in ecclesia polluta non fuisse contractam irregularitatem, *cum id,* inquit, *non sit expressum in iure,* scilicet *communi* [2]. 2) Irregularitas contrahitur ante omnem sententiam, etiam ob defectum vel crimen occultum, et non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem. 3) Potest quis pluribus irregularitatibus etiam eiusdem speciei detineri ob idem factum pluries commissum. Quare obtinens dispensationem irregularitatis cum expressione alicuius causae, non censetur dispensatus in omnibus aliis irregularitatibus contractis ex alia causa non expressa. 4) Non prohibet usum iurisdictionis, quae exerceri potest sine actu ordinis. Hinc Parochus irregularis potest delegare ad sacramenta suis parochianis ministranda, quamvis ei non liceat illa ministrare. Valide tamen absolveret, cum non privetur potestate iurisdictionis.

817. Iamvero irregularitas dividitur in eam quae provenit ex *delicto* et in eam quae provenit ex *defectu.*

818. Irregularitates ex delicto provenientes quatuor recensentur. Prima oritur ex homicidio vel mutilatione. Secunda ex iteratione baptismi. Tertia ex vetito Ordinum exercitio. Quarta ex haeresi.

819. Irregularitas ex delicto adnexa in primis est voluntariae (sive in se sive in causa) occisioni vel mutilationi hominis iniustae; nam qui ut se defendat occidit, vel mutilat cum moderamine inculpatae tutelae, irregularitatem non incurrit. Incurritur autem irregularitas, sive occisio fiat per se, sive per alium tam facto, quam mandato, ope proxima, aut vi vel dolo efficiendo ne occisus sibi, vel ei alius opituletur, non vero si solum rata habeatur. Ea vero non inducitur per homicidium casuale. Sub homicidio comprehen-

[1] Ex cap. 18 de sent. excomm. in 6°.

[2] Cap. 18 de sent. excomm. in 6°.

ditur etiam abortus foetus animati, effectu secuto. Per mutilationem vero incurritur, si quis membrum sciens et volens mutilat sive alteri sive sibi.

820. Irregularitas ex delicto adnexa est violationi sacramenti, cuius nomine hic venit tantum baptismus; nec quaelibet violatio eam inducit, sed tantum illa per quam baptismus iteratur. Ex iteratione baptismi irregularis fit rebaptizans, rebaptizatus, et qui rebaptizanti ministrat; neque excusatur qui ex levi dubio circa valorem baptismi illud sub conditione repetit. Sed opus est: 1) baptismo vero et perfecto; ideo non contrahitur, siquid valori eius desit, nec si alteruter conditionem serio apposuerit: Si non sum, vel si non es baptizatus; 2) notorio et solemni. Haec irregularitas prohibet a sola Ordinum susceptione et non a susceptorum exercitio.

821. Ex vetito Ordinum exercitio fit irregularis clericus qui exercet ordinem quem non habet; vel qui quem habet exercet dum est *irretitus* censura, quae vetat ordinem exercere, non vero si tantum prohibitus sub censura ordinem exercere, illum exerceat; denique is qui scienter celebrat in loco nominatim interdicto. Ad haec requiritur ut ordinem exerceat *ex officio, temere, scienter et solemniter*, id est si actus est eiusmodi, qui exerceri non potest nisi ab his qui talem ordinem habent.

822. Irregularitas adnexa est haeresi, apostasiae et schismati. Haeretici generatim irregulares sunt, sive in haeresi baptizati fuerint, sive a catholica religione ad eam defecerint. Sola apostasia a fide irregularem facit. Schisma vero irregularitatem inducit quando cum haeresi coniungitur.

823. Irregularitates ex defectu etiam quatuor recensentur, quarum prima oritur ex defectu animae, secunda ex defectu corporis, tertia ex defectu status, quarta ex defectu lenitatis.

824. Porro ex defectu animae irregularitas oritur: 1) ex defectu usus rationis; 2) ex defectu scientiae pro ordinibus requisitae; 3) ex defectu fidei in parentibus, haereticis, cessat si parentes convertantur ad fidem. Filii vero haereticorum, qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, sunt irregulares etiam in Germania, aliis-

que in locis, ubi impune grassantur haereses [1]. 4) Oritur ex defectu fidei obfirmatae, ut in neophitis.

825. Secunda irregularitas imposita est carentiae bonorum corporis, quae sunt integritas, proportio, ac sanitas. Per integritatis defectum intelligitur vitium, ob quod munera ecclesiastica quis cum dignitate exercere non possit, vel aegre, et indecore. Hac de causa irregulares sunt: *a*) muti, surdi, et caeci; *b*) epileptici; *c*) qui vel manus habent amputatas, vel carent digitis pollice, et indiee, non enim si carent digitis aliis, nisi id eorum culpa evenerit; *d*) abstemii, qui sic abhorrent a vino, ut ad vomitum provocentur, eademque ratione, qui tremulas habent manus, ut facile calicem possint effundere; demum *e*) qui corpore sic deformes sunt, ut ad risum, et contemptum moveant, cuius deformitatis iudicium Episcopi prudentiae relinquitur [2].

826. Tertia irregularitas oritur ex defectu status. Huc pertinent defectus *natalium, libertatis, bonae famae, sacramenti*. Hinc 1° illegitimi omnes, idest extra nuptias nati, irregulares censentur. Iam in dubio, an quis natus sit in nuptiis illegitimis, habendus est tamquam legitimus. Expositi vero, cum praesumantur esse illegitimi, dispensantur ad cautelam. Porro haec irregularitas tollitur legitimatione, quae fit per rescriptum Summi Pontificis, vel per professionem religiosam, (non tamen pro praelaturis sive saecularibus sive regularibus), vel per subsequens matrimonium. Tollitur praeterea dispensatione, quam Summus Pontifex solus pro sacris ordinibus, beneficiis curatis, et dignitatibus Capitulorum impertitur; Episcopus autem pro prima tonsura, minoribus ordinibus, et beneficiis simplicibus, quae ordinem sacrum non exigunt. 2° Ex defectu libertatis irregulares sunt: 1) servi, scilicet, qui ex iure gentium subeunt servitutem, nisi domini ordinationi eorum consenserint; 2) ii omnes, qui ex munere vel officio vel negotio saeculari clericis interdicto,

[1] Congr. S. Off. *ad Ep. Harlamen.* die 9 iulii 1884.

[2] Ius dispensandi in irregularibus ob defectum corporis, pertinet ad Romanum Pontificem.

ex. gr. tutoris, obligantur suae administrationis reddere rationes, nisi illud munus ante deponant, et nisi, redditis rationibus, ab iis fuerint absoluti, vel de reddendis caverint, non si agatur de causa privilegiata v. gr. tutela ecclesiae vel pauperum; ii autem si fuerint ordinati, non prohibentur exercitio ordinis; 3) coniugati, qui ordinari vel religionem ingredi nequeunt, nisi uxores consentiant, eaeque religionem profiteantur vel saltem castitatis perpetuo servandae votum emittant, approbante Episcopo; 4) Monachi, seu regulares professi, nisi Superioris, cuius voluntati sunt obnoxii, consensus accedat. 3° Ex defectu bonae famae irregulares sunt qui infamia iuris laborant, sed probabilius post iudicis sententiam, seu qui sunt rei notorii delicti, cui a sacris canonibus adnexa est infamia. 4° Irregularitas ex defectu sacramenti oritur ex bigamia, quae triplex est, *vera, interpretativa,* et *similitudinaria. Vera* est, quando quis duplex matrimonium successive contraxit, et utrumque consummavit. *Interpretativa,* quando quis ducit uxorem viduam, eamque iam a suo marito priore agnitam et ipse agnoscit, aut mulierem ab alio fornicarie corruptam, aut siquis commisceat uxori suae lapsae in adulterio. *Similitudinaria* vero est, si quis sacro ordine, aut solemni voto castitatis obstrictus, audeat matrimonium contrahere et consummare [1]. Solus Romanus Pontifex dispensare potest a bigamia vera et interpretativa, a bigamia similitudinaria potest dispensare Episcopus [2].

827. Quarta irregularitas oritur ex lenitatis defectu, quam is contrahit, qui *voluntarie active proxime* licet *iuste* ad necem, vel mutilationem hominis concurrit, vel physice vel moraliter, idest mandando, adiuvando, consentiendo, ut advocatus, vel procurator accusatoris, testes, nisi accesserint compulsi vel iusto praecepto, notarius, iudex, et demum ipse accusator, nisi ipse expresse protestetur, se vindictam, seu poenam sanguinis non intendere, sed emendationem vel remedium tantum; vel denique negative, si sci-

[1] Can. 14, causa 2, quaest. 1.

[2] Cap. 1 et 4 de Clericis coniugatis.

licet homicidium, vel mutilatio sequatur ob negligentiam eius, qui non ex charitate sola, sed ex officio, et iustitia tenetur impedire. Ceterum hanc irregularitatem non contrahit: 1) qui non *proxime* sed *remote* ad homicidium vel mutilationem concurrit, ut armorum artifex, aut venditor, qui nesciat eum, cui arma conficit, aut vendit, his usurum ad illud homicidium, vel mutilationem; 2) qui non voluntarie sed necessario ad homicidium vel mutilationem concurrerit; 3) non contrahitur si mors, vel mutilatio non fuerit sequuta. 4) Non contrahunt ii, in quibus nullus lenitatis defectus argui potest ex mutilatione, ut medici etc. Ab hac irregularitate nemo potest dispensare nisi Rom. Pontifex licet fuerit occulta. Notandum quod in bello iniusto si vel unus occisus vel mutilatus fuerit, omnes fiunt irregulares: in bello iusto nemo, exceptis clericis, nisi iussi vel in magno rerum discrimine pugnaverint. Qui dubitat an ex multis occisis vel mutilatis aliquem occiderit vel mutilaverit, non est irregularis.

828. In supplici libello quo dispensatio petitur ab irregularitate, si pluribus sit adstrictus, exprimendae sunt omnes diversae speciei, et etiam eiusdem speciei, si circa diversa subiecta versantur. Dispensatio nulla indiget certa verborum forma, imo dari potest etiam facto.

829. Quod spectat ad irregularitatis cessationem haec tenenda sunt: irregularitates quae oriuntur ex temporaneo defectu aetatis, libertatis, scientiae, ipsas per se extingui, cum primum cessaverit ipse defectus; si oriantur ex vitio permanente, opus esse dispensatione, quae illi etiam necessaria est, qui dubitat, num certum actum commiserit, sed plane constet irregularitatem illi actui adnexam esse, id quod dicitur dubium facti [1]. Dispensatio vero non requiritur in dubio iuris [2].

[1] Cap. 12 de homicid.

[2] Irregularitas tollitur Apostolicae Sedis dispensatione. Vide Const. Ben. XIV in eius Bullario 57. Nihilominus Episcopi dispensant in irregularitate ex delicto occulto, excepta irregularitate proveniente ex occulta haeresi, apostasia et schismate, quae speciali modo reservata est Rom. Pontifici. Dispensant pariter in irregularitate

ARTICULUS III.

De titulo Ordinationis.

850. Circa ordinationis titulum lata est die 27 aprilis 1871 a S. Congr. Prop. Fid. instructio, cuius summa sequens est [1].

1. Cum indecorum omnino sit, atque a Clericorum, qui in sacris Ordinibus constituuntur, dignitate prorsus alienum, ut ipsi aut emendicatis subsidiis aut ex sordido quaestu ea quae ad victum necessaria sunt, sibi comparare cogantur; nemo ordinari in sacris permittitur, exceptis religiosis solemniter professis, absque titulo.

2. Porro geminus distinguitur titulus, *ecclesiasticus* scilicet, ac *patrimonialis*. Hic postremus obtinet, cum ordinandus talibus bonis certis, stabilibus ac frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, est instructus, quae ad congruam eius sustentationem sufficere Episcopi iudicio censeantur. Ad praefatum accedit titulus *pensionis*, quae non modo ad congruam clerici alimoniam sufficere, sed et perpetua esse debet. Atque hi duo tituli extraordinarii censendi sunt ac veluti ex dispensatione admittuntur, si nimirum Episcopus pro Ecclesiae necessitate aut commodo aliquem ita ordinandum esse iudicaverit [2].

3. Ecclesiasticus vero titulus in *beneficialem* subdividitur, ac *paupertatis*, quibus aliae quaedam veluti subsidiariae atque extraordinariae species adiiciendae sunt, tituli nempe *mensae communis*, atque *servitii ecclesiae, missionis, sufficientiae*, et *collegii*. Est autem titulus *beneficii* ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter officium aliquod spirituale, ecclesiastica auctoritate constitutum; atque hic ordinarius ac praecipuus titulus sacrae Ordinationis dici debet.

ex bigamia similitudinaria, ex defectu natalium pro susceptione ordinum minorum. Quoad vero defectus corporis, eorum cognitio, non vero dispensatio pertinet ad Episcopum.

[1] Collect. n. 1179.

[2] Patrimonium consistere debet in re immobili frugifera, vel ea quae instar mmobilis ex iure est, ex. gr. ex versuris publicis vel ex censibus.

4. *Paupertatis* vero titulus in religiosa professione est positus, vi cuius qui solemnia vota in probata Religione emiserunt, vel ex redditibus bonorum, si quae ipsamet Religio possideat, vel ex piis fidelium largitionibus omnia communia habent, quibus ad vitam alendam indigent. Quem vero vocant *communis mensae* titulus, eos clericos attingit, qui Religiosorum more in communi vitae disciplina degentes, aut nulla nuncupant vota, aut simplicia tantum, proindeque e domo religiosa exire aut dimitti, atque ad saeculum redire permittuntur. Neque enim ad eos pertinet titulus paupertatis [1]. Verum ex hisce clericis ii dumtaxat communis mensae titulo promoveri ad sacros ordines possunt, quorum Congregationes aut Instituta peculiari ad id privilegio ab Apostolica Sede aucta fuerint.

5. Titulus *servitii Ecclesiae* iis quandoque conceditur, qui cum beneficio ecclesiastico vel pensione careant, aut patrimonialia aliaque bona non possideant, ea lege ordinantur, ut alicui ecclesiae sint mancipati, ex cuius servitio et eleemosynis a piis christifidelibus elargiendis substentari possint, et ab eadem ecclesia nullo unquam tempore amoveri vel ipsi recedere nequeant, nisi aliter eis provisum fuerit; quo titulo ut suis Clericis sacros ordines conferret, s. m. Sixtum V Patriarchae Venetiarum indulsisse constat.

6. Denique titulus *missionis,* de quo potissimum heic sermo est, praetermissis titulis *sufficientiae et collegii* (quos utpote raro occurrentes tantum commemorasse sat sit), adhiberi consuevit, cum alius legitimus titulus haud suppetit, pro iis qui maioribus ordinibus initiari cupiunt, ut apostolicarum missionum servitio sese devoveant. Id autem saepe contingit in locis missionum, in quibus ea est rerum conditio, ut commune Ecclesiae ius circa ea, quae ad praerequisitum pro sacra ordinatione titulum spectant, servari adamussim nequeant. Qui vero huiusmodi titulo ordinati sunt, ii ex apostolico ministerio in missione, cui fuerunt addicti, ad victum necessaria consequuntur.

[1] Ut ex Const. *Romanus Pontifex* S. Pii V deducitur.

7. Sed exploratum est, Ordinarios clericis titulo missionis nullatenus posse sacros Ordines conferre, nisi speciali S. Sedis indulto muniti sint; agitur enim de titulo extraordinario, qui praeter ius commune adhibitus fuit. Quod quidem indultum Superioribus missionum aut Collegiorum seu Congregationum, quae missionibus inserviunt, vel ad certum tempus, vel ad praefixum casuum numerum concedi solet. Meminerint autem Superiores eo parce utendum sibi esse: neque enim titulo missionis omnes absque delectu sacris erunt Ordinibus initiandi Clerici, qui ad missionum curriculum ineundum utcumque dispositi videantur. Si enim iuxta S. Pauli monitum manus nemini cito imponendae, id potissimum valet, cum sermo est de iis qui in arduum apostolici ministerii opus assumuntur. Quare hic titulus adhibendus erit in eorum dumtaxat favorem, qui animi indole et docilitate, intentionis rectitudine, aptitudine ingenii, profectu in sacris studiis, morum integritate, ac rerum mundanarum contemptu, spem faciant, sese strenuos futuros fore Evangelii praecones; super quo eorumdem Superiorum conscientia districte oneratur.

8. Non secus ac Alumni Collegiorum pontificiorum, ii omnes qui titulo missionis inter sacros ministros cooptari cupiunt, tenentur prius iuramentum emittere, quo spondeant missioni cui destinati sunt vel destinabuntur, se fore perpetuam operam daturos; quod quidem ab iis qui hoc titulo frui volunt, S. Sedes ut missionum, quarum sumptibus illi aluntur, servitio consuleret, exigere constanter consuevit [1].

[1] Formula iuramenti ab iis praestandi qui titulo missionis ordinantur sequens est: « Ego N. Filius N. Dioecesis vel Vicariatus N. spondeo, et iuro, quod postquam ad sacros Ordines promotus fuero, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem sine speciali Sedis Apostolicae licentia, aut S. Congregationis de Propaganda Fide ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Voveo pariter et iuro, quod in hac Dioecesi, aut Vicariatu, *vel* (*) in Missione cui S. Sedi vel S. Congregationi de Propaganda Fide me destinare placuerit,

(*) *Iuxta hunc alterum modum iurare debent, qui nondum alicui missioni addicti fuerint.*

9. Necesse non est, ut qui ad ss. Ordines hoc titulo evehendus est actualiter in missione versetur, sed sufficit, ut paratus sit ad missiones obeundas, quando et quomodo Superiores eum mittendum censuerint ac ire iubeant.

10. Eis, qui hoc titulo sunt ordinati, vi praestiti iuramenti interdicitur in Religionem ingredi absque venia S. Sedis; eius namque iudicio reservatum est, praevia Ordinarii, cui intererit, relatione, iudicare, utrum missionum, quarum servitio ii sunt addicti, necessitas id patiatur. Scilicet publicum bonum privato antecellat oportet, ea nimirum ratione, qua aliquibus Ordinibus concessum est, ne eorum religiosis ad arctiorem sine suorum Superiorum licentia transire fas sit.

11. Quemadmodum alii tituli, ita etiam hic, de quo agitur, iuxta canonicas sanctiones amitti potest, atque ab Ordinariis auferri, de consensu tamen S. Congregationis, cuius est sic ordinatos praestiti iuramenti vinculo exsolvere. Quod si amisso titulo generatim, aut etiam titulo missionis, alter ei non substituatur, Sacerdos haud propterea remanet suspensus; sed Ordinarii tenentur compellere ordinatos ad alterius tituli subrogationem, prout sacris canonibus consultum est. Id Sacra Congregatio in generalibus comitiis diei 1 septembris 1856 declaravit.

12. Pariter Sacerdotes regulares, qui vota solemnia nuncuparunt, atque ex Apostolica indulgentia in saeculo vivere permittuntur, vel qui ediderunt vota simplicia et e suis Congregationibus seu Institutis egressi sunt, ne cum proprii gradus dedecore emendicare cogantur, ad sibi de canonico titulo providendum obligentur; in

perpetuo in divinis administrandis laborem meum, ac operam sub omnimoda directione, et iurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii pro salute animarum impendam, quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis Apostolicae licentia religionem, Societatem, aut Congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

Item voveo, et iuro, me praedictum iuramentum, et eius obligationem intelligere, et observaturum. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ». Collect. n. 1179.

locis vero Missionum ipsi probare saltem tenentur, sibi suppetere media, quibus propriae sustentationi, ut par est, consulant.

13. Qui titulo certae alicuius missionis ad ecclesiasticos Ordines adscenderunt, ubi Missionarii officium dimiserint, procul dubio suum amittunt titulum, ac de alio sibi providere debent; si vero alterius missionis servitio deputentur, ut huius missionis titulum assumant, nova opus erit S. Sedis concessione; neque enim eis suffragatur facultas, si quam obtinuerit eius missionis Ordinarius, memorato titulo Clericos ordinandi.

14. Ordinarii in missionibus utantur opera illorum etiam sacerdotum, qui aliis titulis ad sacros Ordines admissi fuerunt, servatis de iure servandis; neque enim ipsi possunt eos adstringere ad titulum missionis subrogandum. Quin immo hortatur S. Congregatio Ordinarios,[*] ut quantum fieri potest, alii quoque legitimi tituli pro sacra ordinatione introducantur.

15. Tandem Sacra Congregatio animadvertens incremento Missionum plurimum posse conducere, si qui in Collegiis sive Seminariis utriusque Cleri, evangelii praecones mox futuri, educati sunt, vel qui titulo missionis ad Ordines fuere promoti, animo identidem recolant iusiurandum, quo se obstrinxerunt, cooperandi Deo in salutem animarum; eos hortatur, ut in annos singulos anniversaria die praestiti iuramenti illud repetere curent, serio meditantes divinam erga se bonitatem, quae eos constituit verbi ministros ad annuntianda mirabilia virtutis ac potentiae suae; quam immarcescibilis gloriae corona eis in caelis parata sit, si officium suum sancte impleverint; quamque e contra districtum maneat iudicium, si negligentia vel socordia sua, quod absit, quemquam perire contigerit. Id autem, quo promptius et alacrius praestent, noverint s. m. Pium VI in audientia diei 7 maii 1775 unicuique illorum plenariam indulgentiam, animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, et perpetuis valituram temporibus impertitum fuisse, non solum cum praedictum iuramentum primo emiserint, verum etiam cum illud stato iam die renovaverint, dummodo in utroque casu conscientiam suam poenitentiae Sacramento expiare non omit-

tant, atque eucharisticam communionem suscipiant, vel Missae celebrent sacrificium ».

831. Quoad vero titulum Missionis notari debet quod in Congregatione generali de Prop. Fide die 4 febr. 1873 [1] proposita sunt dubia sequentia : I. An et quomodo declarandum sit, sacerdotes titulo missionis ordinatos, qui indignos se reddiderunt ad exercendum sacrum ministerium, privatos remanere eodem titulo et Ordinarios non obligari ad sustentationem praebendam illis nihil laborantibus? II. In numero secundo instructionis dicitur amisso titulo missionis Ordinarios teneri compellere ordinatos ad alterius tituli subrogationem. Quaeritur an ad hoc compellere debeant illos Missionarios in casu praedicto, in quo missionibus non possunt praefici, patrimonium non habent, beneficia non existunt, quin et indigni sunt quibus beneficium committatur? III. Si sacerdos regularis egrediatur de Congregatione sua, debet ne Episcopus dare ei titulum missionis, exacto iuramento, antequam eum admittat ad sacrum ministerium in sua dioecesi ; vel si velit Episcopus prius experiri utrum sacerdos ille idoneus sit missionibus suis, potest ne eum recipere ad tempus, et missionem ei committere? IV. Si sacerdos ex una ad alteram dioecesim transire velit, approbante Ordinario suo, est ne necesse, ut emittat novum iuramentum, et ad tale iuramentum num requiritur nova concessio Sanctae Sedis? V. Est ne necessaria licentia Sacrae Congregationis ut sacerdos ordinatus titulo missionis quin iuramentum praestiterit, possit ab illa dioecesi, pro qua ordinatus fuit, ad aliam transire?

832. Quibus dubiis responsum est. Ad 1m in casu, prout exponitur, praevia declaratione eiusmodi Sacerdoti ab Episcopo facienda, et quamdiu praedictus Sacerdos in sua prava vivendi consuetudine perseveret, nullum exhibens sincerae resipiscentiae signum, Episcopum non teneri ad sustentationem illi praebendam. Seiunctim autem a resolutione dubiorum per epistolam significetur Ordinario, ut ad dictam declarationem non deveniat, nisi postquam paternis

[1] Collect. n. 1180.

ac repetitis monitis eiusmodi Sacerdotem ad resipiscendum frustra invitaverit et de eius criminibus et publica diffamatione probationes certas etiam extraiudicialiter conquisitas sibi comparaverit, quas in casu recursus exhibere valeat Sacrae Congregationi. Ad 2^{m} in casu proposito praedictam instructionis dispositionem non habere locum. Ad 3^{m} S. Congregatio indulget, ut Episcopus antequam conferat titulum missionis Regularibus e suo Ordine egressis, possit eos mittere ad tempus congruum ad aliquam missionem regendam experimenti et probationis causa, exceptis apostatis, et iis qui utpote incorrigibiles eiecti fuerunt, quos perpetuae suspensioni obnoxios esse voluit Urbanus VIII decreto edito per S. Congr. Concilii die 21 sept. 1624. Ad 4^{m} affirmative ad utrumque, et ad 5^{m} affirmative.

833. Denique notandum est, quod leges communes titulo Beneficii, et titulo Patrimonii sunt: *a*) Ut alterutrum habeat census congruos iuxta taxam constitutam in dioecesi; *b*) census nulli obligatos; *c*) ut Ordinandus non possit se beneficio vel patrimonio abdicare vendendo aut alteri resignando, nisi de Episcopi auctoritate cum alterius tituli perpetui ac sufficientis legitima substitutione. Non potest autem quis ordinari ad id quod propria industria, vel honesto officio lucraturus est, neque ad redditus bonorum mobilium; potest autem ex titulo pensionis, vel census, vel cappellaniae inamovibilis.

834. Si aliquis Episcopus sacris insigniverit ordinibus clericum absque titulo, tunc si Episcopus conscius fuit defectus tituli, debet suo sumptu alere clericum ordinatum, si hic non possit suis propriis redditibus se sustentare; secus si conscius non fuit. Suspensionem per annum a collatione ordinum R. Pontifici reservatam ipso iure incurrunt, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerint absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel religioso nondum professo [1]. Suspensionem per triennium

[1] Const. *Ap. Sedis.*

R. Pont. reservatam a collatione ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta [1].

ARTICULUS IV.

De legibus ipsius Ordinationis.

835. Leges, quae ordinationem ipsam respiciunt sunt: 1) ut ordinatio fiat legitimo ordine; 2) legitimo intervallo; 3) legitimo tempore; 4) legitimo loco.

836. 1. Ordinatio debet fieri legitimo ordine et non per saltum.

837. 2. Debet ordinatio fieri legitimo intervallo, i. e. servatis *interstitiis*. Quantum esse debeat interstitium inter unius et alterius minoris ordinis susceptionem, nulla lege est definitum; ab ultimo minorum ordinum gradu ad subdiaconatum annus debet intercedere; idemque temporis spatium inter singulos ordines maiores. Qui annus non naturalis, sed ecclesiasticus esse debet [2].

838. Episcopo competit facultas dispensandi clericos tam saeculares, quam regulares (nisi agatur de Instituto, cui ex privilegio concessum est ordinari absque interstitiis, tunc enim Superiori pertinet dispensatio) a lege interstitiorum [3], at minime conferre potest minores ordines et subdiaconatum, vel duos sacros ordines uno die aut duobus continuis [4]. Haec facultas competit etiam Vicario Capitulari, elapso anno sedis vacantis, et cum arctatis infra annum,

[1] Const. *Ap. Sedis*.

[2] S. C. Conc. in *Palest.* 5 febr. 1593.

[3] Bened. XIII, die 26 martii 1725, mandavit ut in posterum in qualibet ordinatione, prima tonsura dumtaxat absque ullo alio ordine, tam saecularibus quam regularibus, eodem die conferri deberet.

[4] In Form. I facultatum quae dantur a S. Congr. Prop. Fid. conceditur etiam illa ordinandi *non servatis interstitiis*. Porro cum omne privilegium ita sit interpretandum ut privilegiato non sit inutile, et facultas haec ceteroquin Episcopis iam ex Tridentino competat, hinc facultas Formulae eo sensu accipienda est, quod levior causa ad eius usum requiratur quam Concilium Trid. exigat.

pertinet etiam Vicario Generali, si habeat mandatum generale, veris existentibus causis, non vero Praelatis inferioribus vel regularibus. Usus autem huius auctoritatis dispensandi, non ex mero arbitrio dirigendus est ab Episcopo, sed habita dumtaxat ratione *necessitatis aut utilitatis* Ecclesiae, quae verba disiunctive intelligenda sunt, non copulative. Hoc vero arbitrium in hanc rationem moderatum, quod Episcopo ordinanti relictum est, vim suam exerit etiam quando Indultum extra tempora per Breve Apostolicum impetratum est.

Ceterum nulla poena sancita est pro eo qui accipit sive minores ordines, sive maiores absque interstitiis.

839. 3. Debet ordinatio fieri legitimo tempore, quod varium est pro variis ordinibus. Sane prima tonsura qualibet anni die et hora potest conferri, minores ordines diebus dominicis et festis de praecepto, id est non in quibus fit officium, sed in quibus utrumque praeceptum servatur a populo [1], et in Missa eos conferre decet. Sacri Ordines sabbatis quatuor Temporum, sabbato ante Dominicam Passionis, et Sabbato sancto tantum conferri debent, et semper intra Missam. Episcopatus diebus dominicis vel natalitiis Apostolorum et hora diei tertia. Quae quidem de statutis ordinationis temporibus disciplina, contraria consuetudine subverti nequit. Ceterum cum ex apostolica facultate Episcopus extra tempora ordines confert, omnino legendum est Breve Apostolicum iuxta Pontificale Romanum [2].

Recipiens ordines extra tempora, incurrebat suspensionem latae sententiae ab executione ordinum, quos male receperat, et si in iis ministrasset erat irregularis. Haec tamen poena non habet amplius locum contra taliter ordinatos post Constitutionem *Apostolicae Sedis.*

[1] S. Rit. Congr. 23 maii 1836.

[2] S. Rit. Congr. die 13 maii 1835. — Quoad facultatem conferendi ordines *extra tempora* concessam in Form. I Episcopis missionariis, Episcopus Marianopolitanus sequentia dubia solvenda proposuit: 1. Utrum facultas haec limitetur, nisi specialissimum adsit indultum, ad solos dies quibus de iure communi conferre licet ordines minores, scilicet dies festivos de praecepto etiam in fidelium favorem abrogatos? 2. An saltem ad omnes dies, in quibus recitatur officium ritus duplicis? Porro S. Rit. Congr. respondit affirmative ad 1m partem, negative ad 2m.

840. Quoad locum conferendi ordines notandum est, quod tonsura et ordines minores possunt conferri in quolibet honesto loco. Ordines sacri conferri debent in Cathedrali, vocatis et praesentibus Canonicis. Si non fuerit ordinatio generalis, sed tantum aliquarum personarum, potest ubique Episcopus eam habere, et etiam in Cappella sua privata [1]. Si autem sit generalis, in Ecclesia cathedrali peragenda est [2].

ARTICULUS V.

De Denuntiationibus.

841. Ad existentiam recensitarum qualitatum cognoscendam, et cuiuscumque irregularitatis defectus, duo solent ordinationem praecedere, scilicet proclamationes et scrutinium. Parochus itaque uno ante ordinationem mense nomina eorum, qui erunt ad singulos maiores ordines assumendi, quos habet in sua parochia subiectos, populo frequenti tribus vicibus denuntiet, iubeatque omnes ad se vel ad Episcopum quantocius deferre, si quem eorum, quos nominari audierunt, noverint Ecclesiae iuribus prohiberi ne ad sacros ordines evehatur.

842. Triplex vero ante ordinationem praemitti scrutinium debet. Concilium Tridentinum [3] primum statuit, ut illi qui adscensum ad maiores ordines quaerunt, uno mense ante ordinationem, Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri committet, ut de ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita, a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes, ad Episcopum transmittat. Alterum scrutinium est, quod paucis ante ipsam ordinationem diebus, arbitrio Episcopi est instituendum, et fit, cum Episcopus peritis viris sibi adscitis, qui Examinatores vocantur, ordinandorum genus, personam, aetatem, in-

[1] S. C. Conc. in *Meliten.* 20 nov. 1592.

[2] S. R. Congr. 16 sept. 1747.

[3] Cap. V, Sess. XXIII Conc. Trid. *de Reform.*

stitutionem, mores, doctrinam, et fidem sedulo expendant [1]. Ius autem instituendi hoc examen competit etiam Episcopo ad ordines conferendos delegato, etiamsi ab Episcopo delegante fuerit factum. Tertium denique scrutinium fit in ipsa ordinatione (de quo loquitur Cap. unic. de scrut. in ordine faciendo), quando Episcopus in ipso actu ordinationis quaerit, utrum ordinandi digni sint ut initientur, cui Archidiaconus respondere debet iuxta scientiam publicam, quamvis ut persona privata habeat notitiam de occulto impedimento.

ARTICULUS VI.

De obligationibus Ordinatorum.

843. Ut Sacri Ordines sanctius et liberius exerceantur, duae sunt leges, quibus ordinati obligantur; scilicet lex recitationis officii divini, et lex coelibatus. De prima nihil attinet dicere: de altera nonnulla adnotanda sunt de subiecto legis, et de eius dispensatione.

844. Porro in Ecclesia occidentali omnino id praecipitur, ut in sacris ordinati coelibes sint: hinc si quis coniugatus, vivente uxore, velit Sacris initiari, necessarium est ut iis praescriptionibus pareat, quas infra exponemus in Tractatu de Matrimonio.

845. Circa vero dispensationem a lege coelibatus, sufficiat notasse, quod subdiaconi non raro, diaconi rarius, praesbyteri rarissime dispensati fuerunt. De Ecclesiae orientalis disciplina supra locuti iam sumus.

CAPUT VII.

DE MATRIMONIO.

846. Matrimonium sponsalibus initiatur, consensu perficitur, copula consummatur, aliquando plene vel minus plene dissolvitur. Primum igitur de sponsalibus, deinde de iis quae ad matrimonium ipsum referuntur disserendum est.

[1] Conc. Trid. Sess. XXIII, cap. VII et XII *de Reform.*

ARTICULUS I.

De Sponsalibus.

847. De Sponsalibus quatuor inquirenda sunt: 1) quid ea sint, et quae iisdem essentialia; 2) quae accidentalia; 3) qui eorum effectus; 4) denique an et propter quas causas dissolvi possint.

1. Sponsalia sunt « promissio deliberata, mutua, et vera, ac signo sensibili expressa, futuri matrimonii inter personas determinatas, ac de iure habiles [1] ». Promissio debet esse *mutua*, id est promissio ac repromissio ex utraque parte acceptata, ita ut sponsalia non coalescant, si una pars promittat, et alia acceptet, quin tamen simul promittat. Debet esse *vera*, hinc non sufficit merum propositum, nec promissio contrahendi sponsalia, nec sufficit promissio *ficta* aut *iocosa*, quae tamen in foro externo nunquam praesumitur, sed probanda est. Debet esse *libera*, unde nec amentes, nec ebrii, neque rationis usu carentes, contrahere ea possunt. Debet esse exterius manifestata vel verbis, vel scripto, vel aliis signis, quae iuxta communem intelligentiam et loci consuetudinem, futuri matrimonii promissionem exprimant. Debet esse inter *determinatas personas*, ac inter personas de *iure habiles*, ad quod duo requiruntur, aetas scilicet competens, quae est septennium [2], ac absentia

[1] Nulla est sponsalium contrahendorum forma a iure communi praescripta; hinc valida sunt statim ac vir et mulier ad contrahendum habiles, serio ac deliberate futuras nuptias mutuo promittant. Apud latinos obligatio contrahendi ecclesiastica sponsalia, seu quae antiquitus sacro celebrabantur ritu, sublata est, gravibus id exigentibus causis et civilia tantum sponsalia coniugio praemitti solent. At apud Orientales, quae antiquitus, eadem quoque hodie disciplina servatur; sponsalia enim scripto, precibus Euchologio contentis, Ecclesiae benedictione, annulo, arrha, osculoque adhibito, aliisque celebrantur caeremoniis: quae quidem solemnitas est apud eos necessaria, ad effectus qui ex iure positivo dimanant consequendos in foro ecclesiastico, quae necessitas a civili potestate primitus fortasse sancita, vim legis non obtinuisset, nisi ab ecclesiastica auctoritate confirmata fuisset.

[2] Sponsalia sive inter infantes contracta, sive a maiori cum infante, pro infectis haberi debent, adeo ut nec publicae honestatis impedimentum pariant. Ea

impedimenti tum dirimentis, tum impedientis. Irrita enim sponsalia sunt inter eos qui vel impediente tantum impedimento laborant.

2. Accidentalia sponsalium revocari possunt ad modum, quo contrahuntur, et ad pacta accessoria. Modus varius est, potest enim quis ea inire vel per se, vel per Procuratorem. Possunt praeterea contrahi vel *pure* et *simpliciter*, vel *in diem*, vel *sub conditione*. *Pure* inita, idest nullo die vel conditione adiecta, statim obligant, quamvis aliquod temporis spatium dandum sit ad ea implenda. Contrahuntur vero *in diem*, cum quis spondet se matrimonium initurum intra certum tempus, quo exacto, quisque redeat ad libertatem suam. Denique *conditionate* inita non obligant, nisi conditione impleta. Si conditio sit turpis, et substantialibus matrimonii bonis adversa, nulla erunt sponsalia; si turpis tantum, vel impossibilis, pro non adiecta habebitur. Pacta denique accessoria sunt vel arrhae vel poenae contra iniuste resilientes.

3. Duo sunt praecipui sponsalium effectus, primus ex ipso naturali iure omnibus pactionibus communis oritur, alter vero a iure positivo profluit. Sponsalibus semel initis, naturalis inter sponsos obligatio nascitur qua alter, altero postulante ad fidem adimplendam adigitur, nisi vel nuptias differendi vel a contractu resiliendi legitima subsit causa. Alter sponsalium effectus est impedimentum dirimens quod ex publica honestate canones petunt, de quo inferius agemus.

848. Si quis fidem sponsalium renuat adimplere, duo suppetunt iuris remedia, iudicis monitio, et censurarum inflictio, quae prudenti ipsius iudicis arbitrio remittitur [1], cum coactiones difficiles soleant exitus habere.

ipsa vero quae inter impuberes celebrantur, quamvis iure canonico cautum sit valere, atque obligationem inducere, statutum tamen est propter imbecillitatem iudicii, ut post pubertatem, ab iis resilire liceat, neque is qui ad pubertatem primus advenerit, teneatur alium expectare, sed statim resilire valeat, imo et debeat, si sponsalia probare nolit, alioquin postea non audiatur. C. S. Off. *ad Vic. Ap. Sutchuens.* febr. 1779.

[1] Cap. 2 h. t., cap. 10 h. t., cap. 17 h. t.

4. Sponsalia dissolvuntur: 1) Mutuo sponsi et sponsae consensu. *Omnis* enim, *res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur* [1], idque etsi fuerint iuramento firmata: quia in omni iuramento promissorio subintelligitur conditio, *Nisi promissarius remittat.* Modo tamen ambo sint puberes, nam impuberes ante pubertatem resilire non possunt [2]. 2) Per matrimonium valide contractum cum alia persona, quamvis sponsalia fuerint iurata [3]. 3) Per superveniens impedimentum matrimonium dirimens, ex. gr. affinitatem inter sponsos contractam, ex unius fornicatione cum persona consanguinea alterius in primo vel secundo gradu. 4) Per discessum unius in regionem longinquam sine consensu alterius [4], nam digrediens censetur iuri suo cedere. 5) Iuxta multos, per notabilem moram culpabilem sponsi vel sponsae in contrahendo matrimonio intra tempus constitutum. Quia qui est in tali mora, censetur alteri obligationem remittere, quamvis ipse ex parte sua adhuc teneatur, si alter velit matrimonium inire: nam culpa non liberat eum ab obligatione contracta; alias commodum ex culpa reportaret. 6) Per fornicationem sponsi vel sponsae cum tertia persona post sponsalia etsi iurata [5]. Sola tamen pars innocens libera est, nec privatur iure suo ob alterius culpam. Sponsus vero, qui cognito suo iure resiliendi, cognovit carnaliter sponsam, tenetur illam ducere, nam per hoc censetur suo iuri renuntiasse, et sponsalia renovasse. 7) Per professionem unius in religione approbata, aut per susceptionem Ordinis sacri, cum utraque matrimonii incapacitatem pariat. 8) Ob quamlibet mutationem notabilem in altero supervenientem sponsalibus, quae si prius extitisset, a sponsalibus merito absterruisset, et ob quam consensus datus non censeatur, secundum prudens iudicium, extendi ad talem casum; ut si superveniat notabilis deformitas, aut infirmitas, morbus contagiosus, mutilatio [6]

[1] Cap. 1 de reg. iur.

[2] C. 7 de sponsal. impuber.

[3] Ex cap. 22 et 31 de sponsal.

[4] C. 5 de sponsal.

[5] C. 25 de iureiur.

[6] Ex c. 25 de iureiur.

Item infamia, graves inimicitiae inter utramque familiam, vel inter ipsos sponsos ortae, paupertas, sponsae corruptio etsi per vim, defectus dotis promissae, magna mutatio morum in peius, haeresis tum per se, tum ob periculum perversionis in coniuge vel in prole. Denique, si quid istorum vel simile antea latens, detegatur post sponsalia: ut si quae putabatur legitima, vel nobilis, vel dives, vel virgo, talis non sit [1]. Secus dicendum, si aliquid istorum ante sponsalia non latuerit, atque eo non obstante, aliquis sciens ac volens promiserit, excepta haeresi. Non possunt tamen dissolvi sponsalia ob haereditatem alterutri obvenientem; quia alter per hoc non est factus deterioris conditionis. 9) Si ex matrimonio mali exitus timeantur [2], vel grave scandalum, perturbatio, etc.

849. Quando praedictae causae sunt manifestae non requiritur Iudicis sententia ad sponsalia dissolvenda, secus requiritur. Quod si sponsus, cognito iure suo resiliendi, nihilominus carnaliter sponsam cognovit, censetur tacite iuri suo renuntiasse, et sponsalia ratificasse [3].

ARTICULUS II.

De Matrimonii natura.

850. 1. Matrimonium in triplici statu esse potest, scilicet *naturae*, vel *societatis civilis*, vel *societatis Ecclesiae*. Primum est quod contrahitur inter personas non baptizatas, nullisque civilibus legibus obstrictas. Alterum est quod contrahitur inter personas non baptizatas, sed legibus civilibus subiectas. Tertium denique est quod inter personas christianas, vel quarum una saltem christiana sit, initur, quo sub respectu matrimonium est « Sacramentum inter baptizatas personas, quo vir et mulier iure naturali et ecclesiastico habiles mutuo consensu vinciuntur foedere maritali unico et indissolubili ».

[1] Ex l. 5 de sponsal.

[2] Ex cap. 17 de sponsal.

[3] LAYMANN, *de Matrim.* cap. 2, n. 20.

Ex ipsa vero huius Sacramenti natura scilicet ex institutione et voluntate Christi, in coniugiis christianorum inseparabilis est ratio contractus et Sacramenti. Hinc apparet quodnam sit ferendum iudicium de matrimonio quod vocant *civile*, deque ea civili legislatione, quae profanat nuptias a Christo consecratas et legalem concubinatum matrimonii civilis nomine cohonestatum inducit, cum constet, ut ipsis Pii IX verbis utamur [1], inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem, cuiuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum.

2. Materia huius Sacramenti remota sunt corpora contrahentium, materia proxima est consensus expressus, quatenus significat traditionem; forma est ipsemet consensus expressus per verba aut nutus, quatenus indicat acceptationem utriusque partis; ministri vero sunt ipsi contrahentes.

3. Matrimonium est *legitimum*, quod iuxta leges et per consensum legitimum contrahitur, habetque rationem contractus naturalis [2]. *Ratum* seu approbatum ab Ecclesia est illud quod praeter rationem contractus naturalis, habet etiam dignitatem Sacramenti, seu quod inter baptizatos contrahitur. *Consummatum* denique est quod carnali copula perfectum est.

4. Denique ratione modi quo illud contrahitur, matrimonium dividitur in *publicum*, et *occultum* seu *conscientiae*, cui adiungi potest illud ad *morganaticam*. Publicum est quod initur publice coram Parocho et testibus: occultum quod ita contrahitur, ut coram populo non adpareat.

851. Quibus autem et quomodo matrimonia occulta sint permittenda, qualiter celebranda, quaeque iis celebratis agenda ut con-

[1] Alloc. 27 sept. 1852.

[2] Cum infidelium matrimonia non sint Sacramenta, nec ideo iure canonico regi possint, ne contrahentes in re tam gravi sint exleges, verius Principum sive fidelium sive infidelium potestate et iurisdictione reguntur. D'ANNIBALE p. 215.

sulatur proli, intelligendum est ex Const. Bened. XIV *Satis vobis* ann. 1741. Porro leges in ea praescriptae aliae antecedunt contractum ipsum, aliae concomitantur, aliae subsequuntur.

852. Leges quae occultum matrimonialem contractum antecedunt sunt: 1) ut denunciationes nonnisi propter legitimas et graves causas dispensentur ab iis ad quos pertinet; 2) ut diligens fiat inquisitio super qualitatibus personarum, quae tale matrimonium contrahere petunt, an videlicet sint sui, vel alieni iuris, an sint clerici, an soluti a vinculo alterius matrimonii.

853. Quae concomitantur sunt: 1) ut Parochus potius, ut peritior, quam alius Sacerdos de Episcopi vel Parochi licentia, huic matrimonio assistat; 2) ut per Parochum vel alium Sacerdotem qui opportuna cum facultate assistentiam praebet, moneantur contrahentes ut sobolem procreandam regenerari baptismi lavacro curent, ut eam legitimam agnoscant eamque pietate bonisque moribus imbuere studeant, fruique bonis temporalibus patiantur a maioribus relictis vel provida legum auctoritate delatis. Nec Parochus matrimonio assistat, nisi prius ista monuerit.

854. Quae subsequuntur sunt: 1) ut celebrato matrimonio, exhibeatur Episcopo illius dpcumentum cum nota loci et temporis testiumque qui celebrationi interfuerunt; 2) ut Episcopus curet tale documentum transcribi in libro prorsus distincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more adnotantur; 3) ut talis liber pro matrimoniis secretis adposite compactus, clausus et sigillis obsignatus in Cancellaria caute custodiatur, eaque circa illum serventur, quae in citata Pontificis decretali sapienter disponuntur; 4) ut proles progenita ex occulto huiusmodi matrimonio, baptizetur in ecclesia, Episcopo denuntietur a patre baptizati, vel matre, ac notetur in altero libro secreto, iisdem cautelis asservando in Curia.

855. Denique matrimonium ad *morganaticam* est quando vir nobilis post susceptos ex nobili uxore filios, ea iam defuncta, coram Parocho et testibus, obtenta prius a proclamationibus dispensatione, alteram ex humiliori ordine ducit, addita conditione, ut tam mulier quam filii ex eo matrimonio nascituri, nihil sibi iuris

ex eo adquirere possint, praeterquam ad ea quae ad victum sunt necessaria. Hinc tam mulier quam filii a titulis et successione bonorum exsortes sunt.

ARTICULUS III.

De conditionibus requisitis ad Matrimonium valide contrahendum.

856. Tria ad matrimonium valide contrahendum requiruntur: 1) ut contrahentes sint habiles; 2) ut verus ac mutuus contrahentium consensus per verba de praesenti exprimatur; 3) ut talis consensus praestetur coram Parocho ac testibus. De prima ac tertia conditione in titulo de impedimentis tractabimus; hic igitur de consensu tantum disserendum est.

857. Porro consensus ad matrimonium requisitus debet esse *verus,* talis autem praesumitur in foro externo, nisi probetur contrarium; debet esse plene *deliberatus*, et signo aliquo exteriori *expressus*. Potest autem etiam per procuratorem exprimi. Requiritur tamen 1) ut procurator ad hoc habeat mandatum speciale; 2) ut procurator alium sibi non substituat, nisi hoc ei sit specialiter permissum; 3) ut procurator antequam contraxerit, non fuerit a domino revocatus: alioqui matrimonium nullum est, etiamsi tam ipse quam pars quacum contrahit, revocationem ignoret. Debet praeterea consensus esse liber a coactione seu metu gravi. Sufficit autem consensus conditionatus, si conditio apposita sit de praesenti, vel de praeterito, eaque subsistat, subsistente enim conditione, consensus aequivalenter est absolutus. Si autem conditio sit de futuro contingenti, suspenditur valor matrimonii, usque ad conditionis eventum, quem tenentur contrahentes expectare. Si conditio adiecta repugnet naturae aut fini matrimonii irritum est matrimonium [1]. Si autem conditio adiecta non repugnet naturae aut fini matri-

[1] Cf. cap. *Si conditiones* de cond. app.

monii, licet sit turpis aut etiam impossibilis, pro non adiecta habetur, et validum est matrimonium.

858. Notandum est matrimonia, quorum nullitas in foro conscientiae cognoscitur, sed non potest in foro externo probari, non posse declarari nulla in foro externo. Neque praefati coniuges ad aliud possunt admitti matrimonium, quamdiu impedimentum prioris matrimonii manet occultum, atque nullitas praedicti matrimonii non est probata in foro externo. Hinc si ii ad alias nuptias transierint, secundum matrimonium nullum est habendum in foro externo. Quo in casu non licet huiusmodi coniugibus, etiamsi nullum adsit neque timeatur scandalum, in posteriori matrimonio remanere, quamdiu nullitas prioris in foro externo probata non fuerit; sed monendi sunt ut impedimentum notum faciant, et Vic. Ap. utatur facultate dispensandi [1].

ARTICULUS IV.

De requisitis ad Matrimonium licite contrahendum.

859. Ad matrimonium licite contrahendum requiritur: 1) ut petatur parentum consensus, ob reverentiam ipsis debitam. Quamvis enim consensus parentum non sit necessarius ad valorem matrimonii [2], tamen necesse est illum petere ad liceitatem coniugii; inconsultis enim parentibus vel iure invitis, inire nuptias, insignis contemptus est; et de hac necessitate intelligendi sunt Canones et Patres requirentes consensum parentum. Parentes tamen haud valent eorum dissensu impedire filiorum connubium [3].

860. Requiritur 2) ut fiant denuntiationes, seu proclamationes. Etenim Conc. Trid. [4] sic statuit « ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus

[1] S. C. de Prop. Fid. 11 febr. 1804, ad Vic. Ap. Cocincinae. Collect. n. 1225.

[2] Ex Trid. Sess. XXIV, cap. 4 *de Reform.*

[3] S. C. Conc. in Milevitana *Remotionis impedimenti* 20 martii 1880.

[4] Sess. XXIV *de Reform.*, cap. 1.

continuis diebus festivis, in ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum [1] ».

861. Hae vero denuntiationes stabilitae sunt, ut si quod lateat impedimentum detegatur; hinc quisquis hoc sciat, licet occultum sit, ad Parochum vel Episcopum deferre tenetur. Quaestio autem an denuntiationes fieri possint die festo suppresso, illustratur tribus causis in S. Congr. Concilii pertractatis, scilicet in Brunen. [2], in Tudertina *Denunciationum matrim.* [3] et in Pinerolien. [4] in quibus licet decisa non fuerit quaestio iuris, ex principiis tamen positis liquet, eo tantum in casu peragi posse, quando duo concurrunt, solemnium nempe celebratio, et frequens populi accessus ad ecclesiam. Non prohibetur etiam illas fieri in Vesperis solemnibus. Pius IX, die 8 sept. 1869 indulsit Vicariis Apost. Indiae, cum necessitas inciderit, eas facere diebus ferialibus.

862. Proclamationes debent fieri in Ecclesia parochiali nupturientium a proprio Parocho, qui alium ecclesiasticum virum delegare potest, non vero laicum. Ceterum quoad denuntiationes notandum est, quod: *a*) Si contracturi ex diversis parochiis sint, utrobique fieri debent. Si alteruter vel uterque sponsus ab una, ubi diu habitaverat, in aliam parochiam ibidem habitaturus recens migraverit, in utraque item totidemque vicibus erit matrimonium denuntiandum. Quaenam autem commoratio sufficiat, ut in sola actualis habitationis parochia fiant, ex statutis dioecesanis, vel his deficientibus, ex usu dignoscendum est; plerumque sex menses indicantur. *b*) In loco originis iamdiu derelicto, regulariter necessaria non est matrimonii denuntiatio, nisi agatur de vagis. Si vero dubitetur, sintne aliquo loco faciendae denuntiationes, Ordinarii iudicium exquirendum est. Vagorum autem matrimonium denuntiare nunquam

[1] Una saltem denuntiatio fieri debet in iis etiam regionibus ac parochiis, in quibus Trid. Conc. publicatum non fuit.

[2] 17 iunii 1780.

[3] 19 apr. 1825.

[4] 7 apr. 1862.

licet, nisi facultate ab Ordinario obtenta. *c*) Parochus non denuntiabit matrimonium, nisi petentibus iis ipsis, qui contracturi sunt. *d*) Parochus ad proclamationes non deveniat, nisi ante a sponsis quaesierit an denuntiari publice velint, est enim sedulo inquirendum sponte ne et libere uterque in matrimonium consentiat. Sciscitetur etiam, nisi aliunde ea certo noverit, quanam ipsi aetate sint, ubi demorati fuerint, an in catholicae fidei rudimentis sint satis instructi, an adsit consensus parentum, praesertim vero inquirat de statu libero, qua in inquisitione observanda ea sunt, quae a S. Congr. Inquisit. praescripta fuerunt annis 1658 et 1665, ac denuo sub Clemente X, die 21 aug. 1670, et sub Leone XII, die 25 dec. 1827. Nonnulla dubia circa Instructionem an. 1670 recentius proposita, resolvit S. Off. die 24 febr. 1847. Eadem Instructio in memoriam revocatur in recentissima Sup. Inq. Instructione ad probandum obitum alicuius coniugis [1]. Quod si praefatorum Decretorum exsecutio difficilis sit in nonnullis circumstantiis, recurrendum est ad Sedem Apostolicam, quae Ordinariis solet indulgere, ut remedio iuramenti suppletorii utantur.

863. Si infra duos menses post novissimam denuntiationem, matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur necesse est, nisi aliud Episcopo visum fuerit. Ubi non sunt in usu, restituendae sunt.

864. Ceterum Parochi ne unam quidem ex hisce denuntiationibus praetermittere possunt, aut etiam interrumpere, nisi Ordinarius veniam fecerit, et gravissime monentur Episcopi, ut sint *difficiliores ad remittendas publicationes*, a quibus contracturi matrimonium saepe per malitiosam suggestionem petunt dispensari [2]. Nihilominus, legitima causa interveniente, dispensari potest, imo aliquando etiam debet, tum in ordine ad aliquam, tum etiam ad omnes denuntiationes, primo quidem ab Episcopo, sive ab iis qui iurisdictionem episcopalem habent, cuiusmodi est Capitulum Sede

[1] Cf. Lucidi p. 517, tom. 3.

[2] Bened. XIV, Const. *Satis Vobis.*

vacante, Abbas nulli Episcopo subiectus relate ad suos subditos, Legatus a latere in legationis provincia, Cardinales pro suis titulis. Secundo dispensari etiam legitime potest a Vicario Generali, non vero a foraneo, nisi Episcopus aliter disposuerit. Tertio poterit et a Parocho, si duo haec concurrant: 1) quod non pateat aditus ad Episcopum; 2) quod dispensationis causa talis sit et tanta, ut Episcopus teneretur ad dispensandum.

865. Legitime vero dispensandi causae ad duo capita reduci possunt. Primum est probabilis timor, sive suspicio quod matrimonium malitiose impediatur, de qua causa expresse meminit Conc. Trid. Sess. XXIV. Alterum est prudens periculum gravis damni sive animae, sive corporis, sive famae.

866. Ad poenas quod attinet contra eos qui culpabiliter denuntiationes omittunt statutas, notandum est, quod prima habetur in Cap. *Cum inhibitio* [1] his verbis: « Si parochialis sacerdos tales (contrahentes) sine denuntiationibus coniunxerit, per triennium ab officio suspendatur ». Haec tamen poena *ferendae sententiae* est. Secunda poena ex eodem capite procedit contra ipsos contrahentes, et statuit ut illis condigna poenitentia imponatur. Tertia, quae habetur in Cap. *Ex tenore*, statuit ut si coniuges prolem suscipiant ignorantes se impedimento aliquo dirimente laborare, et matrimonium contraxerint, non praemissis denuntiationibus, proles, quae aliunde a iure tamquam legitima admitteretur, tamquam legitima non habeatur. Quarta denique in Conc. Trid. [2] est amissio spei dispensationis obtinendae super impedimento postea detecto; seu difficilius contrahentes dispensationem consequentur.

[1] De Cland. Spons.

[2] Sess. XXIV, cap. 5.

ARTICULUS V.

De impedimentis Matrimonii tum dirimentibus tum impedientibus.

867. Impedimentum Matrimonii est obstaculum, quod illud reddit vel omnino *invalidum* vel saltem *illicitum*. Unde impedimenta Matrimonii sunt duplicis generis: alia enim dicuntur dirimentia, quae ipsum contractum irritant, seu impediunt quominus valide ineatur, tollunt enim habilitatem contrahendi; alia vero dicuntur impedimenta impedientia, quae matrimonium illicitum reddunt.

868. Porro exclusive propria et solius Ecclesiae est potestas constituendi impedimenta matrimonii. Hinc practice consequitur, matrimoniis fidelium, quibus nullum obstat canonicum impedimentum, suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, qualiacumque tandem fuerint impedimenta a saeculari potestate, Ecclesia nec consulta nec probante, perperam ac nulliter constituta [1]. Contra vero matrimonium cum ecclesiastico impedimento attentatum, nulla civili lege cohonestari, perinde ac si validum esse posset ut contractus, licet invalidum esset ut Sacramentum. Cum vero impedimenta sint vel recidant in leges inhabilitantes, ideo nec ignorantia, nec vis, nec metus, ab eis incurrendis potest excusare. His generatim praemissis, de singulis impedimentis breviter agemus.

SECTIO I.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

869. Impedimenta dirimentia hodie existentia sunt *defectus consensus, conditio matrimonii substantiae contraria, error, conditio servilis ignorata, vis et metus, raptus, clandestinitas, cognatio* sive *naturalis* (consanguinitas), sive *spiritualis*, [sive *legalis*

[1] S. Poenit. 1 iunii 1824 ex Instr. Sup. Inqu. per Sacr. Congr. Conc.

(adoptio), *affinitas, honestas publica, ligamen, crimen, cultus disparitas, ordo, votum,* seu professio religiosa, *aetas, impotentia.*

870. Impedimenta dirimentia alia inducta sunt iure naturae vel divino, alia vero iure ecclesiastico.

871. Impedimentis iuris naturae vel divini, ligantur omnes sive baptizati, sive infideles: impedimentis vero iuris ecclesiastici, soli baptizati. Haereticos vero impedimentis iuris ecclesiastici ligari constat [1]. Neque excipiendum est impedimentum clandestinitatis, sed ab eo in determinatis tantum circumstantiis haeretici sunt liberi.

872. Porro impedimenta matrimonii ex sex causis dimanant, alia scilicet ex defectu consensus, alia ex defectu naturae, alia ex defectu libertatis, alia ex defectu modi, quo matrimonium initum est, alia ex defectu illius reverentiae, quae propinquis debetur, alia ex defectu sanctitatis. De singulis summatim agendum est.

873. Consensus multiplici ex capite in matrimonio ineundo deficere potest, sive ob *errorem,* sive ob *conditionem,* sive ob *vim* et *metum,* sive ob *raptum,* sive ob *insaniam* et *furorem.* Ordiamur a primo.

§ 1. — *De impedimento erroris.*

874. Duplex distingui debet erroris genus. Vel enim error est *quoad substantiam,* sive quoad personam contrahentium, vel *quoad qualitates* personae. Uterque est aut *antecedens,* seu dans causam contractui, quo praecognito contractus initus non fuisset, aut *concomitans,* qui non dat causam contractui, ac talis est ut si fuisset praecognitus, nihilominus initus fuisset contractus.

875. Iam error *quoad substantiam* sive quoad personam, sive sit antecedens, sive concomitans, sive vincibilis, sive invincibilis, impedimentum dirimens constituit; errantis enim nullus est con-

[1] Bened. XIV, Const. *Magnae nobis* 29 iun. 1748; Const. *Ad tuas manus* 8 aug. 1748; Const. *Singulari Nobis* 9 febr. 1749; litt. 12 sept. 1750, ad Episc. Vratislaviensem; Pii VI *Rescript. ad Card. de Frankenberg;* brevi Pii VII, 8 oct. 1803, *ad Archiep. Mogunt.*

sensus. Error *quoad qualitates* personae regulariter et per se loquendo non reddit irritum matrimonium, licet ex dolo alterius partis processerit, vel affirmari possit errantem nequaquam voluisse inire matrimonium, si qualitatem illam novisset [1]. Diximus errorem quoad qualitates *regulariter* et *per se loquendo* non reddere irritum matrimonium; si enim qualitas sit praecise posita, ut conditio consensus, vel si qualitas sit signum diacriticum personae, seu si ipsa qualitas personam determinat, tunc error quoad qualitatem censetur refundi in substantiam, et matrimonium irritum reddit.

§ 2. — *De impedimento conditionis.*

876. Per impedimentum conditionis venit et intelligitur conditio servilis ignorata vel ab utroque, vel ab alterutro ex contrahentibus.

877. Quoad hoc impedimentum notandum est: 1) Quod nomine conditionis servilis venit servitus stricte talis, ratione cuius persona aliqua subiicitur dominio alterius, et quidem ita, ut possit etiam venumdari a suo domino. 2) Quod licet servitus ista pertineat ad qualitatem, et non ad personae substantiam, nihilominus, quia error sive deceptio quoad hoc gravissima secum trahit incommoda, ideo optimo iure ab Ecclesia statutum est ut ea impedimentum dirimens constituat, sive servitus ignorata fuerit per ignorantiam invincibilem, sive vincibilem et crassam, sive per errorem antecedentem sive per concomitantem. Cum autem sit a iure ecclesiastico, non dirimit matrimonium inter infideles. 3) Quod si dicta servitus non ignoretur, matrimonium validum est, idque etiamsi contrahatur nolente domino. 4) Quod impedimentum proveniens a dicta servili conditione extenditur etiam ad servitutem diminutam, scilicet quae talis sit solum ad tempus. 5) Notandum quod nomine servitutis de qua agitur, etiam venit illa, quae personam servam non reddit vilem, ut si quis matrimonium contraheret cum femina primaria, et principe bello capta. 6) Notandum, quod absque dispensatione potest matrimonium validari per consensum, prout mox

[1] S. C. Conc. in Valachien. *Matrimonii* 20 dec. 1862.

dicemus, datum sive expresse, sive tacite [1]. 7) Si post matrimonium pars serva libera evaserit, et quidem priusquam pars libera cognoverit eam fuisse servam, matrimonium non convalescit.

§ 3. — *De impedimento vis, et metus.*

878. Metus alius est *gravis,* alius *levis,* alius *iuste incussus,* et alius *iniuste incussus,* alius est iniuste incussus *ad finem extorquendi matrimonium,* et alius iniuste incussus *ad alios fines.* Denique alius est metus proveniens a causa extrinseca et libera, alius proveniens a causa intrinseca et non libera.

879. His praemisis dicimus, ut vis ac metus matrimonium dirimat requiritur: 1) ut sit a causa libera; 2) ut sit gravis; 3) iniuste incussus; 4) ad extorquendum matrimonium. Metus debet esse gravis, scilicet cadens in constantem virum [2]. Gravitas vero aestimanda erit a iudice, spectatis circumstantiis et qualitatibus personae, natura mali, et subiecto metum incutiente. Requiritur ut sit iniuste incussus, ad quod determinandum duo considerari debent, scilicet utrum metum incutiens sive publica, sive privata persona sit, ius habeat matrimonium illud exigendi; ac praeterea utrum ius ei sit minandi et exequendi quod minatur. Si alterutrum deest, metus ut iniuste incussus habebitur.

880. Iure antiquo pars quae metum fuerat passa, poterat deinde supplere defectui consensus vel expresse, vel tacite seu per aliquod factum quod consensum significaret. At post Concilium Trid. requiritur in his casibus, ut consensus iterum ponatur coram Parocho et duobus vel tribus testibus, si impedimentum fuerit publicum, si vero occultum, sufficit consensum clam renovare [3]. Sane idem Pontifex ad Episcopum Hieracensem rescripsit, matrimonium in faciem Ecclesiae coram Parocho et testibus semel initum, quamvis ex de-

[1] Cap. 2 et 4 h. t.

[2] Cap. 15 de sponsal. et matrim.

[3] Ex decl. S. Pii V apud FAGNANUM cap. *Is qui* de fide. Ex resp. S. Poenitentiariae apud Bened. XIV, Instr. 86.

fectu liberi consensus invalidum, convalescere ipso facto per copulam libere supervenientem absque necessitate iterandi formam Tridentini Concilii semel impletam. Dum vero Tridentini formula servata non est, necesse erit omnino ipsam implere.

§ 4. — *De impedimento raptus.*

881. Raptus est, violenta mulieris abductio matrimonium contrahendi causa. Ut igitur habeatur raptus, necesse est: 1) ut mulier abducta fuerit; i. e. translata de loco in locum, saltem de domo in domum, non enim sufficeret ab uno cubiculo ad aliud; 2) ut invita; 3) ut matrimonii cum raptore contrahendi causa abducatur; secus enim raptus non constituit impedimentum dirimens [1].

882. Inde a citata declaratione in more positum est, ut in dispensatione ab hoc impedimento, formulae *dummodo mulier rapta non fuerit* addatur *ad hoc rapta non fuerit.*

883. Iure novissimo Trid. Concilii impedimentum raptus perdurat quousque rapta sub potestate raptoris sit.

884. In dubio an raptus matrimonii ineundi causa vel ex libidine fuerit commissus, circumstantiae ponderandae sunt, et praesertim inquirendum an raptor nuptias iam antea ambiverit, ac repulsam tulerit, quo casu matrimonii ineundi causa raptum fecisse censebitur. Quod si ex circumstantiis iudicium ferri nequeat, praesumitur raptum habuisse locum causa ineundi matrimonii. Utrum vero idem dicendum sit cum non vir mulierem, sed mulier virum rapuerit, disceptatur, et communius negatur.

885. Contra raptores mulierum eisque consilium, auxilium et favorem praebentes adhuc post Const. *Apostolicae Sedis* viget excommunicationis censura ipso facto incurrenda, sed nemini reservata, prout Trid. Synodus [2] eam inflixit.

886. Sunt praeterea perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces raptor, et omnes ei consilium, auxilium et favorem prae-

[1] Ut declaravit S. C. C. die 23 ian. 1586.

[2] Sess. XXIV, cap. 6 *de reform. matr.*

bentes ipso iure: et si Clerici sint, de proprio gradu moti. Tenetur praeterea raptor mulierem dotare prudenti iudicis arbitrio, sive eam duxerit, sive non. Hae vero poenae sunt *ferendae sententiae:* attamen post petitam dispensationem Episcopus propter appositionem manus Pontificis ab iis nequit absolvere; hinc si Episcopo committatur dispensationis executio, absolvet tamquam delegatus Apostolicae Sedis.

887. Ad hoc impedimentum incurrendum nihil refert an mulier rapta sit virgo vel vidua, an probis moribus sit praedita nec ne, sufficit enim ut cum intentione matrimonii ineundi abducatur.

---

888. Quoad amentes seu quoad eos, qui liberum rationis usum non habent; quales sunt stulti, furiosi, imbecilles ea imbecillitatis specie, quae electionis et deliberationis capacitatem auferat, auctores notant quae sequuntur.

889. Certum est 1) omnes istos iure naturali inhabiles esse ad contrahendum matrimonium, quod libertatis usum requirit. Etenim si nequidem de bonis suis per seipsos, et independenter a curatore disponere possunt, quanto minus de persona sua disponere poterunt, eamque in perpetuum obligare?

890. Certum est 2) quod si amentes lucida rationis intervalla habeant, iisque durantibus contrahant nuptias, valide contrahunt, quia tunc adest consensus sufficiens. Idem dicendum de iis, qui debile habent ingenium, sed non eo usque, ut hinc ratio libertatis perimatur; attamen huiusmodi homines ab ineundo matrimonio, si fieri potest, avertendi sunt, tum ob funestos recurrentis amentiae, vel debilitatis ingenii effectus; tum quia matrimonii scopus est ipsa etiam debita et attenta prolis educatio, quae vix, ac ne vix quidem ab hominibus in eo miseriae statu constitutis expectari potest.

891. Quod si instet familia apud Parochum, ut tales personas coniungat, is ante omnia Episcopum consulere debet, ne gravibus

se exponat incommodis. Etsi enim quilibet praesumatur sanae mentis; et qui allegat seu alii obiicit furorem, debeat ipsum probare; cum tamen de dementi statu constat, tunc ei, qui factum suum tuetur, seu matrimonii validitatem defendit, probandum incumbit ipsum durantibus lucidis intervallis fuisse celebratum.

892. Deveniendum nunc est ad aliam classem impedimentorum, quae oriuntur ex defectu naturae. Natura in ordine ad matrimonium deficere potest sive in iis, qui tenera in aetate versantur, sive in iis qui debiles sunt corpore, et frigidi, ac maleficiati dicuntur. Hinc duplex impedimentum oritur, *aetatis* scilicet, et *impotentiae*.

§ 5. — *De impedimento aetatis.*

893. Ad matrimonium ineundum legitimam pubertatis aetatem requiri, compertum est, quae in iure ita praefinitur, ut si mares decimum quartum aetatis annum, feminae duodecimum non habeant, ineundis nuptiis impares sint. Etenim plerumque hac aetate minores, neque matrimonii vim intelligunt, neque physica aptitudine ad coniugii usum pollent. Quin imo eiusmodi aetas, nisi constet malitiam supplevisse aetatem, completa esse debet, ut valide contrahi possit. Iam contingere potest quod aliqua gravis causa urgeat, ut puer vel puella matrimonium ante aetatem a sacris canonibus praestitutam ineat. Porro deficiente rationis discretione ad intelligendam vim matrimonii et indissolubile vinculum, a nulla potestate humana poterit dispensari. Si praecessit habilitas moralis, licet adhuc sit impubes, Pontificis Max. est dispensare ad nubendum [1]. Si denique utraque aptitudo, moralis nempe et physica, praecesserit, requiritur declaratio Sedis Apostolicae vel Ordinarii.

894. Impedimentum aetatis iuris ecclesiastici est, hinc matrimonia infidelium contracta ante praescriptam aetatem, praesertim

[1] Bened. XIV, Const. *Magnae nobis* 29 iunii 1748.

in Africa et in Sinis, dummodo adsit consensus, censentur valida ut non semel declaravit S. Univ. Inquisitio.

§ 6. — *De impedimento impotentiae.*

895. Licet nuptias non concubitus, sed consensus faciat, et licet concubitus ad matrimonii veritatem non requiratur, certum tamen est, maritalem statum ad filios procreandos a natura fuisse invectum: hinc potentia ad coeundum necessaria est ad contractum matrimonialem, et si quis laboret physica impotentia sive naturali, sive accidentali, antecedenti et perpetua, inhabilis est ad nuptias contrahendas.

896. Impotentia alia est absoluta, qua quis est impotens respectu omnium; alia respectiva, qua quis est impotens respectu alicuius tantum. Et utraque subdividitur in perpetuam et temporalem. Perpetua est ea, quae tolli nequit sine miraculo, vel sine peccato, vel sine vitae periculo. Temporalis, quae tolli potest sine peccato, vitae periculo, et miraculo, scilicet mediis licitis, ordinariis sive naturalibus sive supernaturalibus, ut precibus, exorcismis contra maleficia etc.

897. Iamvero impotentia perpetua antecedens matrimonium, quamvis se teneat ex parte unius, illud irritat tum iure canonico, ut patet ex titulo de frigidis etc., tum iure naturali: quia matrimonium consistit in mutua traditione potestatis corporis ad copulam aptam generationi. At impotentia perpetua ex natura rei, ideoque iure naturali, impedit talem traditionem; nemo enim potest tradere potestatem actus, quem nullo modo habet in sua potestate, nec se obligare ad id, quod dare vel facere nequit, *cum impossibilium nulla obligatio sit* [1]. Quare impotentia perpetua absoluta dirimit matrimonium respectu omnium; respectiva solum respectu illius personae ad quam est. Impotentia vero temporalis nullo iure irritat matrimonium, c. 6 de frigid.

[1] L. 46 de reg. iur.

898. In praxi animadverti debet varias praescriptas esse solemnitates, quae sedulo servari debent, ut matrimoniales causae de impotentia definiantur.

899. Non solum exacte servandae sunt praescriptiones Benedicti XIV in Const. *Dei miseratione* [1], sed impotentia plene probari debet. Porro, ut dilucide exponit cl. Feije [2]. Iudex ecclesiasticus ad comprobandam veritatem istius impedimenti decernere debet inspectionem corporum contrahentium, quae exploratio in viris fit a duobus saltem medicis, adhibitis honestis mediis, in mulieribus, a duabus obstetricibus, adstante semper et praesente honesta matrona ad hoc deputata. Peracto examine, si signa impotentiae evidentia physice non sunt, coniuges iurisiurandi religione interposita affirmare debent, nunquam matrimonium consummare valuisse, et audito testimonio septimae manus, idest septem consanguineorum utriusque coniugis, vel saltem vicinorum bonae famae, si consanguinei haberi nequeant, qui iurent se credere coniuges dixisse verum, auditisque peritis et obstetricibus, si defensori matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, finis imponetur probationum collectioni, atque publicabitur processus. Locus deinde erit defensionibus et publicationi sententiae, quae si nullitatem decernat, nunquam transit in rem iudicatam, imo ut coniux potens (vel si impotentia fuerit respectiva utraque pars) alias inire nuptias queat, requiruntur binae sententiae conformes, non obstante quavis consuetudine contraria [3]. Ceterum cum impedimentum sit publicum, partes nequeunt, etiam secluso incontinentiae periculo, simul cohabitare ut frater et soror, nisi scandalum in casu particulari amoveri possit.

900. Quod si signa dubia sint, recurrendum est ad triennale experimentum computandum a tempore attentatae copulae, si per plures annos coniuges cohabitarunt, a die vero quo Iudex senten-

[1] 3 novembr. 1741.

[2] In opere *de impedimentis matrimonii,* cap. 24.

[3] S. C. C. in Marianen. Dubia *super Matrimonio* 15 decembr. 1877.

tiam protulit si paulo post matrimonium contractum reclamatum est, sed hoc experimentum fere exolevit.

901. Transacto triennali experimento ob dubia impotentiae signa concesso, si non iteratur instantia, nihil praestatur, sed si iteratur, denuo facienda est inspectio. Qua peracta, si signa impotentiae sive physice evidentia, sive moraliter certa reperta sunt, pronuntiari potest nullitas, expletis quae superius diximus. Si vero ne moraliter quidem certa fuerint reperta, sed dubium maneat, videndum est quid ipsi coniuges asserant. Si vir neget fuisse consummatum matrimonium, femina vero affirmet, fides est habenda affirmanti, nisi vir per aspectum corporis convincat eam esse virginem. Si femina neget, vir autem affirmet, fides habenda est viro, nisi mulier per aspectum corporis probet se virginem esse. Quando vero dubia manent signa, praxis est dispensandi in matrimonio rato, dummodo constet non esse consummatum. Addi etiam solet clausula, ut pars impotens aliud matrimonium non contrahat inconsulta S. Congr. quae interdictio est tantum impedimentum impediens. Sententia vero, qua matrimonium diremptum est, cum numquam transeat in rem iudicatam, ideo si postea apparuerit impotentiam vel nullam vel non perpetuam fuisse, ad matrimonium diremptum redeundum est, quamvis uterque coniux ad alia vota transierit [1]. Ceterum si putati coniuges sunt in bona fide, regulariter in ea relinquendi sunt [2]. In casu quo lex civilis non permittat irritum declarare matrimonium, et vicissim illud nullum iudicet lex canonica, in subsidium potest vocari, remoto tamen scandalo, proprie dictum civile divortium.

§ 7. — *De impedimento ligaminis.*

902. Ex libertatis defectu oritur impedimentum ligaminis in eo consistens, quod quis aliud matrimonium valide inierit, quo stante,

[1] Bened. XIV, Const. *Dei miseratione.*

[2] Annib. *de Matr.* pag. 258.

alterum contrahi nullatenus potest. Et ipsi polygami infideles, qui ad fidem convertuntur, eam retinere tenentur in uxorem, cum qua primum matrimonium valide contraxerunt.

903. Nulli vero coniugato fas est ad alias nuptias transire, nullumque temporis lapsum sufficere potest, ut coniugibus liceat alteri nubere, nisi prius constiterit morali certitudine priorem coniugem obiisse [1]. Quando vero moralis haec certitudo de morte prioris coniugis habeatur, ex diversis Apostolicae Sedis documentis colligitur [2]. Horum documentorum summa est: 1) Necessarium est documentum authenticum obitus ab auctoritate ecclesiastica, vel etiam civili, si ab illa nequeat haberi. 2) In huius documenti defectu suppletur per depositiones testium, qui sint saltem duo, iurati, fide digni, et qui de propria deponant scientia; qui si propinqui defuncti sint, maius pondus habebunt. 3) Unius testis depositio per se non sufficit, nisi aliis fulciatur adminiculis, ex. gr. quod coniux iam in gravi aetate erat tempore discessus, vel aeger etc. Haec si desint, debet esse certum in testimonio nihil reperiri, quod non sit verisimile et congruum. 4) Si testis de visu non adsit, sufficiunt de auditu, dummodo omni fide digni sint. 5) In defectu omnium testium, ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis probatio petenda erit prudenti iudicis arbitrio. 6) Fama adiuta aliis adminiculis, obitum probat, dummodo a duobus saltem testibus fide dignis et iuratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famae. 7) Facienda tandem est investigatio per publicas ephemerides.

§ 8. — *De impedimento criminis.*

904. Duplici ex capite inducitur impedimentum criminis, nimirum ex adulterio, vel ex coniugicidio.

[1] Cap. *In praesentia* 19 De spons., et cap. 2 De secund. nup.

[2] Cuiusmodi sunt Const. *Cum alias* 20 aug. 1670 Clementis X; Instructio S. O. 22 iunii 1822 et Instructio eiusdem S. O. quae incipit *Matrimonii vinculi* data die 13 maii 1868. Collect. n. 1372, 1363 et sqq.

905. 1. – In casu adulterii, in duplici eventu impedimentum illud exoritur: 1) nempe quando adulter cum adultera nuptias de facto contrahit, vivente adhuc coniuge, quem uterque vel alteruter habet; 2) quando adulterium committitur cum promissione matrimonii contrahendi post coniugis obitum, quem alteruter vel uterque habet [1]. Quocirca adulterium solum impedimentum non inducit, neque sola promissio data, vivente legitima uxore, de nuptiis ineundis post eius obitum, aut solum coniugium de facto initum absque adulterio, inducit dictum impedimentum. Nihil vero interest utrum promissio de praesenti vel de futuro matrimonio praecedat aut comitetur aut sequatur adulterium; semper enim impedimentum contrahitur.

906. In utraque autem specie variae concurrere debent conditiones. Siquidem ad inducendum impedimentum ex adulterio cum promissione matrimonii tres requiruntur conditiones ex parte adulterii: 1) ut sit verum, nimirum sub valido matrimonium patratum, sive matrimonium sit ratum, sive consummatum, sive adulter habitet cum coniuge vivente, sive sit per divortium separatus; 2) ut copula adulterina sit consummata id est perfecta; 3) ut adulterium sit formale scilicet ut sit cognitum complici. Verum si uterque adulter fuerit coniugatus et alterutrius tantum matrimonium utrique sit cognitum, id satis est, ut impedimentum contrahatur, quia adulterium formale est ex utriusque parte. — Ex parte vero promissionis tria exiguntur: 1) ut sit seria et aliquo signo manifestata atque a complice acceptata; 2) ut nullo modo promissio, si praecesserit, ante adulterium revocata fuerit; 3) requiritur ut tam promissio quam adulterium sub eodem legitimo matrimonio interveniant [2].

[1] Can. *Relatum*, Caus. 31, q. 1.

[2] Quoad promissionem conditionatam haec proponitur doctrina. *a*) Impedimentum existit, si conditio sit de praeterito vel de praesenti, et verificetur. *b*) Si conditio de futuro ante adulterium deficiat, impedimentum ex communi doctrina non oritur; si post adulterium deficiat ante obitum coniugis, seu ante solutum, quod nunc est matrimonium, sunt qui impedimentum putent existere, sed probabi-

907. Ad alterum casum quod pertinet scilicet ad adulterium cum matrimonio de facto inito requiritur ut adulterium expositas iam conditiones habeat, et ut matrimonium attentatum sit vivente eodem coniuge.

908. 2. – Ex altero capite, nempe ex coniugicidio, in duplici quoque eventu contrahitur impedimentum, quorum primus est cum vir et mulier, non interveniente adulterio, insimul machinati sunt in mortem coniugis alterutrius, eo animo, ut possint, coniuge e vivis erepto, contrahere inter se nuptias. Alter contingit quando committunt adulterium, et inde ipsorum alter animo ineundi nuptias interficit suum vel complicis in adulterio coniugem. Porro in utroque casu impedimentum contrahitur, etiamsi nulla intercesserit matrimonii promissio.

909. Ut per coniugicidium absque adulterio, contrahatur impedimentum, tria requiruntur: 1) Ut alterutrius coniugis mortem machinatus sit uterque, non enim sola ratihabitio caedis coniugis ab altero patratae sufficit, sed necessario utriusque machinatio praecedere debet; 2) ut ex tali machinatione secuta sit mors, non sufficit vero si contigerit ex imperitia vel negligentia medici aut ipsius defuncti; 3) ut conspiratio ista fuerit facta animo nuptias contrahendi, satis autem est si alteruter tantum ex conspirantibus hanc intentionem habuerit. Probabilius est intentionem aliquo signo debere esse patefactam, ex. gr. donis, litteris amatoriis.

910. Ad inducendum vero impedimentum ex coniugicidio una cum adulterio requiritur ex parte adulterii, ut sit verum, consummatum atque utrinque formale: ex parte coniugicidii, ut ea inten-

lius non existit, nam non verificata conditione promissio censetur ac si non facta. Verum communis est doctrina impedimentum oriri, si ante adulterium, vel post, sed ante obitum coniugis conditio impleatur. *c*) Si conditio de futuro suspensa maneat quando moritur coniux, opinamur impedimentum non existere, quia adulterium non concurrit cum promissione. *d*) Si conditio sit impossibilis vel in se turpis, in foro externo censebitur impedimentum existere, quia in eo conditiones huiusmodi habentur pro non adiectis.

tione patratum fuerit ut homicida cum altero adultero contrahere possit, et mors secuta fuerit, non autem requiritur ut communi consilio mors coniugi illata fuerit [1].

911. Cum hoc impedimentum sit de iure ecclesiastico, hinc est quod baptizati qui forte crimen huiusmodi in infidelitate commiserint, eodem impedimento minime afficiuntur. Constat ex resolutione S. Congr. Fid. Prop. die 23 august. 1852 [2]. Sane proposito dubio « Vir infidelis qui ante baptismum copulam habuit cum infideli uxore alterius, cui, annuente muliere fidem de futuro matrimonio acceptante, mortem intulit, potestne post utriusque baptismum matrimonium inire cum dicta muliere ». S. Congr. respondit: Affirmative.

912. Si vero unus complex est fidelis, alter infidelis, tunc si fidelis etiam ea posuit quae impedimentum inducant, hoc existit; secus vero, si solus infidelis illa posuerit. Si unum ex iis, quae ad impedimentum postulantur, contigit in infidelitate, alterum vero post baptismum, impedimentum non existit, excepto tamen si in prima huius impedimenti hypothesi promissio quidem vel attentatio matrimonii locum habuit in infidelitate, sed in ea post baptismum perseverantes adulterentur; tunc enim promissio illa vel attentatio revera virtualiter perseverat, seu veluti renovatur post baptismum.

[1] Impedimentum criminis multiplex erit, si adulterium et coniugicidium eiusmodi sint stipata circumstantiis, ut prima quoque vel secunda hypothesis inde exurgat. Hinc multiplex est criminis impedimentum:

I. Quando una e tribus hypothesibus expositis verificatur circa diversa matrimonia.

II. Quando circa unum matrimonium verificantur plures ex dictis hypothesibus.

III. Quando harum plures verificantur circa diversa matrimonia.

IV. Quando in prima hypothesi cum adulterio concurrit tum promissio, tum attentatio, vel quando in alterutro, vel utroque primae hypothesis casu, multiplicatur impedimentum per unam pel plures e tribus prioribus modo indicatis multiplicitatis causis.

[2] Collect. n. 1256.

§ 9. — *De impedimento clandestinitatis.*

913. Non solum intrinsecae honestati Matrimonii consulendum est, sed etiam extrinsecae solemnitati; sub quo respectu oritur impedimentum clandestinitatis.

914. Hoc impedimentum inductum est iure novissimo, scilicet a Conc. Trid. [1] in Cap. *Tametsi* decernitur: « Qui aliter quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit ». Iamvero in hoc Conc. Trid. Decreto nonnulla breviter observanda sunt ad praxim necessaria. Et: 1) quidem inquiremus ubinam obliget; 2) quinam censeatur Parochus proprius; 3) quandonam domicilium vel quasi domicilium censeatur adquisitum; 4) quaenam causae excusent ab observantia Decreti; 5) quibus in locis publicatum fuerit.

915. 1. Ad primum quod attinet, impedimentum clandestinitatis non ubique locorum viget, sed dumtaxat in illis paroeciis in quibus decretum hoc Concilii promulgatum est, post 30 dies ab ipsa promulgatione. Haec vero praesumitur ubi decretum fuit aliquo tempore in Paroecia observatum tamquam decretum Concilii, vel Romani Pontificis [2]. Quare si publicatio sit facta in synodo dioecesana vel per edictum generale Episcopi, quin deinde Parochi decretum ipsum synodale vel edictum in Parochia legerint, non tenentur parochiani hac disciplinari lege.

916. Ceterum non possunt Episcopi, publicare hoc decretum in locis in quibus publicatum non fuit, absque peculiari facultate Apostolicae Sedis.

917. Ad 2^m quod pertinet, notandum est quod, quamvis sive sponsi sive sponsae adsit Parochus, matrimonium valide celebretur,

[1] Sess. XXIV, cap. 1 *Tametsi* de Reformat. Matr.

[2] Bened. XIV, Const. *Paucis.*

honestatis tamen ratione suadente mos servatur, ut hic, nimirum cui sponsa subest, utrumque coniungat. Cum vero officium parochiale eminenter contineatur in iis, qui Parocho superiores sunt, hinc matrimonium contractum coram Ordinario, postquam coepit possessionem dioecesis, Vicario Generali et Capitulari, validum erit, etiamsi Vicarius Generalis, inscio Episcopo vel contra eius voluntatem, matrimonio assistat. Idem dicendum de Cardinalibus in suis ecclesiis titularibus, de Legatis a latere, etiam inscio vel invito Episcopo, in territorio propriae legationis.

918. Ex Conc. Trid. Parochus debet esse proprius, et talis est Parochus *domicilii* vel *quasi domicilii;* non sufficit enim *originis,* siquidem non locus in quo quis natus est, sed ille in quo habitat, parochianum facit [1].

919. Parochus autem, licet excommunicatus, suspensus, aut interdictus etiam ab administratione Sacramentorum (nisi cum decreto irritante data suspensio fuerit a R. Pontifice) valide assistentiam praebet matrimonio; idemque dicendum de Parocho putativo cum titulo colorato. Invalidum tamen communiter censetur matrimonium contractum coram Parocho, qui publicus haereticus sit et declaratus.

920. Potest Parochus alteri hanc facultatem delegare, dummodo delegatus Sacerdos sit, et sufficit generalis delegatio ex. gr. ad exercenda munia parochialia, ad administranda Sacramenta. At delegatus scire debet mandatam sibi iurisdictionem fuisse, idque sive voce, sive scripto, alias nihil agit. Delegatus vero non potest alteri hanc facultatem subdelegare nisi ipse ad universitatem causarum sit delegatus; is enim potest subdelegare ad casum particularem, delegatus vero ad casum particularem, nequit subdelegare. Licentia autem mere praesumpta non sufficit; quae enim ad valorem et formam substantialem alicuius actus requiruntur, iam tunc adesse debent, quando actus geritur, ita ut ratihabitio subsequens hunc defectum nequeat sanare. Sufficit autem tacita delegatio.

[1] Bened. XIV, Const. *Paucis abhinc.*

921. Ad testes quod attinet, nulla eorum qualitatum ratio habetur; hinc omnes hac de re testimonium ferre poterunt, dummodo natura idonei sint, et licet inviti et reluctantes adsint. Non excluduntur mulieres, Iudaei, aut minores, parentes, moniales etc. Neque testes rogati esse debent. Eorum autem praesentia simultanea sit oportet cum praesentia Parochi, nec sufficit successiva; non sufficit physica, sed moralis requiritur; videre enim et audire contrahentes debent, aut, nisi videant, audire notam ipsorum vocem.

922. 3. Ad domicilium duo simul requiruntur, scilicet habitatio et animus semper manendi, qui animus, nisi aut verbis expressus sit aut actis quae illum significent, ex decennali habitatione praesumitur. Cum autem praesumptio veritati cedat, omnino cessat, si constet aliquem ob accidentalem causam alicubi habitare, qua deficiente discessurus est; quod si cessante tali conditione vel officio, quis ita habitare perseveret, ut ex circumstantiis erui debeat animus perpetuo manendi, domicilium contractum censebitur. Ad illud tamen amittendum non sufficit actualis discessus, nec longa absentia, sed requiritur ut animus non redeundi constet sive verbis sive factis.

923. Quasi domicilium non quidem uno mense, ut nonnulli asserunt, adquiritur, sed per talem habitationem, quam comitetur animus eam continuandi per maiorem anni partem. Neque obstat quod [1] Bened. XIV. admiserit, mense quasi domicilium adquiri. Haud enim ille ex iure quaesivit *quanto tempore* comparatum quasi domicilium censeatur, sed unum solum intendit, quod praesumptionem, angustiori limite mensis coercuit, cum alii diutius expectandum putarent. Mensis igitur adiicitur ad praesumptionem, non ad terminum. Quocirca si de animo non constet, mense praesumitur, sin minus, praesumptio veritati cedit, ac deficiente animo deficit domicilium.

924. Heic vero notandum est quod Sup. Univ. Inq. fer. V loco IV

[1] In Const. *Paucis.*

die 6 maii 1886 [1] decrevit, Concilio Baltimorensi postulante, supplicandum Sanctissimo ut decernere dignetur in Statibus Americae Foederatis [2] se transferentes e loco ubi viget Cap. *Tametsi* in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem unius integri mensis et status sui libertatem uti iuris est comprobaverint, censendos esse ibidem habere quasi domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per maiorem anni partem. Sanctissimus vero fer. IV, 12 dic. praedictum EE. PP. decretum suprema sua auctoritate ratum habere et confirmare dignatus est, contrariis quibuscumque non obstantibus.

925. Siquis duobus in locis domicilium, vel in uno quasi domicilium, in alio domicilium habet, in potestate sua est utro eorum malit, matrimonium contrahere. Parochus autem ruralis, ubi morantur nobiles rusticationis causa, non potest valide matrimonio eorum assistere.

926. Quoad domicilium quarumdam personarum, praestiterit heic notare: 1) quod qui sui iuris non est, patris vel tutoris domicilium retinet, quousque eidem non renuntiet; 2) uxor defuncti mariti domicilium habet donec ei non renuntiet; 3) officiales publici, professores alicuius facultatis vel discipuli et alii qui morantur in aliquo loco propter officium non perpetuum, habent quasi domicilium in ea paroecia in qua incolunt, (ac simul retinent verum domicilium alibi) si per aliquod temporis spatium ibi versentur, animumque habeant ibi per integrum saltem semestre morandi; 4) Alumni Seminariorum vel Collegiorum, puellae in Conservatorio vel Monasterio educationis causa degentes extra civitatem propriam, quasi domicilium habent in paroecia in qua situm est Collegium, Seminarium, Conservatorium, nec verum domicilium amittunt, quod

[1] Collect. n. 1413.

[2] Domicilium vel quasi domicilium heic aestimandum est non ex iure quod viget in eo loco in quo matrimonium contrahitur, ex. gr. in Anglia, ubi quasi domicilium moram exigit 15 dierum, sed ex iure canonico. Neque suppleri potest per simplicem adscriptionem inter municipes. S. C. Conc. 28 aug. 1864.

alibi habent et cui non renuntiarunt [1]. Sunt auctores qui dicunt quod si ii matrimonium velint contrahere, remittendi sunt ad domum parentum; hoc non videtur esse exactum. Nam si ibi quasi domicilium habent, ibi valide contrahunt, etsi deceat ut ad parentes remittantur. Non possunt autem contrahere matrimonium coram Rectore vel Capellano Instituti, nisi is licentiam obtinuerit. Si vero sint in Conservatorio vel Seminario etc. in urbe propria, Parochus proprius erit parochus domicilii paterni, vel fraterni et insuper erit parochus quasi domicilii etiam ille, in cuius paroecia conservatorium situm est. 5) Famulis domicilium est in paroecia in qua famulantur. 6) Expositi morantes in hospitio debent matrimonium contrahere coram Parocho illius paroeciae in qua hospitium existit. Si vero non sint in hospitio, sed aliis commissi sint educationis causa vel famulatus, debent contrahere coram Parocho heri etc. [2]. 7) Coniugandi milites sortiuntur Parochum eius loci, ubi stationis vel praesidii causa commorantur, non vero illius loci ubi sunt in expeditione [3]. 8) Incarceratus non potest contrahere matrimonium coram Parocho carceris, si custodiae tantum causa ibi sit detentus: potest, si perpetuo, aut ad notabile tempus ibi luat poenam. 9) Infirmi regulariter non adquirunt quasi domicilium in hospitali, et casu, quo gravi infirmitate laborantes contrahere debeant matrimonium, aut recurrendum est ad Parochum loci domicilii vel quasi domicilii, ut eius delegatio obtineatur, aut haec ab eius Ordinario petenda est, et exquirendum iudicium Ordinarii loci [4]. Denique vagorum nuptiis assistere debet Parochus loci in quo actu versantur.

927. 4. Ad causas quod attinet, quae ab observantia decreti eximere possunt, haec quae sequuntur notanda sunt. Quod matrimonia clandestina rata et firma consistunt ubi decretum vel *num-*

[1] S. C. Epp. et Reg. 8 oct. 1723.

[2] S. C. Conc. in *Ianuen. Brephotrophii* 5 iulii, 22 novemb. 1856.

[3] Bened. XIV, *Inst. Eccl.* 88, n. 9.

[4] Bened. XIV, *Inst. Eccl.* 33, n. 13, et *Inst.* 88, n. 3.

quam publicatum fuit, vel numquam observatum tamquam eiusmodi Concilii decretum, vel si quando observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit [1]. Quodnam vero temporis intervallum requiratur ad hanc desuetudinem inducendam, definiri generatim nequit, sed in casibus particularibus Sedes Apostolica est consulenda. Non quaelibet autem consuetudo, sed longissimi temporis, scilicet 100 annorum, abrogare potest decretum. Quando Parochia in qua facta fuit publicatio dividitur in duas, necesse non est nova publicatio in nova parochia. Quod si parochiae, in qua decretum viget adiungatur locus in quo non obligabat, vel si paroeciae in qua decretum non obligat adiungatur locus in quo obligabat, in priori casu, locus adiunctus liber est a decreto, in posteriori vero manet subiectus decreto. Eximit ab eius observatione impossibilitas physica vel moralis. Hinc quando Parochus aliusque competens adiri nequit vel nonnisi difficillime, et cum gravi periculo, valet matrimonium clandestine contractum. Notandum vero grave incommodum *communitatis* tantum eximere ab observatione decreti, non vero incommodum personae; agitur enim de decreto irritante, in quo primum tantum respicitur. Nec ignorantia, aut epicheia suffragari possunt. Grave autem incommodum communitatis censetur communiter, si per mensem difficilis sit accessus ad Parochum. In iis vero casibus, in quibus integre observari nequeat decretum eo quod Parochus vel alius ad id muneris rite designatus absit, ac nonnisi difficillime et periculosissime ad eumdem aditus pateat, iniri debent coniugia coram duobus saltem testibus, iisque quantum licuerit, christianis. Ita vero contrahentes, ne sacramenti dignitas vilescat, obligantur lege sistendi se coram Parocho, vel Missionario, quandocumque reduci, ut rite ab eo benedictionem accipiant. Missionarius autem vel Parochus redux, quando sibi de consensu coniugum constiterit, antequam coniuges benedicat eos edoceat, eiusmodi benedictionem ad ritum unice, non ad vali-

[1] Pius VII in Brevi ad Archiep. Moguntinum.

ditatem pertinere coniugii, ac propterea ne committat ut rursus consensus per nova verba exprimatur [1].

928. Quid iuris in illis locis, in quibus vel Tridentinum non est receptum, vel in quibus desit copia Parochi?

Hac in re prae oculis habenda est declaratio Sacr. Congreg. Conc. edita die 19 ian. an. 1607, cui addenda est limitatio, quae in Const. Benedicti XIV quae incipit *Matrimonia* habetur. Sacra igitur Congregatio ita censuit: Ubi decretum Concilii non est publicatum, valere matrimonia contracta absque observantia formae a Concilio ipso praescriptae. Imo sponsalia ipsa transeunt in verum matrimonium per copulam subsecutam. Duae vero sunt regulae ad diiudicandam matrimonii existentiam in hoc casu. Prima est: Si utraque pars, aut alterutra, negat matrimonium fuisse initum, et huius existentia aliunde probari non possit, in foro externo partes ipsae non censentur in matrimonio iunctae, etiamsi copula carnalis locum habuerit. Si tamen post inita sponsalia habita fuerit copula, in foro externo adest matrimonium praesumptum, id est praesumptio iuris et de iure erit, matrimonium existere et sponsalia censentur per copulam transiisse in matrimonium, nisi probetur alterum matrimonium ante hanc copulam contractum. Nec iuvat si ipsi asserant se in actu copulae nihil aliud intendisse, quam naturali inclinationi satisfacere. Altera regula est: Utraque parte matrimonii existentiam affirmante, haec pro certa habetur. Si tamen pronuntiandum esset inter matrimonium quod partes olim initum asserebant, et aliud publice contractum et plene per suos testes probatum, pro posteriore hoc iudicium fertur quoties non afferatur plena matrimonii prioris clandestini probatio. Quod si sponsus et sponsa non maritali affectu, sed fornicario coiverint, non ideo eorum sponsalia in verum matrimonium transeunt coram Deo, ac proinde coram Deo sive in foro conscientiae possunt ad alia vota transire. Sed si in forum externum ac iudiciale deducta sit copula, possent iidem ab ecclesiastico iudice legitimorum instar coniugum

[1] S. C. Fid. Prop. 14 ian. 1821.

haberi. Quo in casu deberet coniux poenam quamlibet ipsamque excommunicationem humiliter potius sustinere, quam cum hac altera muliere carnale commercium exercere non sine lethali culpa [1].

929. Quaeritur an recedentes a locis in quibus Tridentinum Concilium receptum est et accedentes ad loca in quibus non viget, valide matrimonium contrahant, non servata Concilii forma? Porro si tam vir quam mulier incolae sint loci in quo Concilii Decretum promulgatum est, vel ipsi se transferunt in locum ubi publicatum non est animo ibidem domicilium vel quasi domicilium figendi, vel solo animo ibidem matrimonium clandestinum contrahendi. In prima hypothesi validum erit matrimonium, unicuique enim ius est ubicumque maluerit domicilium vel quasi domicilium figere, adeoque etiamsi videatur id facere in fraudem hominis aut legis, ex. gr. ne coram proprio Parocho vel ut sine Parochi praesentia matrimonium celebret ubi decretum non viget, valide contrahit, siquidem nemo in fraudem agit qui suo iure utitur. In alia vero hypothesi matrimonium nullum erit.

930. Quod si unus ex contrahentibus domicilium vel quasi domicilium habeat in loco in quo Decretum viget, alter vero in quo non viget, in hoc loco clandestine contractum matrimonium valebit, siquidem pars altera communicat alteri privilegium, in altero vero loco contractum nullum erit. Hanc ob causam Sup. Univer. Inquis. [2] ad quaesitum propositum a Vic. Apost. Constantinopolitano, utrum valeret matrimonium a quodam Calvinista cum puella catholica contractum coram ministro acatholico Lutetiae Parisiorum, et alterum ab eodem civiliter contractum coram Consule Borussiae Constantinopoli, declaravit, primum ob clandestinitatis impedimentum esse invalidum, alterum vero validum, eo quod Lutetiae Parisiorum decretum Concilii viget tam pro catholicis, quam pro acatholicis, Constantinopoli vero non viget nisi pro catholicis latinis, hinc cum pars heterodoxa nata sit vel domicilium habeat in ea civitate, suum privilegium parti catholicae communicat.

[1] Cap. 44 de sent. excomm.

[2] An. 1878.

931. Denique notandum est quod si qui domiciliati sunt in loco ubi Decretum Trid. nullatenus obligat, in alium divertant locum in quo omnes obligat, invalide clandestine contrahunt in hoc loco, exceptio enim a lege communi non est personalis.

932. Extremum est ut aliqua heic innuamus de haereticorum matrimoniis ac de mixtis coniugiis, non observata forma Concilii. Porro certum est quod lege ecclesiastica omnes ligantur baptizati, quo nomine haeretici etiam veniunt, defectio siquidem ab Ecclesia catholica eos ab obligatione servandi ecclesiasticas leges non eximit. Sane Sup. Univ. Inq. [1], ad dubium propositum ab Episcopo Cameracensi utrum in dioecesi Camerac., ubi Concil. Trid. promulgatum fuit, haberi debeant matrimonia protestantium, qui numquam religionem catholicam amplexi sunt quique coram magistratu civili tantum contraxere, veluti nulla aut veluti dubia, respondit: *matrimonia ibi inter haereticos contracta habenda esse ab Ecclesia tamquam invalida.* Id vero procedit, etiamsi coniugia ineantur in sacellis ac domibus exemptis regii ministri acatholici vel agatur de nuptiis mixtis.

933. Excipiuntur tamen loca quae foederatorum Ordinum dominio in Belgio subiiciebantur, in quibus quamvis promulgatum fuerit Decretum Concilii, tamen per Constit. Bened. XIV 4 nov. 1741 statutum est: 1) Valere matrimonia inita vel ineunda inter duos coniuges haereticos sine catholici parochi praesentia. 2) In eadem addebatur idem dicendum esse de matrimoniis mixtis et de matrimoniis haereticorum inter se vel mixtis, quae extra fines dominii foederatorum Ordinum contrahuntur ab iis, qui addicti sunt legionibus seu militaribus copiis, quae ab iisdem foederatis Ordinibus solent transmitti ad conterminas arces custodiendas et muniendas vulgo dictas *de barrière,* dummodo uterque coniux ad easdem copias pertineat. Denique hanc declarationem complecti etiam civitatem Mosae Traiectensis a republica foederatorum Ordinum iure oppignorationis possessam, quaestiones vero circa matrimonia inita

[1] Die 18 iunii 1831.

in regionibus catholicorum principum ab iis qui domicilium habent in regionibus foederatorum Ordinum dominio subiectis, nec non illis quae in foederatis provinciis contrahuntur ab iis, quorum domicilium est in dominio principum catholicorum, solvendas esse ex iuris canonici regulis iam constitutis de domicilio et quasi domicilio; haec vero in praesens non amplius subsistunt [1].

[1] Ad declarationem Benedictinae Constitutionis praestiterit referre aliqua dubia resoluta a Sup. Un. Inqu. Porro circa matrimonia mixta, quaesitum fuit, an pro intelligentia declarationis Benedicti XIV pro Hollandia comprehendi possent sub nomine haeretici: 1) Illi qui catholice baptizati, a pueritia nondum septennali in haeresi educantur, ac haeresim profitentur; 2) Qui non tam in haeresi quam ab haereticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta et cultu non frequentato, licet aliquoties participato; 3) Qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes haereticae sectae adiunguntur; 4) Apostatae ab Ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes; 5) Qui nati et baptizati ab haereticis adoleverunt, quin ullam solemnem haereseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis. Porro S. C. 6 apr. 1859 respondit ad effectum matrimonii, supranumeratos comprehendi in laudata Bened. XIV declaratione.

ELENCHUS

Locorum, in quibus Tridentinum Decretum de matrimoniis clandestinis publicatum est, et eorum in quibus publicatum non est.

I.

LOCA IN QUIBUS PUBLICATUM FUIT.

NOMINA LOCORUM	NOTANDA
EUROPA	
1. Italia universa et Insulae adiacentes.	Ut notum est ex more ubique recepto de celebrandis coniugiis iuxta formam a Tridentino praescriptam.
2. Galliae universae.	Statim a celebratione eiusdem Concilii.
3. Hispaniarum Regna.	Philippo II imperante. Gibraltariae tamen valent matrimonia clandestina haereticorum et mixta.
4. Lusitaniae Regnum.	Opera piissimi Regis Sebastiani.
5. Poloniae Regnum.	Ex Senatus ac Regis Sigismundi Decreto.
6. Archiducatus Austriacus et prov. eidem adnexae.	Sub Imperatore Maximiliano eiusque successoribus.
7. Silesia sup. et inferior.	Praesertim vero in superiori, quae provincia nunc magna ex parte subest Borussiae.
8. Bohemia.	Prout fidem faciunt litterae an. 1626 ad Congreg. S. Officii.
9. Moravia.	Ut constat ex actis S. O. 11 maii 1633.
10. Hungaria.	Universim, si nonnullas excipias peculiares regiones, ut aliqui contendunt.
11. Moldavia.	Publicatum tamen fuit inter catholicos, adeoque non in ecclesiis schismaticorum, quorum illa Provincia referta est.
12. Valachia.	In ecclesiis tantum catholicorum nec fortasse in omnibus.
13. Ulmia.	Quae urbs nunc subest ditioni Regis Würtembergensis.
14. Tres Electoratus, Coloniensis, Moguntinus, Trevirensis.	Qui postea maxima ex parte cesserunt Regno Borussiae. Publicatum etiam fuit in Monasteriensi dioecesi sub eiusdem Regni dominio.
15. Ducatus Cliviensis.	Sub Rege Borussiae.

NOMINA LOCORUM	NOTANDA
16. Bavaria.	Saltem in primitivis regni huius nominis provinciis. Etenim post annum 1805 novae quoque regiones protestanticae Bavariae accesserunt.
17. Franconia.	Ut constat ex Decr. S. C. Conc. 4 aug. 1743.
18. Palatinatus Neoburgicus.	
19. Ducatus Limburgi, Harlemii ac Mosae Traiectinae.	Ex actib. S. O. 1 iul. 1843.
20. Hollandia, Zelandia, Frisia et foederatae Belgii provinciae.	Ubi ante defectionem a Philippo II fuisse publicatum refert Wex.
21. Magnus Ducatus Luxemburgensis.	Ex actib. S. O. an. 1845.
22. Urbs Genevensis.	Ex actib. S. O. an. 1845.
23. Insula Tine archipelagi.	Ex iisdem.
24. Archipelagus totus.	In ecclesiis catholicis.
25. Constantinopolis ac suburbium Perae.	In ecclesiis catholicis pro latinis tantum.
26. Omnes Hiberniae Dioeceses.	Hoc videre est ex testimonio Arch. Dubl. 8 Martii 1866 dato occasione causae tractatae in S. C. C.
27. Provinciae Imperii Russiaci, nonnullis exceptis.	
28. Ruthenia.	Ex S. O. an. 1835.
29. In universo imperio hodierno Germaniae exceptis matrimoniis mixtis et protestantium.	Ex Bulla Pii X diei 18 ian. 1906.

ASIA

1. Indiae Orientales ac nominatim Goana Archid. et Dioeceses suffraganeae.	Ex Decr. S. C. de Prop. Fide 4 sept. 1764.
2. Ora Malabarica.	Ex C. S. O. 6 april. 1669.
3. Vicariatus Pondicheriensis ac universa ora Coromandelica.	Ex Decr. S. O. 1845.
4. Calcutiae.	Illuc etiam extensa fuit declaratio Benedicti XIV quae publicationem supponit.
5. Regio Bombayensis.	Illuc enim extensa fuit benedictina declaratio.

NOMINA LOCORUM	NOTANDA
6. Plures imperii Sinensis provinciae.	Ad instantiam Vicariorum Apostolic. utriusque Tunchini, orientalis et occidentalis, Sutchuensis et Cocincinae data est instructio a S. Congr. de Prop. Fide pro Sinis ac Regni adiacentibus an. 1821. Iuxta hanc instructionem promulgatum est in Sinis pluribus in locis decretum Trident. Verum ob difficultates obortas ob eiusmodi publicationem ulterior promulgatio suspensa est. Post haec nova instructio ab eadem S. Congr. ad eosdem directa est, qua probabatur publicationis suspensio, et interea missionarii se gererent ad normam earum praescriptionum, quae datae sunt Vicario Apostolico Tunchini orientalis.
7. Tunchinum orientale.	Pluribus in locis primum fuit ex parte publicatum hoc decretum, nempe quoad necessitatem solum duorum aut trium testium, non autem quoad parochi praesentiam. Deinde vero absolute ac integrum hoc ipsum decretum publicatum est.
8. Japonia.	
9. Batavia.	Ex rescripto S. C. de Prop. Fide an. 1823.
10. Georgia.	
11. Loca Terrae Sanctae.	Publicatum est in ecclesiis latinorum.
12. Smyrnae in Anatolia.	Ex actis S. Congr. de Prop. Fide. Apud Maronitas viget clandestinitatis impedimentum, non quidem vi publicationis tridentini decreti, sed vi apostolicae approbationis in forma specifica omnium decretorum synodi prov. Maronit. in monte Libano celebr. an. 1736.

AFRICA

NOMINA LOCORUM	NOTANDA
1. Tripolis in Barbaria.	Ex actis Congr. de Prop. Fide an. 1802.
2. Iulia Cesaraea et Tunetum.	
3. Dioecesis S. Dionysii (Ins. Reun.).	

AMERICA

NOMINA LOCORUM	NOTANDA
1. Regiones omnes quae sub ditione quondam fuerunt Hispanorum sive Lusitanorum.	Vicarius Apostolicus Arizonensis quaesivit utrum pro tota regione quae sub regimine hispanico extitit tamquam promulgatum censeri debeat Concilium, an solum pro ea parte regionis quae tunc temporis incolas habebat. Porro S. O. die 23 ian. 1882 respondit affirmative ad 1^{m} p., negative ad 2^{m}.
2. Regnum Mexicanum.	

NOMINA LOCORUM	NOTANDA
3. Curaçao.	
4. Insula SSmae Trinitatis.	
5. Canada.	Praesertim inferior ex declarationis extensione. Pro dioecesi S. Hyacynthi Sup. Univ. Inquis. ad dubium prop. an valida fuerit promulgatio decreti *Tametsi* Conc. Trid. facta in missionibus et quasi paroeciis illius dioecesis, die 14 nov. 1883 respondit: Iuxta exposita *affirmative.*
6. Urbs et dioecesis Quebecensis.	Saltem ex parte.
7. Prov. Neo-Aurelianensis.	
8. Prov. S. Francisci cum territorio Utah, excepta ea parte eiusdem territorii quae iacet ad orientem fluminis Colorado.	
9. Prov. S. Fidei, excepta parte sept. territ. Colorado.	
10. Dioecesis Vincennopolitana.	
11. Civitas S. Ludovici.	
12. Loca dicta S. Genovephae, S. Ferdinandi et S. Caroli, archidioecesis S. Ludovici.	
13. Loca dicta Kaskaskia, Cahokia, French Village et Prairie du Rocher, dioecesis Altonensis.	
14. Paroecia civitatis Detroitensis.	

II.

LOCA IN QUIBUS DECRETUM PUBLICATUM NON FUIT.

EUROPA

1. Anglia.	
2. Scotia.	
3. Borussia. Cf. supra n. 29 pag. 151.	Presse sumpta.

NOMINA LOCORUM	NOTANDA
4. Pomerania.	
5. Saxonia, Hassia, Hannover, Würtemberg.	Cfr. supra n. 29, pag. 151.
6. Argentoratum. 7. Helvetiae plures pagi inter quos Tigurum. 8. Dania. 9. Suecia. 10. Norvegia. 11. Regiones schismaticorum et haereticorum sub ditione Turcica aliorumque infidelium.	Harum omnium regionum una eademque est ratio, quia longe ante an. 1563, quo editum est Concilii Tridentini decretum, iam defecerant per apostasian a fide catholica; immo nonnullae ante an. 1545, quo convocatum fuit Concilium, haereseos veneno iam infectae erant. Helvetia iam ab anno 1519. Würtemberga eodem fere tempore ac universa Saxonia. Suecia ab an. 1523. Item Dania et sic plus minus reliquae regiones ab Ecclesia Christi separatae sunt.
12. Archidioecesis Athenarum et tota delegatio apostolica Greciae.	Populus autem de hac re ignarus, nulla credit matrimonia clandestina.

ASIA

1. Vicariatus Sutchuensis. 2. Regiones orientales generatim sub ditione Turcica et Persica constitutae.	Ex Congr. S. O.

AFRICA

1. In Abyssinia non viget lex tridentina.	Ex litteris datis ad S. Congr. de Prop. Fide an. 1840.
2. In Insula Madagascar public. non fuit Decretum.	

AMERICA

1. Provincia ecclesiastica Baltimorensis. 2. Philadelphiensis. 3. Neo-eboracensis.	Ex litteris 13 dec. 1817 Sac. Congr. de Prop. Fide.

NOMINA LOCORUM	NOTANDA
4. Bostoniensis.	
5. Oregonensis.	
6. Milwaukiensis.	
7. Cincinnatensis excepta dioecesi Vincipolitana.	
8. S. Ludovici.	Exceptis civitate S. Ludovici et aliis quibusdam locis supra nominatis.
9. Chicagiensis.	Exceptis locis quibusdam dioecesis Altonensis supra indicatis.

III.

LOCA IN QUIBUS DUBITATUR AN PUBLICATUM FUERIT.

EUROPA

1. Brema.	In Circulo Saxoniae inferioris post congressum Viennen. an. 1815 libera declarata.
2. Valachia fere tota.	Ex S. Congr. Prop. Fid.
3. Bulgaria.	Praecipue in Dioec. Sophiae ex Decr. S. O. 31 Augusti 1758.

Heic adiicimus ea loca Europae, in quibus quamvis non constet de tridentini decreti promulgatione, tamen servatur ut concilii decretum ab immemorabili; quo fit ut legitima quidem seu valida habeantur illic celebrata connubia sive a schismaticis aut haereticis inter se, sive connubia mixta, nulla vero ac irrita sint matrimonia catholicorum, non servata forma tridentina. Talia sunt:

1. Transilvania ac praecipue dioecesis Fogaras, a Pio IX erecta in archidioecesim Albae Iuliae nomine, in qua degunt graeci uniti commixti graecis schismaticis.
2. Bulgaria, Valachia, nominatim vero Bukarest.
3. Albaniae et Serviae dioeceses. Cf. Conc. Albanum an. 1705 celebratum et aliud celebr. an. 1871, P. 2, Cap. 8.

ASIA

1. Syria.	Ex actis S. Congr. de Prop. Fide.
2. Insula Cypri.	
3. Ora Malabarica sub aliquo respectu.	In Congr. de Prop. Fide an. 1764, 4 sept. relatum est non constare sufficienter de promulgatione concilii trident. in Malabaria, quia licet fuerit ab arch. Goano acceptatum decretum in quadam synodo, tamen non fuerat publicatum lingua syriaca aut malabarica: quapropter revocabatur decretum S. Congr. Concilii 1673.

NOMINA LOCORUM	NOTANDA
AFRICA	
Promontorium Bonae Spei.	Ex decr. S. O. 22 iulii 1840.
AMERICA	
1. Dioecesis ac provincia Quebecensis in Canada superiore.	Gasparri dicit se ignorare utrum dicendum sit vigere in Guiana Gallica, in insula Guadalupensi, in insula Martinicensi, in insula Sancti Dominici.
2. Universa dioecesis Detroitensis excepta una parochia civitatis Detroit.	
3. California Superior.	Ex Congr. S. Off. 1853 sola praesumptio habetur de promulgatione decreti eo quod a Missionariis Hispanis illuc fides delata est. Ast adhuc certitudo desideratur.

INDEX LOCORUM

Quibus ex S. Sedis indulto extensa est declaratio Benedicti XIV de matrimoniis Hollandiae.

NOMINA LOCORUM	NOTANDA
EUROPA	
1. Foederati Ordines Belgii. Iuxta enumerationem quae fit ab auctoribus huc pertinent ex Hollandia 1) tota hodierna dioecesis Harlemensis; 2) Ultraiectensis, excepto forsan Wehl; 3) Buscoducensis, exceptis Boeckel, Deemen, Dennenburg, Deursen, Herpen, Huisseling, Overlangen, Ravensteyn, Reek, Schayk, Uden, Velp, Volkel, Zeeland, Haren, Macharen, Megen, Teeffelen, Bokhoven, Gemert, Boxmeer, pago S. Antonii et fortasse etiam exceptis Luiksgestel et Œffelt; 4) tota dioecesis Bredana.	N. B. Praeterea similia matrimonia Benedictus XIV dixit valida esse etiam contracta extra fines dominii eorumdem foederatorum Ordinum ab iis qui addicti sunt militaribus copiis, quae ab iisdem foederatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas; dummodo uterque coniux ad easdem copias pertineat. Erant autem Namurcum, Tornacum, Iprae, Menenae, Furnae, Warneton, Knocke, Teneramunda.
2. Civitas Traiecti ad Mosam (Maastricht) in dioecesi Ruremondensi.	Quamvis non iure dominii, sed oppignorationis tantum a republica foederatorum Ordinum possessa. Ubi animadvertendum est, per epistolam decretalem eiusdem Pontificis ad P. Paulum carmelitam excalceatum in iisdem provinciis missionarium, quae incipit *Redditae sunt* sub die 17 sept. 1746 edictum esse, huiusmodi declarationem non suffragari sponsis utrisque catholicis ibidem degentibus, si coram civili magistratu, aut haeretico ministro consensum in matrimonium de praesenti emiserint, nec illud ad formam tridentini contraxerint, aut post contractum more haereticorum, consensum coram Ecclesia non renovaverint.
3. Suburbium S. Petri prope Traiectum ad Mosam.	Ex Congr. S. Off. an. 1844. Die 28 febr. facta fuit extensio ad cautelam Declarationis tam Benedict. quam Leoninae una cum sanatione quoad praeteritum.
4. Vratislavia.	Anno 1765 ex quo sub ditione Borussiae exstitit, ex actis S. Congr. de Prop. Fide.
5. Dioec. Culmen.	
6. Poloniae pars quae ab anno 1780 in Borussiaci regni ditionem venit.	
7. Ducatus Cliviensis.	Regno Borussiae obnoxius anno 1795.
8. Constantinop. eiusque suburbia.	Quamvis enim Benedictina declaratio non fuerit illuc expresse extensa, aequivalenter idem constitutum est quoad illa loca in quibus publicatum fuerat Conc. Tridentinum, dum valida, quamvis illicita, contracta illic matrimonia edicuntur. Ex decret. S. Off. 20 augusti 1769.

NOMINA LOCORUM	NOTANDA
ASIA	
1. Pondicherium.	Anno 1883.
2. Ora Coromandelica.	Anno 1831. Ex litteris S. Congr. de Prop. Fide ex quibus etiam habetur anno 1831 extensam fuisse declarationem ad colonias gallicas.
3. Ora Malabarica.	Sub conditione quondam Hollandiae anno 1765, ex actis Congr. de Prop. Fide.
4. Bombay.	Ex quo subesse coepit ditioni Societatis ab Indiis nuncupatae an. 1761.
AMERICA	
1. Canada.	Ex quo ad britannicam ditionem pertinere coepit.
2. Insula SS. Trinitatis.	An. 1825.
3. Dioecesis S. Antonii.	
4. Galvestonensis.	S. Off. 25 nov. 1885.
5. Vicariatus apostolicus Brownsvillensis.	
6. Archidioec. Neo-Aurelianensis.	
7. Dioecesis Natchetensis.	
8 Dioec. Petriculana.	
9. Dioec. Mobiliensis.	
10. Provincia S. Francisci cum territorio Utah.	
11. Dioecesis Vincennopolitana provinciae Cincinnatensis.	
12. Archidioecesis S. Ludovici.	Quoad partes in quibus viget decretum *Tametsi*.
13. Dioecesis Altonensis.	In locis in quibus idem decretum obtinet.

ELENCHUS

Locorum in quibus derogatum est decreto Concilii Tridentini relate ad matrimonia mixta.

NOMINA LOCORUM	NOTANDA
1. Bavaria.	Matrimonia acatholicorum et mixta generaliter ut valida habentur a clero, probabiliter innixo verbis Instructionis datae ab Apostolica Sede ac typis editae die 12 septembr. 1834 in qua habetur: « Si ex temporum, locorum ac personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere et vicissim, absque maioris mali scandalique periculo in religionis perniciem interverti non possit, tunc sane ad maiora mala et scandala praecavenda abstinendum erit a catholico coniuge censuris nominatim expressis corripiendo, imo vero tolerandum ut a parocho catholico tum consuetae proclamationes fiant, omni tamen praetermissa mentione religionis illorum, qui nuptias sunt contracturi, ut etiam de factis proclamationibus litterae merae testimoniales concedantur, in quibus (si nullum adsit dirimens impedimentum) unice enuncietur nil aliud, praeter vetitum Ecclesiae impedimentum mixtae religionis, matrimonio conciliando obstare, nullo prorsus addito verbo ex quo consensus, aut adprobationis vel levis suspicio sit oritura. Quod si in Ecclesiae utilitatem et commune animarum bonum cedere posse dignoscatur, nuptias quantumlibet illicitas et vetitas coram parocho catholico, potius quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugere possent, celebrari, tunc ipse parochus catholicus aliusve sacerdos eius vices agens, poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse ».
2. Hungaria.	Ex instr. data die 30 april. 1841 a S. Congr. Negot. Extr. Eccl. in qua dicitur: « Quod autem attinet ad connubiorum istorum (mixtorum) coram acatholico ministro, seu *non servata Concilii Trid. forma* celebrationem... inspectis tam praeteritis, quam praesentibus *locorum de quibus sermo est* peculiaribus circumstantiis, erunt ab Episcopis et a parochis *prudenter dissimulanda et, quamvis illicita pro validis habenda,* nisi tamen canonicum aliunde officiat dirimens impedimentum ».
3. Hibernia.	Ex Decreto Congr. S. O. 1785, mense martio: « Sanctissimus auditis etc. decrevit matrimonia mixta in Hibernia contracta et contrahenda, non servata forma Conc. Trid. in iis locis in quibus decretum eiusdem Conc. fuit forsan promulgatum, alio non concurrente canonico imped.. quamvis illicita, habenda tamen esse uti valida, idque significandum Archiepiscopis et Episcopis ». Discusso iterum dubio quoad va-

NOMINA LOCORUM	NOTANDA
	liditatem matrimoniorum mixtorum in Hibernia proposito ab Archiepiscopo dublinensi, Sup.Un.Inqu.Feria IV die 18 maii 1887 decrevit « supplicandum SSmo ut declarare dignetur matrimonia mixta sive contracta sive contrahenda in Hibernia, non servata forma Concilii Trid., si nullum aliud obstet canonicum impedimentum esse illicita quidem sed valida, sive in iis locis in quibus Caput *Tametsi* publicatum, sive in iis locis in quibus publicatum non fuit. Sanctissimus vero eodem die id expresse declaravit.
4. Universum Imperium Russiacum et Regnum Poloniae eidem subiectum.	Ex Congr. Neg. Extr. Eccl. decretum est an. 1844: « Respondendum *oretenus* matrimonia *mixta* quae in *Russiaco Imperio* et in *Regno Poloniae* inita sint praeter formam a Trid. Conc. praescriptam, esse prudenter dissimulanda, et quamvis illicita pro validis habenda, nisi tamen aliud obstet canonicum dirimens impedimentum ».
5. Provinciae Rhenanae sub ditione Borussica.	Ex Brevi Pii VIII ad Episc. Borussiae Rhenanae an. 1830.
6. Georgia.	Ex Congr. S. O. an. 1845. Dubio siquidem excitato; num non modo tamquam illicita, sed praeterea tamquam invalida haberi deberent matrimonia contracta ex una parte catholica, ex altera autem russica, coram ministro haeretico, ubi contrahentes vi legum educare liberos tenentur in religione schismatica, respondit « Matrimonia de quibus agitur tametsi sint illicita, tamen ut valida habenda esse ».

§ 10. — *De impedimento cognationis.*

934. Nomine cognationis venit propinquitas inter personas orta vel ex carnali propagatione, et dicitur naturalis; vel ex baptismate aut confirmatione et dicitur spiritualis; vel ex adoptione legitima iuxta formam iuris, et dicitur legalis.

935. 1. Quoad cognationem carnalem, duplici modo a communi stipite descendere possunt personae consanguineae, vel per generationem immediatam, quatenus una ab altera genita est, vel per generationem mediatam, quatenus una alteram non genuit, sed tamen omnes ab uno stipite promanant, ex. gr. frater et soror. Hinc duplex distinguitur linea: *recta* et *transversa* seu collateralis. Porro si linea recta a genitoribus ad genitos progrediatur, dicitur descendentium, si autem progreditur a genitis ad genitores dicitur ascendentium. Transversa quoque linea duplex est, aequalis nempe et inaequalis. Aequalis est, si personae collaterales a communi stipite aequali numero graduum distant; si secus, est inaequalis. Porro cognatio in linea collaterali usque ad quartum gradum matrimonium dirimit. Sed apud Indos americanos ex motu proprio Pauli III secundo gradu finitur, eoque finiri apud infideles certi iuris est. In linea vero recta nuptiae inter ascendentes et descendentes in infinitum prohibentur. Ad gradus consanguinitatis mensurandos, prae oculis habendae sunt sequentes regulae: 1) In linea recta, tam ascendentium quam descendentium, quot sunt personae, tot sunt gradus, una dempta, scilicet stipite. Hinc ex. gr. pater et filius consanguinei sunt in primo gradu, nepos et avus in secundo. 2) In linea transversa aequali (quae est inter personas a communi stipite aequaliter distantes) quot gradibus personae singulae a communi stipite distant, totidem distant inter se. Unde frater et soror sunt in primo gradu lineae transversae: patrueles et consobrini in secundo, eorumdem filii in tertio. 3) In linea transversa inaequali (idest, inter personas inaequaliter distantes a communi stipite) quot gradibus remotior persona distat a stipite, tot gradibus distant inter

se. Unde patruus et nepos, filius et soror patris, consanguinei sunt in secundo gradu [1].

936. Porro consanguinitas inter duas personas potest esse duplex ex multiplici capite: 1) Ex eo quod sunt duo stipites: ut si duo fratres contrahant cum duabus feminis inter se consobrinis, liberi ex his duobus coniugiis nati erunt in secundo gradu ex parte patrum, et in tertio gradu ex parte matrum; et tunc dicuntur esse in secundo, et tertio ex duobus stipitibus [2]. 2) Ex eo quod licet sit unus stipes, ab eo descendentes inter se matrimonia contraxerunt, ex quibus nati filii dupliciter sunt consanguinei. Cum autem est duplex consanguinitas, tunc est quoque duplex impedimentum, quod exprimi debet in petitione dispensationis [3]. 3) Cognatio duplex oritur etiam ex hoc quod Titius ex uxore 1ª et ex uxore 2ª consanguinea primae habuerit liberos [4]; vel 4) ex eo quod duo consanguinei ex duobus consanguineis filios procreaverint [5].

937. In cognatione naturali primus saltem gradus in linea recta iure naturae irritat matrimonium. Diximus primum saltem gradum in linea recta iure naturae dirimere matrimonium, sunt enim aliqui, qui hoc ipsum sentiant etiam de secundo gradu [6].

938. Quoad lineam transversalem, nullus eius gradus iure naturae dirimit matrimonium iuxta probabiliorem Doctorum sententiam. Quidquid tamen sit, certum est in matrimonio inter fratrem et sororem numquam dispensatum fuisse a Romanis Pontificibus [7].

[1] In Ecclesia graeca et orientali universim gradus computantur, ut pro successionibus in iure romano. Cf. Bened. XIV Const. *Etsi Pastoralis* 26 maii 1742. — Cfr. tabulam I.

[2] Cfr. tabulam II.

[3] Cfr. tabulam III.

[4] Cfr. tabulam IV.

[5] Cfr. tabulam V.


[6] Excommunicatio quam olim incurrebant scienter contrahentes in gradu prohibito sublata est per Const. *Apostolicae Sedis* 4 Id. oct. 1869.

[7] Cfr. Bened. XIV, Ep. *Aestas anni* 11 oct. 1757, n. 13, et S. C. C. in Leodien. *Disp. Matr.* 14 dec. 1793.

Tab

Tabula IV.


COGNA



Filius 1us et Filius 2us su

Tabula V.


COGN



Antonius erit Iosephi
res sint sorores, et Anton


Tabula I.

ARBOR GENEALOGICA SEU CONSANGUINITATIS.



Tabula II.


COGNATIO DUPLEX.



Antonius et Ioseph sunt ad invicem consobrini tum ex parte patris quam ex parte matris. Ex parte patrum sunt fratres, ex parte matrum sunt consobrini.

Tabula III.


COGNATIO DUPLEX.



Caius et Antonius utriusque parentis sunt filii et nepotes, ipsi inter se fratres et sobrini sunt secundum quoad Titius et Sempronia considerantur vel ut coniuges, vel ut consanguinei.

TABULA IV.


COGNATIO DUPLEX.



Filius 1us et Filius 2us sunt fratres consanguinei et consobrini.

TABULA V.

COGNATIO DUPLEX.



Antonius erit Iosephi et consobrinus et patruus, cum duae uxores sint sorores, et Antonius sit frater Caii, qui est pater Iosephi.

939. Relate ad matrimonia infidelium, quando vel ambo, vel unus convertitur, dicendum est coniugia contracta in primo gradu lineae rectae certo esse invalida, in aliis consulendam esse Apostolicam Sedem.

940. 2. Cognatio spiritualis contrahitur: 1) inter baptizantem vel confirmantem et baptizatum vel confirmatum baptizatique vel confirmati patrem et matrem; 2) inter patrinum baptismi solemnis vel confirmationis et baptizatum vel confirmatum eiusque parentes naturales etiam illegitimos, at non adoptivos; adeoque non contrahitur a coniuge baptizantis nec a coniuge patrini [1], nec inter ipsos patrinos contrahitur. Et is qui baptizat eam contrahit in baptismo quoque privato, non item patrinus, quae verior sententia est.

941. Ut vero cognatio spiritualis contrahatur requiritur: 1) ut baptizans vel suscipiens vel tenens sit baptizatus: et ex declarat. S. C. C. in *Licien.* 13 iun. 1654 certum est in confirmatione tenentem debere esse confirmatum. 2) Requiritur, ut vere conferatur baptismus; non enim oritur cognatio ex suppletione caeremoniarum [2], nec ex baptismo invalido, aut confirmatione invalida. 3) Cognationis spiritualis impedimentum non contrahi a patrinis, qui in supplendis baptismi solemnitatibus adhibentur, conceptis verbis declaravit S. Congr. Fid. Prop. [3]. 4) Requiritur, ut vere exerceatur munus patrini idest nomine proprio. Unde non contrahitur a procuratore, sed a mandante [4]. Neque contrahitur ab eo qui infantem suscipit ad maiorem commoditatem baptizantis. Baptizans vero, licet delegatus, eam contrahit. 5) Quod vero requiratur et sufficiat, ut patrini in actu ablutionis infantem physice tangant, eruitur ex declaratione S. Congr. Fid. Prop. pro rebus Sinarum [5], in qua declaratum fuit, quod requiritur et sufficit ut patrinus vel matrina phy-

[1] S. Pius V motu prop. *Cum illius vicem.*

[2] Ut declaravit S. C. C. in Murana *Cogn. Spirit.* 13 april. 1669.

[3] Instr. diei 11 sept. 1779 ad Episcopum Scodren. Collect. n. 1248.

[4] S. C. Conc. in *Pis.* 20 apr. 1589, *Nullius* 15 martii 1631, Theatina *Matr.* 13 sept. 1721.


[5] 21 ian. 1856.

sico infantis contactu iungat se cum eo, cuius manibus ille defertur, utque ita comitetur deferentem ipsum, quin opus sit ut patrinus vel matrina infantem suas in manus excipiens ministro baptizandum exhibeat. Tactus iste physicus fieri debet aut dum baptismus confertur, aut immediate post, aut immediate ante.

942. Cognatio spiritualis potest esse multiplex, et haec multiplicitas exprimenda est, ut valeat dispensatio. Non multiplicatur quando quis plurium alicuius filiorum in eodem sacramento patrinum agit; sed quando alter alterius prolem invicem suscipiunt, vel tenent, et quando quis eumdem (quod non licet) vel alterum eiusdem personae filium et suscipit in baptismo, et tenet in confirmatione. Pater baptizans filium suum legitimum cognationem non contrahit, quod si sit filius illegitimus, eam contrahit.

943. 3. Cognatio legalis 1) dirimit matrimonium *a*) inter adoptantem et adoptatum, *b*) inter adoptantem et coniugem adoptati; *c*) inter adoptatum et coniugem adoptantis, ac demum *d*) inter fratres adoptivos ubi adoptio adhuc romano iure non gallico neque nostro determinatur. 2) Conditiones servandae pro adoptione legitima quinque recensentur: *a*) ut adoptans sit sui iuris, *b*) ut sit vir, *c*) ut sit potens ad generandum, *d*) ut sit maior viginti quinque annis, et adoptatum excedat 18 annis, *e*) ut si adoptatus aliunde coniunctus sit sanguine cum adoptante, non possit adoptari in eo cognationis gradu in quo aliunde ipsi est coniunctus. 3) Duplex adoptionis species distinguitur, quarum una dicitur perfectissima, altera non ita perfecta. Perfectissima adoptio est, quae dicitur etiam *arrogatio,* quando adoptio fit personae extraneae, sui iuris, auctoritate supremi Principis, ratione cuius arrogatus transit in potestatem et familiam arrogantis et eius heres necessarius fit tum ex testamento, tum ab intestato. Alia adoptio non ita perfecta est, quae non habet huiusmodi effectus, neque illam solemnitatem, et accidit, cum persona adoptatur non sui iuris, auctoritate iudicis habentis merum vel mixtum imperium. Ita adoptatus in potestatem et familiam adoptantis non transit, hinc non fit heres necessarius ex testamento, sed ex intestato succedit.

AFFINITAS.


Pater
Mater
uxor
Frater
Maritus
uxor
Soror
Maritus
Coniux
fil.
Filius
Coniux

944. Porro his praemissis, Cognatio legalis orta ex adoptione, et iure civili introducta inter supradictas personas est etiam iure ecclesiastico approbata, atque ex iure ipso ecclesiastico est impedimentum dirimens matrimonium inter easdem personas, nempe inter adoptantem et adoptatum, inter adoptatum et filios carnales adoptantis, inter adoptantem et uxorem adoptati, inter adoptatum et uxorem adoptantis.

945. Quaeritur an impedimentum oriatur etiam ex adoptione imperfecta. Respondemus impedimentum oriri ex utraque specie adoptionis. Ubi leges civiles nullam admittunt cognationem legalem, ibi de hoc impedimento sermo esse non potest, nec sufficit unquam actus adoptandi privatus [1].

946. Si leges civiles eam admittunt, dummodo substantialia adsint requisita iuris romani, eam oriri, licet agatur de adoptione imperfecta, indicari videtur a responso S. Poenit. 17 maii 1826 ad Vicarium Generalem Petrocoricensem [2].

§ 11. — *De impedimento affinitatis.*

947. Affinitas est propinquitas personae ex carnali copula proveniens, quae contrahitur inter virum et mulieris consanguineos et e converso inter mulierem et consanguineos viri. Hinc sequitur: 1) affines non esse inter se virum et mulierem inter quos copula intercessit, ipsi enim sunt causa affinitatis; 2) fas esse consanguineis viri nuptias inire cum consanguineis mulieris: atque adeo valide et licite matrimonium ineunt duo fratres cum duabus sororibus, pater et filius cum matre et filia, privignus cum matre, filia aut sorore novercae, itemque privigna cum patre, filio aut fratre vitrici: similiter fratris et sororis coniuges superstites valide inter se contrahunt, et ita filius mariti ex priori coniugio progenitus, sibi nubere potest filiam uxoris ex alio quoque anteriori matrimonio habitam.

[1] S. Off. Fer. V, die 16 apr. 1761 apud FERRARIS.

[2] Et ex decl. S. Off. 23 febr. 1853.

948. Porro in quo gradu affinitas matrimonium dirimat, sequens docebit distinctio: 1) Si affinitas est ex copula licita, dirimit matrimonium perpetuo in linea recta et usque ad quartum gradum inclusive in linea transversa; 2) si ex illicita, in primo et secundo tantum gradu.

949. Quoad computationem, gradus et lineae affinitatis eodem computantur modo ac in consanguinitate, et in eo gradu quis est affinis uxoris in quo gradu consanguineus est mariti, et vicissim. Ut consanguinitas interdum multiplex est, ita affinitas; haec multiplicitas tamen non inducitur per iterationem copulae licitae vel illicitae cum eadem persona, sed oritur: 1) ex copula habita cum *pluribus* comparti consanguineis; 2) ex copula habita cum persona *multipliciter* consanguinea comparti; 3) multiplicabitur cum *utraque pars* copulam habuit cum persona comparti consanguinea; 4) et quando cum persona comparti consanguinea habita fuit copula tum *licita* tum *illicita*. Praeterea multiplicatur affinitas, si plures ex iis causis concurrant. In quarta autem hypothesi hodie non requiritur expressio multiplicitatis in casu, quo ante matrimonium copula habita fuit cum defuncta comparte, cum qua dein fuit consummatum matrimonium.

950. Quid vero, si affinitas superveniat matrimonio iam legitime contracto? In hoc casu delinquens subditur speciali poenae, nimirum nequit petere debitum matrimoniale, quando copulam habuit cum persona comparti consanguinea in primo vel secundo gradu. Haec autem poena non incurritur, si copula incestuosa habita sit vel per vim, vel ex metu gravi, vel ex ignorantia facti, et probabilius ex ignorantia legis et poenae [1].

951. Quaeritur denique ad quem gradum se extendat impedimentum affinitatis ex matrimonio consummato invalido? Variae hac in re opiniones sunt; hinc casu occurrente ultra secundum gradum, Apostolica Sedes consulenda est. Probabilior videtur illa sententia, quae asserit ad quartum inclusive gradum extendi [2].

[1] S. Alph. n. 1074.

[2] S. C. C. in *Brixien. Matr.* 3 dec. 1667; cf. Bened. XIV in Dissert. exarata 5 dec. 1722.

952. Cum affinitas ratione copulae, unde licite vel illicite provenit, sit quaedam naturalis propinquitas ac veluti consanguinitas mediata, idcirco sive dirimat iure naturae, sive non, est tamen quoad baptizatos impedimentum dirimens, quamvis in infidelitate sit contracta. Id autem constat ex declaratione S. Congr. Fid. Prop. die 23 aug. 1852. Propositis enim dubiis: 1) Vir infidelis qui adhuc in infidelitate positus, cognovit sive publice, sive private, illicite tamen mulierem quandam, sive fidelem sive infidelem, potestne post susceptum baptisma, valide et licite matrimonium contrahere cum consanguinea eiusdem cognitae mulieris, si ista consanguinea baptismum susceperit ante sive post copulam de qua agitur? 2) Et quatenus affirmative (de quo valde dubitandum), idem infidelis ad fidem conversus post mortem legitimae uxoris infidelis, possetne matrimonium contrahere cum consanguinea (usque ad 4 gradum inclusive) eiusdem defunctae uxoris, sive ista consanguinea baptismum susceperit ante, sive post mortem praedictae uxoris infidelis? S. Congr. respondit ad 1^m^ negative; ad 2^m^ negative.

§ 12. — *De impedimento publicae honestatis.*

953. Publicae honestatis impedimentum est propinquitas orta vel ex sponsalibus validis vel ex matrimonio rato. Porro ut impedimentum honestatis praestent sponsalia, necesse est, ut certas habeant conditiones. Ac 1) debent esse valida [1]; unde si impotens, aut voto solemni vel ordine sacro ligatus, aut alio quocumque impedimento dirimente constrictus sponsalia celebret cum muliere, poterit haec, detecta rei veritate, eiusdem consanguineis nubere, quia sponsalia irrita pro nihilo reputantur: aliud erat secundum ius antiquum. 2) Ut sponsalia impedimentum dirimens pariant, debent esse certa, idest cum persona singulari contracta. 3) Debent esse *absoluta*, unde qui sponsalia cum aliqua muliere sub conditione contraxit, si postmodum ante conditionis eventum cum alia

[1] Ex Trid. Sess. XXIV, c. III.

prioris consanguinea per verba contraxerit de praesenti, cum secunda remanere debebit [1].

954. Impedimentum honestatis publicae est perpetuum; unde si sponsa, vel moriatur, vel ingrediatur Religionem, non poterit sponsus cum eius consanguineis contrahere sine dispensatione. Idem est, si sponsalia mutuo partium consensu, vel Officialis sententia dissolvantur. Ratio est, tum quia sponsalia haec antequam dissolverentur, valida erant, et ex validis semel sponsalibus oritur perpetuum honestatis impedimentum; tum quia id a Sacra Congreg. Conc. definitum est, cuius iudicio inhaerendum esse declaravit Alexander VII [2].

955. Honestatis impedimentum non solum oritur ex sponsalibus, verum etiam ex matrimonio *rato non consummato:* idque, praeterquam quod expresse definitum est C. 4 et 8 de spons., patet argumento a minori ad maius. Si enim sponsalia mera, quae sunt via ad matrimonium, inducunt impedimentum honestatis publicae, multo magis illud inducet matrimonium ipsum, quamvis non consummatum [3]. Circa hoc quaedam notanda.

956. Impedimentum e matrimonio rato latius extenditur, quam quod oritur e puris sponsalibus: ex sponsalibus enim, intra primum lineae rectae, vel collateralis gradum sistit, ex matrimonio ad quartum usque lineae utriusque gradum operatur, prout declaravit S. Pius V [4].

957. Licet ex sponsalibus invalidis non exurgat impedimentum

[1] Bonifacius VIII cap. unic. de sponsal. in 6.

[2] Anno 1658, ut testatur Fagnan. in cap. *Ad audientiam* n. 29 de sponsal.

[3] Ex matrimonio tantum rato oritur impedimentum publicae honestatis, minime vero affinitatis. Postquam vero fuit consummatum, non habetur amplius impedimentum publicae honestatis, sed tantum affinitatis. Bened. XIV *De syn.* l. 9, cap. 13, n. 4. Quod si matrimonium consummatum validum non erat, tunc duo distincta impedimenta ex eo emergunt, scilicet publicae honestatis ex matrimonio rato nullo, et affinitatis ex copula fornicaria. S. C. C. in causa Brixien. an. 1667.

[4] In citata Bulla *Ad romanam* data anno 1568, quam refert Pyrr. Corradus l. 8, c. 7, n. 6.

publicae honestatis, exurgit tamen e quocumque matrimonio invalido, modo invalidum non sit ex defectu consensus, quod definit Bonifacius VIII [1], cui nullo posteriori iure derogatum est, ut probat Fagnanus [2].

958. Matrimonium irritum ob impedimentum publicae honestatis non parit aliud honestatis impedimentum in praeiudicium priorum sponsalium; hinc matrimonium contractum cum sorore, matre, vel filia sponsae, non habet vim quasi reciprocam dissolvendi praecedentia sponsalia [3].

959. Dixi in praeiudicio *priorum sponsalium:* nam, ut advertit Sanchez [4], quando priori sorori data est fides et postea cum posteriori initum est matrimonium absque consummatione, inducitur impedimentum ad contrahendum valide matrimonium cum quacumque intra quartum gradum consanguinea huius posterioris, dempta illa cui fides data est, quia ex matrimonio inito perseverat nunc impedimentum usque ad quartum gradum, et solum textus disponit non oriri impedimentum ad praecedentia sponsalia dissolvenda [5]. *Ex sponsalibus puris, certis, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax ad impediendum et dirimendum sequentia sponsalia, vel matrimonium, non autem ad praecedentia dissolvendum, impedimentum iustitiae publicae honestatis.*

960. Hinc 1. si matrimonium Titii cum Bertha invalidum fuerit propter aliquod impedimentum dirimens, sive cognitum iisdem, sive incognitum, ex eodem matrimonio nascetur impedimentum publicae honestatis, vi cuius nec Titius ullam e consanguineis Berthae nec Bertha ullum e consanguineis Titii intra quartum gradum ducere poterit; unde axioma: *quod de iure irritum est, nullum parit effectum,* non valet in praesenti.

[1] In cap. unic. de sponsal. in 6.

[2] In c. *Ad audientiam* de sponsal.

[3] Cap. unic. de sponsal. in 6.

[4] Disp. 68, n. 24.

[5] Cap. unic. de sponsal. in 6.

961. Hinc 2. ex matrimonio celebrato inter amentes, furiosos, ebrios, metu gravi constrictos, non exurgit impedimentum honestatis, quia deest consensus vel omnis, vel saltem liber. Idem dic de matrimonio ex errore circa personam, vel cum persona incerta contracto, Cap. *Tua nos* de sponsal., ubi ait Innocentius III: *In eo,* idest matrimonio sine consensu, *nec substantia coniugalis contractus, nec forma contrahendi coniugium valet inveniri.*

962. Hinc 3. si Ioannes sponsalia valide contraxerit cum Bertha, et posthac matrimonium contrahat cum Maria eius sorore, ante secundi huius matrimonii consummationem poterit contrahere cum Bertha; quia matrimonium, quod propter impedimentum honestatis e sponsalibus ortum non valet, impedire non potest quominus Ioannes promissionem Berthae factam adimpleat, et adimplere teneatur. Secus vero dicendum, si Ioannes cum Maria matrimonium inique consummaverit; tunc enim neutram ducere potest: non Mariam ob dictum publicae honestatis impedimentum: non Bertham ob impedimentum affinitatis consurgens ex copula, quam habuit cum sorore eius.

963. Quaeritur denique an ex matrimonio clandestine contracto nascatur hoc impedimentum. Negative respondet Sanchez [1], quia, inquit, tale matrimonium nullum est ex defectu consensus, cum careat eo genere consensus, quem exigit Ecclesia. Affirmant alii, quia qui clandestine contrahit, vere consentit, etsi illegitime, non secus ac Religiosus, qui matrimonio iungitur. In iis autem locis ubi matrimonium contrahendum est coram Parocho et testibus, ex matrimonio civili non oriri impedimentum publicae honestatis declaravit S. Congr. Conc. 13 martii 1879, probante Leone XIII die 17 eiusdem mensis.

964. Quaeritur an Matrimonium ratum non consummatum paganorum honestatem publicam inducat, vel censeatur impedimentum dirimens post eorum conversionem. Ex. gr. Si Titius paganus Maeviam paganam duxit, et cum ea non consummavit, et post

[1] L. 7, disp. 70, n. 13.

mortem Maeviae Titius fiat christianus, poteritne ducere Bertham sororem Maeviae e pagana factam christianam? Idemque estne de sponsalibus paganorum ac de matrimonio rato? Huic dubio respondit S. Congr. S. Off. die 26 septembris 1837, impedimentum non subsistere.

§ 13. — *De impedimento ordinis sacri.*

965. Ordo sacer vel ratione sui, vel ratione solemnis voti castitatis quod habet adnexum, vel ratione utriusque, in Ecclesia latina matrimonii incapacem illum reddit, qui ordinatus est. Qui vero sacro insignitus ordine aut solemni castitatis voto obstrictus matrimonium contrahere praesumit (quod, ubi Tridentinum viget, dicendum est etiam de matrimonio tantum civili, quod vocant) et qui cum eo matrimonium inire praesumit, incurrunt excommunicationem Ordinariis reservatam. Admitti autem nequit quod nonnulli dicunt, hanc non contrahi si matrimonium fuerit nullum ex alio capite, ex. gr. si contraxerint obstricti alio impedimento dirimente.

966. Ordo sacer etiam apud Graecos matrimonium dirimit [1].

967. Porro impedimentum ordinis et alterum proveniens ex voto continentiae emisso in professione solemni in eo differt, quod istud nedum irritas reddit nuptias ineundas, sed et dissolvit matrimonium ratum non consummatum ante professionem initum, uti infra exponetur, votum autem per sacri susceptionem ordinis solemnizatum, tantum inhabilitat ad contrahendum, minime vero vim habet dissolvendi matrimonium ratum antea initum.

968. Qui ignorans obligationem castitatis adnexam esse ordini sacro, illum suscepit, ad eam servandam tenetur; ad quam etiam tenetur, qui cum expressa voluntate non se obligandi ad continentiam sacris initiaretur ordinibus; eo ipso enim quod vult ordinem suscipere, non potest non velle obligationes ei adnexas seu ex praecepto Ecclesiae.

[1] S. C. de Prop. Fid. iussu Pii IX 24 mart. 1858; Sup. Univ. Inq. 22 dec. 1875.

969. Qui ante usum rationis ordinem suscipit, ea obligatione non ligatur, nisi postea expresse, vel tacite suam ordinationem ratam habeat.

970. Potest quis ordinari invitus, aut per coactionem externam, aut per metum gravem iniuste incussum. In primo casu invalida est ordinatio; in alio est valida, sed quoad castitatis obligationem, distingui debet, an dein libere eam ratam habuit, vel non: si ratam habuit, tenetur ad continentiam; si vero non, ad continentiam non tenetur: semper tamen Sedis Apostolicae iudicium, seu late dicta dispensatio, seu rescriptum gratiae, seu declaratio interveniat necesse est, quae non conceditur nisi metu probato, facto processu ad formam [1].

971. Quoad uxoratum qui, propria vivente uxore, velit ad alium statum transire, ex dispositionibus iuris, praeter uxoris licentiam expressam atque spontaneam, quae semper et ubique requiritur [2], alia etiam requiruntur. Et quidem distinguendum est utrum agatur de suscipiendo ordine sacro vel statu religioso vel episcopatu. In priori casu, praeter dictam uxoris licentiam requiritur ulterius, ut ipsa castitatem voveat. In secundo requiritur ulterius ut coniux uterque habitum religiosum assumat. Verum si uxor ita senex sit et sterilis, ut sine suspicione possit manere in saeculo, dissimulare Episcopus poterit ut ea in saeculo remanente et castitatem promittente, ad religionem transeat vir eiusdem. Ita Alex. III [3]. In tertio denique laudatus Pontifex auctoritate apostolica absolute prohibet ne uxoratus in Episcopum ordinetur, nisi uxor prius professa continentiam sacrum sibi velamen imponat et religiosam vestem assumat [4]. Attamen, testante Pontio, ex consuetudine recepta non admittitur vir ad sacros ordines, nisi uxor quae iuvenis est reli-

[1] Const. Bened. XIV 4 Martii 1748, *super nullitate prof. religionis.* Cf. FAGNANUM in cap. *Majores* de Baptismo,

[2] Cap. *Consuluit* de convers. coniug.

[3] Cap. *Cum sis* 4 eod. tit.

[4] Cap. *Sane* 6 eod. tit.

gionem ingrediatur et profiteatur et quae senex est voveat continentiam.

972. Non sufficere autem quod mulier conservatorium ingrediatur, seu congregationem mulierum ac virginum, profitendo solum castitatis votum donec maritus vivat [1].

§ 14. — *De impedimento voti.*

973. Votum castitatis solemne, quod in professione religiosa emittitur, est impedimentum dirimens ad matrimonium contrahendum, et dissolvit matrimonium ratum et non consummatum [2].

974. Excipitur votum castitatis, quod emittunt Religiosi Soc. Iesu post biennium novitiatus, quod licet simplex sit, attamen in ordine ad invalidandum matrimonium contrahendum eamdem vim habet ac votum solemne, idque ex peculiari iure seu privilegio eidem Societati concesso a Greg. XIII [3]. Hoc autem votum non dissolvit matrimonium ratum.

975. Est etiam fidei dogma professionem solemnem religiosam dissolvere matrimonium ratum et non consummatum. Hinc ius canonicum bimestre concedit coniugibus ad deliberandum an velint religionem ingredi. Hoc autem bimestre a sententia iudicis vel cautione data computari debet. Porro si unus e coniugibus post matrimonium ratum religionem ingrediatur, tenetur pars in saeculo manens expectare donec alterius professio legitime sequatur, ut novum matrimonium contrahat. Cum autem in praesens post novitiatum debeant emitti vota simplicia, et post triennium solemnia, quaeritur an coniux manens in saeculo per totum hoc tempus expectare debeat. Huic dubio S. C. Ep. et Reg. die 25 ianuarii 1861

[1] S. C. C. *ad Arch. Goanum* die 17 aug. 1641. — Hoc votum simplex quidem est; attamen si ordinatus prior mortem obierit, vovens inhabilis est ad alias nuptias contrahendas. Cap. 10, dist. 28. Si autem vir non est professus, non item. SCHMALZGRUEBER IV, 6, 67.

[2] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. IX.

[3] Const. *Ascendente Domino* 8 kal. iun. 1584.

respondit, nonnisi per solemnem votorum professionem matrimonium ratum et non consummatum dissolvi, non vero per professionem votorum simplicium, ideoque in casu quo vir iuxta legem diei 19 martii 1857 per S. Congr. super statu Regularium latam, vota simplicia emittere debeat ante solemnem professionem, sive ipse, sive eius coniux recurrere poterit ad Apostolicam Sedem pro obtinenda facultate, ut statim emitti possint vota solemnia.

976. Quamvis matrimonium consummatum non dissolvatur per professionem religiosam, attamen si alter coniux consentiat, potest compars ingredi religionem. Diximus *si alter consentiat*, etenim si altero invito, aut inscio, altera pars religionem ingrediatur, nuncupata professio erit invalida, et solum vim voti simplicis habebit, et pars ipsa ad suum coniugem redire tenebitur. Consensus vero debet esse expressus, nec sufficit consensus praesumptus, aut tacitus, ex. gr. si compars non reclamet, nec sufficit, si vel coactus, vel dolo, aut metu extortus fuerit.

977. Praeter consensum alterius partis exquiritur, pro liceitate, consensus Episcopi: insuper requiritur, ut coniux in saeculo remanens, si iuvenis sit, et de incontinentia suspectus, religionem ingrediatur, vel si senex sit, et de incontinentia non suspectus, emittat votum castitatis perpetuae: quod votum ad dubitationes removendas coram testibus et Ordinario et ante professionem compartis nuncupari debet. Quae autem aetas sufficiat, ut quis senex dicatur, difficile est iudicare cum nullum ius id declaret; regulariter autem aetas sexagenaria in viro, et quinquagenaria in femina videtur sufficere, ut quis dicatur senex [1]. Probabilius tamen id arbitrio iudicis remitti debet. Haec vero [2] nullatenus obstant, quominus si peculiaris alicuius facti circumstantiae temperamentum aliquod vel regulae relaxationem exposcere videantur, Apostolicae Sedis auctoritas imploretur, quae ex legitimis causis potest, consuevitque opportunam dispensationem indulgere.

[1] Sanchez l. 7, disp. 32.

[2] Bened. XIV *De Syn.* l. 13, n. 7.

978. Duplici in casu invita comparte potest coniux religionem ingredi: 1) si illa adulterium commisit. Hoc vero debet esse certum, et notorium, sive facto sive iure, vel rei in iudicio confessione; si tale non sit, imploranda erit iudicis sententia, imo consulendum ut haec semper imploretur. Requiritur insuper ut adulterium nec condonatum, non compensatum, nec per alium coniugem directe causatum sit. 2) Potest etiam religionem ingredi, si alia pars in haeresim vel apostasiam lapsa sit, et post monitionem in ea perseveret, ut diximus in praecedenti paragrapho.

§ 15. — *De impedimento disparitatis cultus.*

979. Ultimum superest investigandum impedimentum, quod oritur ex sanctitate sacramenti matrimonii, quodque in iure dignoscitur sub nomine disparitatis cultus. Duplex distinguitur cultus disparitas: alia propria, quae habetur quando baptizatus coniugium init cum non baptizato; impropria alia, cum matrimonium contrahitur inter orthodoxum, et heterodoxum. Prima constituit impedimentum dirimens, alia impediens [1].

980. Prima autem dirimit matrimonium, quamvis baptizatus catechumenam ducat, vel non baptizatus apostatam. Hoc impedimentum obligat statim in locis infidelium fideles nuper ad fidem conversos: etenim S. Sedes Vicariis Apostolicis dat facultatem ab eo dispensandi, et si quando matrimonia ibi sine dispensatione contrahuntur, consensum renovari iubet [2]. In indulto Apostolico, quod a S. Sede conceditur, apponuntur conditiones quae ipsius usum moderantur, et sunt ut dispensatio concedatur: 1) ex gravibus causis in singulis casibus, in quibus dispensandum erit; 2) in locis tantum ubi sunt plures infideles, quam christiani; 3) quatenus absque contumelia creatoris fieri possit. Porro contumelia creatoris vitari debet respectu: 1) contrahentis fidelis; 2) prolis nasciturae;

[1] Cfr. cl. Mansella in op. *de imped. matr. dirim.*

[2] Clemens XIII, *Instr. ad Miss.*

3) contrahentis infidelis. Hinc in contrahente fideli cessare debet periculum perversionis, respectu prolis nasciturae debet in tuto esse educatio in vera religione, et in contrahente infideli debet aliqua conversionis spes effulgere, ut remotus sit perversionis periculum, tum respectu coniugis fidelis, tum prolis nasciturae. Quare Clemens XIII [1] declaravit non licere Episcopis et Vicariis Ap., quibus ab Apostolica Sede facultas conceditur dispensandi in matrimoniis super disparitate cultus, ea uti quando periculum adsit perversionis alterius coniugis. Quapropter eosdem Episcopos ac Vicarios Apostolicos serio monendos esse, ut omnino et adamussim servent conditiones in formula indulti ipsis praescriptas. Hac de re conferatur aliud opus a nobis editum *De dispensationibus matrimonialibus.*

SECTIO II.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS.

981. Impedientia impedimenta oriuntur vel ex reverentia religioni debita, vel ex prohibitione legitimae auctoritatis, vel ex alia obligatione a contrahentibus iam assumpta.

982. 1. Porro ex reverentia religioni debita, sequentia impedimenta promanant: 1) *tempus feriatum;* 2) *votum simplex castitatis;* 3) *inscitia rudimentorum fidei;* 4) *impedimentum mixtae religionis.*

983. Tempus feriatum est a prima Dominica adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive. Hoc tempore matrimonia possunt absolute quidem celebrari, sed absque solemnitatibus [2]. Ex particulari tamen lege vel consuetudine ipsum matrimonium in nonnullis dioecesibus vetitum est, qua in hypothesi licentia Ordinarii requiritur. His vero diebus a nuptiali benedictione abstinendum, eaque in tempus quo possit ex rituali Ecclesiae lege impertiri est differenda. Si tunc

[1] In Congr. S. Off. 29 ian. 1767 *ad Ep. Nankinensem.*

[2] Bened. XIV, *Instr.* 80.

missa celebretur, neque ea votiva pro sponsis esse potest, neque orationes ac benedictiones in hac contentae possunt recitari. Est quoque per hos dies prohibitum solemniter sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia, aut saecularem quamcumque pompam agere.

984. 2. Votum simplex duplici sub ratione matrimonium impedit: 1) Siquis consueta tria vota simplicia in Congregatione religiosa profitetur, vel in ordine formali ceu praeambula ad vota solemnia. 2) Siquis privatim votum emittat vel perpetuae castitatis, vel amplectendi statum religiosum, vel suscipiendi ordines sacros, vel non nubendi. Habetur exceptio, prout diximus, quoad Societatem Iesu, in qua impedimentum voti castitatis quamvis simplex, est dirimens ex concessione Greg. XIII [1]. Itaque si quis aliquo ex dictis votis obstrictus, dispensationeque non obtenta, nuptias contrahat, graviter peccat. Votum ingrediendi religionem vel suscipiendi ordines, matrimonio per obitum soluto, reviviscunt.

985. 3. Inscitia rudimentorum fidei efficit, ut qui ea laborant matrimonio iungi licite non possint, nisi prius illa didicerint, tum ut ea filios suos edoceant, tum ut suarum obligationum conscii ea possint implere.

986. 4. Impedimentum mixtae religionis est prohibitio Ecclesiae ne catholici cum acatholicis contrahant matrimonia. Ab huiusmodi matrimoniis Ecclesia semper abhorruit tum ob periculum perversionis partis catholicae et prolis pravam institutionem, tum ob communicationem catholici cum haeretico vel schismatico in rebus sacris. Ex gravi causa in huiusmodi matrimoniis solus Romanus Pontifex dispensare potest. Porro quando catholici instant pro dispensatione ab impedimento mixtae religionis ad matrimonia cum acatholicis contrahenda, Ordinarius sedulo curet ut pars acatholica convertatur. Si id obtinere nequiverit, partem catholicam ab eo matrimonio contrahendo dehortetur. Si neque id poterit obtinere, tunc si ipse apostolica dispensandi facultate auctus sit,

[1] Const. *Ascendente Domino.*

ipse dispenset; si ea careat, oblatum a parte catholica petitionis libellum transmittat ad S. Sedem cum sua informatione et voto, dispensatio conceditur dummodo 1) iustae adsint dispensationis causae, aut metus fundatus matrimonii, ut aiunt, civilis, vel coram ministro acatholico; 2) dummodo periculum perversionis partis catholicae ex huiusmodi coniunctione non sit prudenter timendum, et 3) cautiones iure divino et ecclesiastico requisitas nupturientes prius in Curia episcopali exhibeant et adsit moralis certitudo eas implendas fore.

987. Hae cautiones sunt, ut pars haeretica promittat se permissuram comparti usum liberum religionis catholicae et educaturam in eadem omnes liberos utriusque sexus. Contrahens vero catholicus polliceri debet se efficaciter curaturum conversionem contrahentis acatholici.

988. Quoad matrimonia mixta sine dispensatione inita, Ordinarius satagere debet ut pars acatholica cautiones praestet, catholicam facti poeniteat, et quatenus universam prolem in sanctitate catholicae religionis quantum in se erit educaturam et coniugis conversionem omni studio curaturam promiserit, eam a censuris si quas incurrerit absolvat, impositis poenitentiis salutaribus et iniuncta reparatione scandali quo meliori modo fieri poterit.

989. Quoad modum vero celebrandi haec matrimonia mixta, lata est die 15 nov. 1858 instructio a Secretaria Status: « Etsi Sanctissimus Dominus Noster Pius IX » etc. Hanc vero ipsam instructionem contra falsam interpretationem vindicavit S. Congr. de Prop. F. Instr. data die 23 martii 1868. Cf. opus *de dispensationibus matrim.*

990. Ad secundam classem, seu ad prohibitionem legitimae auctoritatis pertinet *Ecclesiae vetitum*, quibus verbis intelligitur specialis prohibitio ab homine facta. Iamvero propter causam legitimam interdicere matrimonium possunt Romanus Pontifex et Ordinarius.

991. Iustae autem inhibitionis causae variae esse possunt, et potissimae sunt suspicio latentis impedimenti, sive dirimentis, sive

impedientis, et necessitas vitandi scandala vel rixas, quae ex illo matrimonio oritura praevidentur.

992. Quoad huius inhibitionis effectum notandum est, quod si matrimonium ineatur contra prohibitionem Episcopi, sua validitate non destituitur; quod si inhibitio facta fuerit a Romano Pontifice, si inhibitioni clausulam irritantem addiderit, erit invalidum, secus, validum.

993. Quod si Episcopus vel Romanus Pontifex prohibuerit matrimonium eo quod lis, vel appellatio instituta sit de sponsalibus initis cum alia persona, quae fuerit carnaliter cognita, matrimonium contra talem prohibitionem initum iudicari debet invalidum iis in locis, ubi sponsalia in praefato casu transeunt in matrimonium per copulam, quae praesumitur animo matrimoniali habita; in iis vero, ubi decretum Tridentinum de clandestinitate viget, cum matrimoniis eiusmodi praesumptis locus non sit, valet matrimonium contra prohibitionem Pontificis non munitam clausula irritante [1].

994. Ad ultimam classem pertinet impedimentum ortum ex sponsalibus cum alia persona contractis, et non dissolutis. Quod quidem impedimentum a Sede Apostolica dumtaxat relaxari potest.

ARTICULUS VI.

De Divortio.

995. Matrimonium ratum et consummatum, usque ad mortem omnino indissolubile esse adeoque nec propter adulterium quidem alterius coniugum ipsius vinculum dissolvi posse, dogma catholicum est [2]. Possunt tamen dari causae, ob quas fieri potest separatio

[1] Cf. Bened. XIV, *de Syn. Dioecesana* l. 12, cap. 5, n. 3. Cf. Instr. S. C. de Prop. Fid. 17 ian. 1828 ad Vicarios Ap. in Imp. Sinarum.

[2] A nonnullis Galliarum Episcopis sequentia dubia S. R. et Univ. Inquisitioni proposita sunt: « In Epistola S. R. et U. I. 25 iunii 1885 ad omnes in Gallica Di« tione Ordinarios circa civilis divortii legem ita decernitur: *Attentis gravissimis* « *rerum, temporum ac locorum adiunctis, tolerari posse ut qui magistratus obtinent*

inter coniuges quoad thorum seu quoad cohabitationem, vel in perpetuum vel ad certum tempus, ex communi iure, de quibus in hac paragrapho agendum est.

996. Separatio perpetua fieri potest: 1) ex causa maioris perfectionis spiritualis *mutuo coniugum consensu*, cum scilicet vel ambo vel una tantum pars religionem ingrediatur, vel cum vir ordines sacros suscipiat. 2) Altera causa ex ipso matrimoniali iure intrinsecus deducta, est adulterium, per quod intelligitur omnis luxuriae species in qua coniux vere dividit carnem suam cum alio vel alia, et libere quidem et voluntarie. 3) Tertia causa est hae-

« *et advocati causas matrimoniales in Gallia agant quin officio cedere teneantur* », conditiones adiecit, quarum secunda haec est: « *Dummodo ita animo comparati sint* « *tum circa valorem et nullitatem coniugii, tum circa separationem corporum, de* « *quibus causis iudicare coguntur, ut nunquam proferant sententiam neque ad pro-* « *ferendam defendant vel ad eam provocent vel excitent divino aut ecclesiastico iuri* « *repugnantem* ». Quaeritur:

I. « An recta sit interpretatio per Gallias diffusa ac etiam typis data, iuxta « quam satisfacit conditioni praecitatae iudex qui, licet matrimonium aliquod vali- « dum sit coram Ecclesia, ab illo matrimonio vero et constanti omnino abstrahit, « et applicans legem civilem pronuntiat locum esse divortio, modo solos effectus « civiles solumque contractum civilem abrumpere mente intendat, eaque sola respi- « ciant termini prolatae sententiae? Aliis terminis, an sententia sic lata dici possit « divino aut ecclesiastico iuri non repugnans?

II. « Postquam iudex pronuntiavit locum esse divortio, an possit Syndicus « (gallice, le maire) et ipse solos effectus civiles solumque civilem contractum in- « tendens, ut supra exponitur, divortium pronuntiare, quamvis matrimonium vali- « dum sit coram Ecclesia?

III. « Pronuntiato divortio, an possit idem Syndicus coniugem ad alias nuptias « transire attentantem civiliter cum alio iungere, quamvis matrimonium prius va- « lidum sit coram Ecclesia vivatque altera pars? » Feria V, loco IV, die 27 maii 1886 in Congregatione Generali S. R. et Univ. Inquis. habita coram Eminentissimis ac Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus propositis suprascriptis dubiis, ac praehabito Voto DD. Consultorum, iidem Eminentissimi ac Reverendissimi DD. rescribi mandarunt. — Ad primum, secundum et tertium dubium Negative. Eadem feria ac die facta de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum PP. adprobavit et confirmavit.

resis, per quam intelligitur omnis apostasia a fide ab altero coniuge facta [1]. 4) Quarta est quodvis periculum grave vel animae vel corporis. Huc pertinet scandalum alteri ab altero illatum ad peccandum lethaliter [2]. Hoc autem in casu debet admoneri coniux ut desistat. Huc etiam pertinet periculum grave, quod alteri ab altero immineat [3], ex gr. si alter alterius vitae insidias struxerit, si morbo contagioso laboret, si eum graviter caedat, si sanae alimenta negaverit vel infirmae medicamina. Cum vero etiam iis causis militantibus, non semper licitum divortium sit, ad dignoscendum quandonam licitum sit, vel non, haec prae oculis habenda sunt principia: 1) Si divortium ob adulterium fit, est licitum, quoties alter est innocens, et non condonavit delictum, sive expresse, sive tacite, v. gr. cum eo sponte copulam habens, vel ipsi familiarem se exhibens. Non licet, cum illud commisit consentiente alio coniuge, sive *expresse* sive *tacite*, vel vi aut dolo, vel cum adulterium materiale tantum fuit, ex. gr. si per vim fornicetur, vel fornicetur prudenter putans suum coniugem obiisse, aut coniuge incontinentiae occasionem praebente, vel si non sit perfectum et consummatum. 2) Si fit ob haeresim, in qua non datur compensatio delictorum, vel fit ob scandalum, licitum est quousque emendatio non adsit. 3) Si fiat ob periculum, ex gr. ob saevitiam vel aliud vitium, vel grave malum in bonis corporis vel fortunae, licitum est quoties cautio non praestetur vel per fideiussorem, vel per pignora, vel per alia media a iudice ecclesiastico probanda, et quousque periculum durat.

[1] Cap. *Mulier* de convers. coniug., cap. *Quaesivit,* et cap. 4 *de divort*

[2] Can. *Idololatria* 28, q. 2.

[3] Cap. *Litteras* de rest. expoliat. in fine.

ARTICULUS VII.

De celebratione Nuptiarum.

997. Matrimonium in ecclesia maxime celebrari decet. Idcirco nunquam in oratoriis privatis, multo minus in aedibus domesticis, nisi Ordinarius concesserit, celebrandum est. Celebrari vero debet matutinis horis, non pomeridianis aut vespertinis, ea praecipue de causa, ut contrahentes missam pro sponsis, si hanc ritus diei patiatur, audiant utque nuptiali benedictione muniantur, quae primo nubentibus impertitur. Quod si aliqui coniungantur matrimonio privatim aut sub vesperas, ipsi postmodum ecclesiam adeant, ut ibi (neque enim alibi fieri poterit) solemni benedictione donentur. At si sponsa sit vidua, a solemni benedictione nuptiarum abstinendum nec missa pro sponso et sponsa celebranda est [1]. Ceterum quamvis insinuandum sponsis sit, ut benedictionem hanc nuptialem accipiant, cogi autem ad ipsam nequeunt [2]. Ea hodie quandocumque dari potest, etiam postquam coniuges in matrimonio diu vixerint [3]. Datur autem solum in missa [4], et a solo Episcopo, vel Parocho proprio atque in propria dumtaxat paroecia. Cavendum vero ne nuptialis benedictio, quae in missa unice confertur, quum matrimonium tempore non vetito solemniter celebratur et de qua sermo est in cit. resol. Sacr. Congr. Rit., confundatur cum benedictione annuli aliisque ritibus, qui prostant in Rituali. Huiusmodi enim benedictio, a priori distincta et a missa independens, semper locum habet cum matrimonium sive solemniter, sive non solemniter, coram Ecclesia contrahitur. Sane proposito dubio Sacra Congr. Fid. Prop. an benedictio nuptialis quae est in Rituali, prohibeatur dari tempore vetito, an vero hoc tempore prohibeatur tantum benedictio quae est in missali, ut plures theologi autumare videntur, Sacr.

[1] S. Rit. Congr. 1874. Collect. n. 1536.

[2] S. Rit. Congr. 1 sept. 1838. Collect. n. 1545.

[3] S. Un. Inqu. 31 aug. 1881. Collect. n. 1560.

[4] S. Rit. Congr. 23 iunii 1853; 31 aug. 1867. Collect. n. 1558.

Congr. die 5 iulii 1841 [1] respondit: Quoad primum, negative ad primam partem, dummodo non adsit consuetudo non contrahendi matrimonium etiam sine solemnitate tempore vetito; Affirmative ad secundum. Unde colligitur: 1) quod, nisi obstet contraria consuetudo, matrimonium omni tempore ut legitur in Rituali Romano contrahi potest; 2) quod in eo contrahendo ritus in Rituali descripti semper locum habent.

998. Ad haec, cum difficile sit exitum bonum habere quae malo sunt inchoata principio, urgeant gravissime parochi, ut ad ipsum nuptiarum diem sancte se comparent sponsi ac sese sacramento poenitentiae expient et Eucharistia reficiant in missa, in qua benedictiones impertiuntur [2]. Si quando contingat ut parochus in poenitentiae tribunali poenitentem matrimonium initurum invenerit minus dispositum ad absolutionem sacramentalem recipiendam, omni ope ipsi perficiendum est, ut matrimonii celebratio differatur, donec poenitens absolutionis capax sit, praesertim quando ex hac dilatione nullum praevideat oriturum grave damnum sponsis, vel scandalum aliis, atque poenitentem hortationi obtemperaturum. Quod si nupturiens matrimonii celebrationem nolit differre, parochus postquam ipsi declaraverit necessitatem perfectae contritionis ad absolutionis defectum supplendum, permittet matrimonii celebrationem. Quod si nulla statim contrahendi adsit causa iusta, confessarius hortetur poenitentem ad differendum, ut se prius disponat ad absolutionis gratiam recipiendam, ostensa eidem difficultate eliciendi actum contritionis perfectae, et si ex hac hortatione nihil proficiat, satius erit illum hortari ad contritionem perfectam et inde expresse permittere accessum ad matrimonium, eum tamen monendo quod nisi habeat contritionem perfectam, grave peccatum committet [3].

999. Qua vero ratione se gerere debeat parochus in illorum nuptiis celebrandis, qui notorie in ecclesiasticas censuras inciderint,

[1] Collect. n. 1551.

[2] S. Rit. Congr. in *Lavantin.* 21 martii 1874.

[3] S. C. Fid. Prop. 5 martii 1816.

declaravit Sacr. Poenitentiaria [1], id est in primis curandum ipsi esse pro viribus ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur, et si reconciliari recusent et nisi matrimonium celebretur gravia inde mala imminere videantur, parochus Ordinarium consulat, qui habita rerum et circumstantiarum ratione omnibusque perpensis quae in probatis auctoribus et praesertim a S. Alphonso [2] traduntur, ea declaret quae magis expedire in Domino iudicaverit, exclusa tamen semper missae celebratione.

[1] Instructione edita die 10 dec. 1860.

[2] Lib. 6, tract. 1, cap. 2.

APPENDIX

De Dispensationibus Matrimonialibus [1].

1000. Quod ad dispensationes matrimoniales pertinet, tribus capitibus absolvi posse videtur. In 1° capite de dispensationum matrimonialium *petitione* agitur; in 2° de dispensationum matrimonialium *concessione* et *executione:* in 3° de dispensationum matrimonialium *cessatione,* ac 4° de sanatione in radice sermo erit. Sit igitur

CAPUT I.

DE DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM PETITIONE.

1001. Distinctis articulis videbimus 1) cuinam petatur dispensatio matrimonialis; 2) quomodo matrimonialis dispensatio petatur; 3) a quibus impedimentis et quibus de causis matrimonialis dispensatio petatur.

ARTICULUS I.

Cuinam petatur matrimonialis dispensatio.

1002. Principium evidens est: ei dispensatio petitur qui potestatem dispensandi habet. Videndum est igitur quinam habeant potestatem dispensandi. Cum dispensare non sit nisi individuos a legis subiectione subtrahere, ille tantummodo dispensandi potestatem habet, qui vel *legis causa est efficiens*, vel *supremus in societate legislator.* Cum autem impedimenta ecclesiastica matrimonii impedientia aut dirimentia statuere sibi reservaverint exclusive Sum-

[1] Ut tractatus de matrimonio magis absolutus efficeretur, quam maxime utile duximus brevem tractationem de dispensationibus matrimonialibus addere, etiamsi de his clariss. ZITELLI opus *de matrimonialibus dispensationibus* ediderit, quod consulere pro rei necessitate quam maxime hortamur, sicuti etiam opus absolutissimum clarissimi GIOVINE *de dispensationibus matrimonialibus* enixe commendamus.

mi Pontifices aut per se aut in Concilio Oecumenico, ordinario dispensatio Romanis Pontificibus dumtaxat postulanda est. Episcopus profecto iusta de causa matrimonium interdicere solet sub poena illiceitatis tamen non invaliditatis, at eius interdictum vim legis non habet, sed *praecepti* cum ferri nequeat nisi in casibus particularibus.

1003. Verum etsi Summus Pontifex dumtaxat iure proprio facultatem habeat dispensandi, suam tamen auctoritatem aliquando Episcopis aut Praelatis quasi Episcopis etiam quoad matrimoniales dispensationes delegat; qui proinde dispensare valent delegatione vel *expressa,* vel *tacita,* vel *praesumpta.* Quo in casu dispensatio ipsis Episcopis peti potest. Et quia Capitulum, sede vacante, non electo Vicario Capitulari, et deinceps Vicarius Capitularis in Episcopi ordinariam iurisdictionem succedit, intra iuris limites et Capitulum et Vicarius Capitularis dispensare possunt in iis casibus in quibus Episcopus potest delegatione tacita vel praesumpta; in aliis si habeat aequalem delegationem. Quare distinctis paragraphis dicendum est 1) de auctoritate dispensandi Summi Pontificis; 2) de auctoritate dispensandi Episcoporum vel Praelatorum iurisdictionem quasi episcopalem habentium; 3) de auctoritate dispensandi Capituli aut Vicarii Capitularis.

§ 1. — *De auctoritate dispensandi S. Pontificis.*

1004. Summus Pontifex suam dispensandi in matrimonialibus impedimentis potestatem per Sacras Romanas Congregationes exercet.

1005. 1) *Per Datariam Apostolicam* cum de *impedimentis publicis* agatur, vel *mox futuris publicis,* vel *natura sua publicis* prouti sunt impedimenta consanguinitatis, affinitatis ex copula licita, cognatio spiritualis, et publica honestas etc. Consequitur quod dispensationis *documentum publicum* est in casu, et expeditur per S. Cancellariam Apostolicam.

1006. 2) *Per Sacram Poenitentiariam* tum in *foro interno,* tum in *foro externo.* In *foro interno* Sacra Poenitentiaria dispensationes concedit quoties de impedimentis occultis agatur. *Occultum* vero

dicitur impedimentum vel quia omnino non cognoscitur, vel quia cognoscitur tantummodo a paucis viris prudentibus ita ut periculum publicitatis non urgeat. In *foro externo* Sacra Poenitentiaria facultatem a Pontifice habet dispensandi si de impedimentis publicis dispensatio ab oratoribus pauperibus petatur.

1007. Attamen *extraordinaria de causa* ad S. Poenitentiariam recurri potest tum si oratores non sint pauperes, pro impedimentis publicis; tum pro dispensatione in foro externo si impedimentum sit occultum; attamen Ordinarius causam extraordinariam S. Congregationi expendere debet, v. gr. si licet impedimentum sit occultum tamen necessaria sit dispensatio etiam *pro foro externo* ad scandala vitanda quando impedimentum in populi notitiam veniat. At firma manent iura S. Datariae Ap. ita ut Ordinarius exponere debeat propriam oratorum *conditionem* et quantum expendere valeant, *quod in Datariae capsa remittitur.*

1008. Quod si de duobus impedimentis res sit quorum *unum sit publicum, aliud occultum,* a S. Dataria dispensatio impetratur de publico, et deinceps dispensatio de occulto S. Poenitentiariae petitur *facta mentione* de dispensatione a S. Dataria de publico obtenta.

1009. Verum quoad dispensationes quae per S. Poenitentiariam in forma pauperum conceduntur, quaestio a canonistis institui solet: quid sit dicendum de dispensatione *in forma pauperum* concessa cum revera oratores non fuisse pauperes constat? valetne dispensatio? Iuxta ea quae de rescriptorum valore dictum est, certe nullius est valoris dispensatio quoties *obreptio* et *subreptio* ex *fraude ac dolo oratorum originem habent.* De hoc nulla inter doctores instituitur quaestio. At si error ex *ignorantia* aut *ingenuitate* dimanaverit, doctores in diversam abeunt sententiam.

1010. Qui affirmant *valere etiam in casu* dispensationem, ita argumentant. Iuxta doctrinam canonicam de rescriptis, quoties error ex ignorantia in causam impulsivam cadit, rescriptum valet, eo quia firma manet voluntas concedentis, atqui *paupertas non est causa motiva* sed *impulsiva* qua conceditur dispensatio; ergo dispensatio valet. Etenim paupertas non est nisi ratio specialem for-

mam dispensationis adhibendi quae dicitur *in forma pauperum*. Qui autem negant valere dispensationem in casu proposito, respondent quod allatum argumentum fundatur in hypothesi quod S. Poenitentiaria dispenset in casu *iure proprio, non iure delegato*. Nam delegatus eam potestatem habet quae ei delegata est, et si delegationem excedat nihil in iure agit. Atqui Poenitentiaria facultatem habet dispensandi delegatam solum si *oratores sint pauperes*. Hac proinde conditione *quacumque de causa* deficiente, qualibet facultate dispensandi S. Poenitentiaria destituitur.

1011. Quae sententia praeterquam quod probabilior est, praxi etiam S. Poenitentiariae omnino consona apparet. Etenim in ordine ad cognitionem de existentia paupertatis triplex tempus est distinguendum. Vel error cognoscitur *a*) ante concessionem dispensationis, vel *b*) a dispensatione concessa usque ad executionem, vel *c*) post executionem. In 1° casu S. Poenitentiaria petitionem ad Sacr. Datariam remittit, vel si error sit dubius si casus urgeat, dispensationem sub conditione concedit *dummodo oratores vere pauperes* sint. Ordinario competit de paupertatis veritate inquirere. In 2° casu S. Poenitentiaria vel negotium remittit ad S. Datariam, vel speciales exposcit facultates. In 3° casu S. Poenitentiaria a Summo Pontifice defectus sanationem in remedium conscientiae obtinet. Proposito dubio S. C. die 28 iun. 1873 respondit: Nihil esse innovandum.

1012. 3) Summus Pontifex dispensationem concedit per S. C. S. Off. si agatur de impedimentis quae ex publico delicto orta sunt, et de impedimentis disparitatis cultus ac mixtae religionis.

1013. 4) Per sacram Congregationem Propagandae Fidei in locis quae eidem Sacrae Congregationi sunt subiecta.

1014. 5) Supremis autem principibus per Brevium Secretariam, et in gravioribus negotiis per Sacrum Consilium ecclesiasticis negotiis extraordinariis praepositum. Notandum est *sub poena nullitatis esse vetitum post aditam unam Congr. aliam adire.* Negatae tamen dispensationis *mentio non requiritur si ea ab eodem superiore* fuerit negata.

§ 2. — *De delegata potestate dispensandi Episcopi vel Praelatorum qui iurisdictione quasi episcopali pollent.*

1015. Episcopus aut Praelatus dispensare possunt ex delegatione vel *expressa,* vel *tacita,* vel *praesumpta.*

1016. Delegatione expressa ex lege communi Episcopi dispensare valent a bannis seu proclamationibus matrimonialibus faciendis ex cap. 1, Sess. 24, Conc. Trid. de Reform. matr. Iuxta Decret. S. Inquisitionis *sub die 20 febr. 1888 approbatione Leonis XIII* locorum Ordinarii dispensare valent, sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem super impedimentis etiam *publicis* matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, *excepto sacro praesbyteratus Ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente.*

1017. Si tamen dispensaverint in tali necessitate ab impedimentis *Ordinis diaconatus* vel *subdiaconatus,* vel quem *solemnem professionem emiserit* et postea convaluerint, Ordinarius de impertita *dispensatione* S. C. Inq. *certiorem faciat*, et interim curet ut scandalum removeatur tum *inducendo eosdem* coniuges ut *in locum* se conferant ubi *coniugis ecclesiastica* conditio ignoratur, vel *saltem dent operam spiritualibus exercitiis et poenitentiis.* Hanc facultatem Episcopi parochis subdelegare valent si tempus ad Episcopos recurrendi deest et periculum sit in mora. S. U. I. 9 Ian. 1889. Nomine parochi non intelliguntur nisi parochi titulares ac Vicarii perpetui et temporanei, excluduntur viceparochi et capellani. S. U. I. 23 apr. 1890.

1018. Similiter Episcopi ex speciali mandato dispensant, si specialem habuerint ab Apostolica Sede delegationem. Romanus vero Pontifex vel delegat Ordinarium v. gr. Florentinum, vel N. Episcopum Florentinum. In 2° casu Vicarius Generalis ac Capitularis illis facultatibus uti non possunt nisi expresse subdelegationem ab Episcopo acceperint, secus vero in primo casu. Ceterum etiamsi

delegatus a Pontifice possit subdelegare, tamen et ei hoc prohibitum est si evidenter eius specialis industria electa fuerit.

1019. Episcopus facultates acceptas nonnisi in suos *subditos* exercet, at sufficit ut *unus* ex oratoribus, si de impedimentis *correlativis* agatur, subditus sit Indultarii aut habentis delegationem dispensandi, sicuti S. Poenitentiaria die 4 sept. anno 1839 declaravit. Episcopus in concedenda dispensatione oratores *absolvere valet a censuris ad effectum* dispensationis obtinendae et prolem iam natam legitimare excepta *adulterina,* ut S. Poenitentiaria die 1 iulii anno 1859 declaravit.

a) — *Episcopus dispensare potest ab impedimento matrimonii delegatione expressa.*

1020. Haec expressa delegatio ad dispensandum Episcopis a Summo Pontifice conceditur vel *in aliquo particulari casu inter determinatas personas,* vel *in determinatis impedimentis,* ac *determinatis gradibus,* aut *pro casibus numero definitis.* Haec *delegatio expressa pro foro externo* a S. Congr. Prop. Fidei Episcopis et Vicariis Apostolicis eidem Sacrae Congregationi subiectis conceditur *amplior* vel *strictior* iuxta quod *Episcopi* aut *Vicarii Apostolici in regionibus remotioribus aut vicinioribus degunt.* Solet etiam alias facultates *S. Poenitentiaria* Episcopis et Vicariis Apostolicis concedere *pro foro interno* vel *ad annum,* vel *ad triennium,* vel *ad brevius tempus si facultates sint extraordinariae.*

1021. Pro recta huius delegatae facultatis interpretatione haec tenenda sunt:

1022. *a*) Episcopus cum solis suis dioecesanis dispensandi facultate pollet, idest cum iis qui habent in sua dioecesi *domicilium* vel *quasi-domicilium* et *cum vagis.* Et si in formula S. Congr. de Prop. Fide clausula ponatur *nec illis uti possit extra suae dioecesis fines,* Episcopus facultatem exercere nequit nisi erga subditos qui tempore quo dispensandi sunt, in eius dioecesi commorantur, quamvis ipse extra illam degat.

1023. *b*) Si cum impedimento in quo Episcopus dispensare

potest, aliud concurrat quod ad *Apostolicam Sedem* sit *deferendum* in utroque Apostolicae Sedis dispensatio requiritur.

1024. *c*) Indultum generale dispensandi a certis impedimentis quamlibet personam et mandatum dispensandi nominatas personas, *subdelegari nequit,* iuxta tamen ea quae supra dicta sunt.

1025. *d*) Facultas dispensandi ab impedimento matrimonii est *latae interpretationis:* quare e. g. delegatio ad dispensandum ab impedimento tertii gradus consanguinitatis valet pro quarto, indultum relaxandi impedimentum affinitatis aliqua limitatione concessum extenditur ad affinitatem ex *copula licita* vel *illicita;* ita etiam facultas dispensandi ab impedimento affinitatis ex copula licita, extenditur ad impedimentum publicae honestatis quod illam comitatur; etiam facultas delegata dispensandi quoad aliquem gradum consanguinitatis seu affinitatis, ad gradum eumdem duplicatum nempe ab utroque parente provenientem extenditur; ita facultas concessa dispensandi super gradu superiore, concessa censetur etiam super inferiore; facultas dispensandi ab *impedimentis cognationis* intelligitur concessa ab impedimentis *triplicis cognationis naturalis, legalis, spiritualis.*

1026. *e*) Facultas dispensandi est *strictae interpretationis* quoties contra dispensationis *concessionem ratio militat,* vel dispensatio esset potius *dissipatio.* Ita facultas dispensandi super impedimento *publicae honestatis ex sponsalibus non extenditur ad impedimentum publicae honestatis ex matrimonio rato:* ita a *gradibus simplicibus,* non fit extensio *ad gradus mixtos,* ita si praeiudicium tertii sequeretur.

1027. *f*) Dispensatio ipsa vel mandatum dispensandi *pro determinatis oratoribus est strictae interpretationis,* neque militat argumentum a maiori ad minus nisi cum minus in maiori includitur. In genere standum est ad casus, personas, gradus, prouti in litteris delegationis indigitatur, nisi de eo agatur quod *inseparabiliter in expressis casibus, gradibus, aut personis comprehenditur.* Facultas dispensandi a pluribus impedimentis, eadem impedimenta simul unita non comprehendit nisi hoc exprimatur. S. U. I. 18 maii 1869.

Facultas dispensandi pro foro interno, vel pro pauperibus, vel pro haereticis non comprehendit facultatem dispensandi pro foro etiam externo, pro divitibus, pro catholicis [1]. Ceterum dispensatio danda est in scriptis *mentione facta de delegatione habita ab Apostolica Sede.*

b) — *Episcopus dispensare potest ex delegatione tacita.*

1028. Episcopus ex *delegatione tacita* ex consuetudine dispensat 1) in impedimentis impedientibus R. Pontifici non reservatis. Impedimenta impedientia Romano Pontifici reservata sunt: α) impedimentum impediens sponsalium, β) impedimentum impediens cultus disparitatis mixtae religionis, γ) impedimentum castitatis perpetuae, δ) impedimentum voti ingrediendi religionem cum votis solemnibus, ε) impedimentum interdicti Pontificis, ζ) impedimentum ex haeresi, η) impedimentum ex defectu legalis probationis status liberi nupturientium, θ) impedimentum ex prohibitione solemnitatum nuptiarum tempore feriato. Quare Episcopus dispensare potest a votis simplicibus R. Pont. non reservatis prouti *a*) a voto temporaneo castitatis, *b*) a voto perpetuo castitatis conditionale vel poenale, *c*) a voto non nubendi, *d*) a voto suscipiendi ordines. Excipitur tum *votum simplex castitatis* alumnorum societatis Iesu ac *votum castitatis emissum ab uxore,* qua consentiente, vir ad ordines sacros promotus est. Haec vota aequiparantur votis solemnibus et perpetuis. Caeterum facultas dispensandi quoad vota reservata concessa non intelligitur nisi de ea expressa mentio fiat. Item Episcopus delegatione tacita dispensat *ab impedimento dubio non iuris sed facti,* et dispensat *pro utroque foro* etiamsi postea impedimentum *certum appareat.*

1029. 2) Fit quaestio apud doctores an Episcopus ius acquirere possit dispensandi ab impedimentis dirimentibus *legitimae consuetudinis* causa. Etiamsi sit dicendum quod neque ex consuetudine Episcopus dispensare possit *iure proprio* et *ordinario* ab impedi-

[1] Pius IX Const. *Multis gravissimis* 26 apr. 1873.

mentis dirimentibus quia de consuetudine agitur, uti ait Benedictus XIV de Synodo dioeces. l. 9, cap. 2, 4, 6, quae *nervum ecclesiasticae disciplinae disrumpit*, *tamen* non videretur, per se loquendo, invalida dispensatio quae *ex centenaria consuetudine* concedatur ab Episcopis *sciente et non contradicente Pontifice*. Hoc enim in casu Episcopus non *iure proprio*, *sed tacita delegatione dispensaret*. Ceterum in praxi R. Pont. has dispensationes sibi reservant.

c) — *Episcopus dispensare potest ex delegatione praesumpta.*

1030. Hac delegatione Episcopi dispensare valent in impedimentis dirimentibus *pro foro conscientiae* in casu urgentissimae necessitatis tum si agatur de matrimonio *contrahendo*, tum si de matrimonio iam *contracto*. Attamen si de *matrimonio contrahendo* agatur requiritur: 1) ut impedimentum sit occultum aut publicari nequeat sine contrahentium infamia; 2) ut adsit causa gravis; 3) ut periculum sit in mora ita ut matrimonium differri nequeat; 4) dispensatio facile obtineri nequeat a Sede Apostolica, vel eius delegato.

1031. Quod si sermo sit de *matrimonio iam contracto* et nullo ob impedimentum dirimens necesse est 1) ut matrimonium sit contractum servatis omnibus Ecclesiae solemnitatibus; 2) ut sit contractum saltem ab uno ex contrahentibus bona fide; 3) ut sit consummatum; 4) ut impedimentum sit occultum; 5) neque facile adiri possit Apostolica Sedes; 6) ut coniuges separari nequeant sine scandalo; 7) dispensatio facile et brevi tempore obtineri nequeat a Sede Apostolica. Haec delegatio praesumpta valet *pro foro interno dumtaxat*, cum in necessitate fundamentum habeat animarum saluti consulendi. Proinde si impedimentum fiat publicum nova indiget dispensatione Summi Pontificis.

§ 3. — *De delegata potestate Capituli aut Vicarii Capitularis dispensandi in impedimentis matrimonii.*

1032. Iurisdictio sede vacante habitualiter residet in Capitulo Ecclesiae Cathedralis, in actu vero ex dispositione iuris in Vicario Capitulari qui intra 8 dies a Capitulo eligendus est. Capitulum autem ac Vicarius Capitularis censentur Episcopo succedere tamquam totius Dioeceseos ordinario pastori, negotiis exceptis, quae expresse denegata in iure deprehenduntur. Quare quod attinet ad dispensationes matrimoniales 1) Capitulum et Vicarius Capitularis non succedunt Episcopo quoad facultatem dispensandi ex *delegatione* expressa, *etsi et ipsi et delegationem expressam obtinere possint.* Attamen si Ordinarius qua talis delegatus fuerit, huiusmodi delegatio ad Vicarium Capitularem transmittitur. 2) Capitulum et Vicarius Capitularis dispensare possunt ex *delegatione tacita,* vel praesumpta, quia haec ad Episcopum pertinet tanquam ad ordinarium.

1033. Notetur quod quando dispensatio *in foro externo* fuit concessa ab Episcopo vel Vicario Capitulari recurri potest pro dispensatione *in foro conscientiae* sive ad Episcopum, sive ad Poenitentiariam. Non vero recurri potest ad Episcopum vel Vicarium Capit. in foro interno si dispensatio in foro externo concessa fuit ab Ap. Sede.

ARTICULUS II.

Quomodo petatur dispensatio.

1034. Matrimonii dispensationes nemini conceduntur nisi supplex libellus quacumque forma exaratus, *munitus exhibeatur testimonio ordinarii* quo ea exprimantur quae *de iure* vel *de consuetudine,* vel *stylo Curiae* exprimi debent ita ut si horum aliquid etiam ignoranter omittatur, dispensatio sua vi destituitur.

1035. Quare exprimi debet:

a) *Nomen et cognomen oratorum* utrumque *distincte* ac *nitide* et *sine ulla litterarum abbreviatione* scribendum. Error in nomine et cognomine de iure rescriptum non vitiaret si persona cui refertur sit aliis circumstantiis satis determinata, at ex praxi inductum est ut hic error rescriptum vitiare dicatur. Levis tamen error ex. gr. in mutatione alicuius literae aut syllabae non attenditur. *Verum cum dispensatio in impedimento occulto postulanda est, vel ficta nomina adhibentur, vel oratorum nomina sub litera N. reticentur.*

b) Exprimi debet *nomen dioecesis originis* vel *actualis domicilii,* non autem necesse est exprimere *locum originis* vel domicilii, aut aetatem, nisi dispensatio petatur ob angustiam loci vel locorum, aut ob aetatem. Si oratores *domicilium habeant* extra dioecesim originis, possunt pro lubito petere ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis in qua habitant. Si oratores sunt diversarum dioecesium, utriusque nomen exprimi debet. *Error in nomine dioeceseos invalidat dispensationem* eo quia nullus Ordinarius exequi literas possit.

c) Praeter dispensationis causas debet *exprimi species etiam infima* impedimenti; si enim unum pro altero ponatur non valet dispensatio, etsi bona fide id fuerit factum. Exprimi debet *gradus, numerus et variae circumstantiae impedimentorum.* Quare in impedimento *consanguinitatis* exprimi debet 1) *gradus et linea* quae si omittatur semper intelligitur *transversalis.* Si *remotior gradus* exprimatur pro propinquiori, dispensatio vitiatur, non vero si contrarium contingit. 2) Exprimendum est *an consanguinitatis vinculum sit simplex* aut *multiplex* tam *ex parte patris,* tam *ex parte matris.* Si oratores in *gradu inaequali a stipite distant,* uterque gradus est exprimendus, et si *gradus primus reticeatur* etiam bona fide, nulla est dispensatio; si gradus *reticitus est infra primum,* dispensatio executioni *demandari nequit nisi obtentis litteris declaratoriis.* In impedimento *affinitatis* exquiri debent 1) praecisus *gradus,* 2) linea vel recta vel obliqua, 3) an affinitas sit ex *copula* licita vel illicita, quod ad valorem dispensationum exigitur si agatur de 1° aut 2° gradu affinitatis, 4) an *copula* habita sit cum pluribus

consanguineis eiusdem sponsi vel sponsae, 5) si *affinitas* oriatur ex copula illicita in primo simplici, aut primo cum secundo gradu, erit quoque notanda provenientia, 6) si inter *ipsos sponsos intercesserit* copula et an cum intentione facilius impetrandi dispensationem. In impedimento *publicae honestatis* exprimi debet 1) an oriatur ex sponsalibus aut matrimonio rato saltem in primo gradu, 2) linea, 3) si oriatur ex matrimonio rato exprimantur gradus, 4) *multiplicitas.* Et si agatur de *publica honestate* ex sponsalibus, Datariae exprimi debet an soluta sint sponsalia et quomodo. In *cognatione spirituali* exprimuntur 1) utrum paternitas vel maternitas an compaternitas et commaternitas, 2) an ex baptismo, aut confirmatione quod ad validitatem dispensationis non requiritur, 3) cognationis multiplicitas. Verum multiplicitas non habetur ubi quis plures eiusdem personae filios e sacro fonte aut in confirmatione parentum loco suscipit, quia agitur de eodem sacramento et de iisdem personis. In impedimento *criminis* exprimatur 1) genus et species impedimenti, 2) si alius nuptiali impedimento dispensationem obtinuerit. In impedimento *raptus* exquiri debet omne id quo hoc impedimentum constituitur.

d) Exquiri debet etiam *an matrimonium contractum initum fuerit bona fide* saltem ex *parte unius, vel non,* an praemissis denunciationibus, an forma Tridentina, an consummatum.

1036. Tandem notetur quod hodie *SS. D. N. Leo Pap. XIII decreto Sup. Univ. Inq. edito die 25 iun. 1885* revocavit decretum *S. Inqu. et S. Poenitentiariae* quo edicebatur aperiendam esse sub *poena invaliditatis* in supplici libello *copulam incestuosam a sponsis ante dispensationis executionem habitam*, etsi occultum, nec non intentionem facilius consequendi dispensationem qua eamdem copulam forte patrassent. Quare post diem 25 iunii 1885 etiam in supplici libello reticeatur *copula incestuosa inter sponsos,* nec non *intentio,* qua eamdem copulam forte patrassent, facilius consequendi dispensationem, dispensatio est valida.

ARTICULUS III.

A quibus impedimentis et quibus de causis petatur dispensatio.

1037. Duo quaeruntur: 1) a quibus impedimentis dirimentibus vel impedientibus petatur dispensatio; 2) quibus de causis ab impedimentis impedientibus et dirimentibus dispensatio petatur.

§ 1. — *A quibus impedimentis dirimentibus et impedientibus petatur dispensatio.*

1038. Impedimenta dirimentia quadrupliciter distinguuntur: alia sunt in quibus dispensari non potest, alia sunt in quibus non dispensatur, alia sunt in quibus dispensari solet, alia in quibus passim dispensatur.

1039. *a*) *Impedimenta in quibus dispensari non potest* neque a Rom. Pontifice, sunt impedimenta quae a iure naturae, vel a iure divino positivo originem habent. Tale est impedimentum aetatis rationis usu destitutae, *impedimentum impotentiae* antecedentis et perpetuae, *impedimentum consanguinitatis lineae rectae* in 1° gradu saltem, et generatim omnia impedimenta quae *matrimonii essentiae adversantur* uti vis, error, ligamen. Attamen quoad *impedimentum ligaminis divino iure* inductum, ipsum *divinum ius* exceptionem statuit circa *matrimonia rata et non consummata* fidelium, quae vel invito *altero coniuge* tum *solemni professione religiosa*, tum *Summi Pontificis auctoritate ob causam gravem* sive *publicam* sive *privatam*, aliquando dissolvuntur. Idem contingit *in matrimoniis infidelium consummatis* quorum alter ad fidem convertitur, alter vero *nec converti* vult *nec pacifice et sine contumelia creatoris cum converso habitare.*

1040. *b*) *Impedimenta a quibus non dispensatur* sunt de quibus controvertitur an sint de *iure divino* vel *humano*, uti 1) *impedimentum consanguinitatis in 1° gradu lineae transversae;* 2) et *primus affinitatis gradus lineae rectae ex connubiali copula.* Quare

ab hoc impedimento affinitatis neque dispensare possunt Missionarii quibus per Indultum conceditur facultas dispensandi in gradibus consanguinitatis iure divino non prohibitis.

1041. *c*) *Impedimenta a quibus dispensari non solet* sunt: 1) *impedimentum clandestinitatis saltem cum agatur de matrimonio contrahendo;* 2) *impedimentum criminis utroque vel alterutro machinante, si machinatio sit occulta, nonnisi ex necessitate dispensatur;* 3) *raro etiam dispensatur in impedimento publico primi gradus affinitatis lineae rectae ex copula illicita.* Quod si detur, hoc in casu dispensatio hac conditione datur ut sponsa nata sit antequam sponsus cum matre sponsae rem habuerit. Quod si coniunctio illicita, ex qua orta est affinitas, putatur legitima, adiicitur conditio ut ante executionem dispensationis caveatur ne in vulgo oriatur opinio erronea dispensatum fuisse in impedimento primi gradus lineae rectae ex legitima coniunctione. 4) *Raro dispensatur ab impedimento disparitatis cultus in regionibus catholicis,* facilius inter infideles. Nonnisi ex gravissima et publica causa dispensatur ab *impedimento ordinis sacri,* vel *professionis solemnis.*

1042. *d*) *Impedimenta in quibus passim dispensatur, sunt impedimenta ex remotioribus gradibus consanguinitatis, affinitatis, publicae honestatis, cognationis spiritualis aut legalis.*

1043. A quibus impedimentis impedientibus petitur dispensatio? Ab omnibus impedimentis impedientibus peti potest dispensatio, habita ratione tamen ad impedimenta impedientia Romano Pontifici reservata vel non. Vidimus in articulo primo huius capitis quaenam sint impedientia impedimenta R. Pontifici reservata.

§ 2. — *Quibus de causis dispensatio petatur ab impedimentis impedientibus.*

1044. In genere cum dispensatio prouti legis vulnus iure merito habeatur, nonnisi ex rationabili causa dispensatio ab impedimentis etiam tantummodo impedientibus peti potest. In specie autem quod attinet ad *impedimenta impedientia* R. Pontifici reservata haec sunt notanda:

1045. *a*) Relate ad *impedimentum ex vinculo sponsalium* 1) durante actione iudiciali super validitate sponsalium, oratores non audiuntur pro dispensatione obtinenda; 2) oratores de dispensatione pariter non audiuntur nisi prius ecclesiastica auctoritas hortationes ac minas adhibuerit erga reluctantem fidem servare, et monita interposuerit quoad aliam partem, ut iuri suo propter graviora damna sequutura renunciet. Quae hortationes ac minae ad iuris tramites faciendae sunt; hinc prius monendus reluctans, dein compellendus etiam per censuras a quibus tamen abstinendum si graviora praevideantur mala. 3) Dispensatio a vinculo sponsalium peti non potest nisi ex gravissimis circumstantiis praevideatur matrimonium contrahendum infaustum et graviorum malorum causam extiturum.

1046. *b*) Relate ad *vota R. Pontifici reservata* 1) maior causa requiritur ad petendam dispensationem quando agitur de *mera dispensatione*, quam cum agitur de *commutatione*, uti gravior causa *exigitur in commutatione dispensationi admixta*, quam in *simplici commutatione*. 2) Item si simul concurrunt *vincula voti et iuramenti, maior causa exigitur ad dispensandum super utroque quam super alterutro*. Secus si agatur de commutatione, per hanc enim neutrum vinculum tollitur. In praxi dispensatio non conceditur nisi mixta cum commutatione. 3) Ceterum causae sufficientes ad petendam dispensationem a votis reservatis sunt: si ob mutationem materiae dubitatur an votum evaserit inutile, vel malum; si vovens dubitet an vovendo animum habuerit sese obligandi; si votum ex levitate animi emissum fuit, vel ex metu aut dolo extortum; si sit incontinentiae periculum, aut magna difficultas illud implendi ex fragilitate; si proponatur compositio pecuniaria ad causas pias.

1047. *c*) Relate ad *matrimonia mixta inter baptizatos* dispensatio peti non debet nisi gravissimae rationes id suadeant, uti si periculum adsit quominus matrimonium ut dicitur civile dumtaxat contrahatur. Facilius dispensatur inter principes ob maiorem difficultatem inveniendi coniugem.

1048. *d*) Relate ad *impedimentum ex defectu legalis probationis*

de statu libero, peti non potest ut *iuramento nupturienti delato huic defectui suppleatur* nisi in *casibus necessitatis,* et si agatur de viduis quae probationem de obitu coniugis nequeunt exhibere, nonnisi in casu conceditur quo accedente publica fama aliisque indiciis, de coniugis obitu probabilis praesumptio habeatur.

§ 3. — *Quibus de causis dispensatio petatur ab impedimentis dirimentibus.*

1049. Hic pariter principium recolendum est iam supra relatum quod nempe dispensatio peti non potest nisi ex gravi et rationabili causa, et quidem tanto gravior causa requiritur, quanto gravius est impedimentum.

1050. Ceterum notetur 1) *Una causa seorsim* insufficiens, altera accedente, sufficiens fieri potest. 2) Etsi superior sine iusta causa possit dispensare, non praesumitur tamen ita agere. 3) Inferior *sine iusta causa invalide* dispensat. *Causae praecipuae* quae in iure uti sufficientes ad petendam dispensationem sunt: 1) *Angustia loci* sive absoluta, sive relativa, uti si cognatio foeminae in loco originis vel domicilii ita sit propagata ut alium paris conditionis invenire nequeat nisi consanguineum vel affinem. Angusta loca censentur quorum inhabitantes non sunt ultra 1500, uti declaravit Pius IX in ep. ad Card. Spinola Pro-datarium 1847. 2) *Aetas foeminae superadultae.* 3) *Defectus aut incongruentia dotis.* 4) *Paupertas viduae.* 5) *Bonum pacis.* 6) *Nimia suspecta periculosa familiaritas vel cohabitatio sub eodem tecto.* 7) *Copula cum consanguinea vel affini* vel alia persona impedimento laborante praehabita, et magis si consecuta sit praegnatio et ita fiat necessaria legitimatio prolis. 8) *Infamia mulieris ex suspicione* orta quod ipsa cognita sit a consanguineo, licet suspicio sit falsa. 9) *Revalidatio matrimonii* quod bona fide, publice servata forma Tridentina contractum sit, et tamen nullum fuit ob aliquod impedimentum dirimens. Difficilius conceditur dispensatio si contrahentes erant in mala fide. 10) *Periculum matrimonii mixti,* vel coram acatholico ministro. 11) *Periculum incestuosi concubinatus.* 12) *Periculum matrimonii civilis.*

13) *Remotio gravium scandalorum, aut publici concubinatus.* 14) *Excellentia meritorum oratoris* etc. etc. Possunt igitur et aliae allegari causae vel motiva ut ex. gr. deformitas, infirmitas, paupertas etc.

CAPUT II.

DE DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM CONCESSIONE ET EXECUTIONE.

1051. Duo hoc in capite videnda sunt: 1) quomodo dispensationes matrimoniales concedantur; 2) quomodo dispensationes matrimoniales executioni mandentur. Sit igitur:

ARTICULUS I.

Quomodo dispensationes matrimoniales concedantur.

1052. Dispensationes matrimoniales quoad eas concedendi modum, differre possunt vel *forma,* vel *foro,* vel *conditione* aut *clausula* eis apposita.

1053. Quoad *formam a*) dispensatio matrimonialis conceditur vel in *forma gratiosa,* vel in *forma commissoria.* Si in *forma gratiosa* ille cui dispensatio committitur non est nisi dispensationis iam a Pontifice concessae executor, secus si in forma *commissoria.*

1054. *b*) Dispensationes a Dataria Apostolica expediuntur vel in *forma nobilium,* vel in *forma communi* seu *ordinaria,* vel in *forma pauperum.* Dispensationem in *forma pauperum* illi consequuntur solum qui pauperes sunt. Pauperes dicuntur qui ex suis laboribus vivunt, qui in Italia possident bona quae 300 scutatorum romanorum, extra Italiam 525 scutatorum summam non excedunt, deducto aere alieno et expensis pro bonorum administratione atque operibus [1]. Quod si bona parum hanc summam excedant dicuntur

[1] Cfr. Giovine de dispensationibus matr. II, § 18, n. 8.

fere pauperes. Qui autem sunt *fere pauperes,* praeter *taxam consuetam pro pauperibus, aliam componendam titulo eleemosynae solvere tenentur.*

1055. Quoad *forum* dispensationes dantur pro *foro interno,* vel pro *foro externo,* vel pro *utroque foro.* S. Poenitentiaria vero prouti monuimus non concedit dispensationes matrimoniales nisi pro foro interno, et pro foro externo pro pauperibus.

1056. Quoad clausulas quae dispensationibus apponuntur, aliquando induunt naturam conditionis; aliquando praecepti. In 1° casu si conditiones non serventur dispensatio invalidatur; in 2° casu dispensatio fit solum illicita. Clausulae 1) quae per particulas exprimuntur *si, dummodo, postquam,* vel quae *ablativo absoluto* afferuntur conditiones esse generatim censentur; 2) quae item id exprimunt quod *ex ipsa* rei, de qua agitur, *natura* vel *ex iure* sit servandum, conditionis naturam induunt vel praecepti iuxta ius aut rei naturam a qua exiguntur. Hisce positis nonnullae clausulae dispensationibus apponi solent a *Sacra Dataria,* alia a *Sacra Poenitentiaria.*

1057. Praecipuae clausulae Datariae Apostolicae hae sunt:

1) *Nos igitur eosdem... et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum dumtaxat praesentium consequendum horum serie absolventes* etc.

De rescriptis vidimus quod excommunicati et censura irretiti sunt incapaces rescriptorum; hinc ut valeat dispensatio matrimonialis praemittitur absolutio a censuris solum tamen ad hunc effectum consequendum, ita ut quoad alia oratores maneant censura vel poena innodati. *Ab huius clausulae beneficio excipiuntur excommunicati nominatim denunciati, et publice excommunicati.*

2) *Certam de praemissis notitiam non habentes... discretioni tuae, de qua plenam in Domino fiduciam habemus, mandamus.* Per hanc clausulam exprimitur forma expeditionis quae est *com-*

missoria ita ut delegatus dispensationis executionem subdelegare nequit cum electa sit industria delegantis.

3) *Volumus autem quod si tu, spreta monitione nostra huiusmodi aliquid muneris aut praemii occasione praemissorum exigere aut oblatum recipere temere praesumpseris, excommunicationem latae sententiae poenam incurras.*

Delegatus seu executor occasione dispensationum matrimonialium non debet aliquid accipere ratione muneris, seu praemii. Alioquin subiicitur excommunicationi *latae sententiae reservatae.* Post executionem dispensationis si aliquid gratis offeratur accipi potest.

4) *De praemissis te diligenter informes et si per informationem eamdem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus.*

Executor sive *per se* sive *per alium* inquirit si vera sint exposita in petitione ab oratoribus. Etsi quaestio oriatur, per iudicium dirimenda est controversia, alioquin sufficit extraiudicialis informatio. Informatio atque explanatio per hanc clausulam est *conditio sine qua dispensatio esset invalida.* Ceterum ad validitatem sufficit ut saltem *una causa motiva* verificata sit. A iudicio inquisitorio non appellatur nisi ad R. Pont. vel ad Cardinalem Prodatarium, vel ad Congr. Prop. Fidei.

5) *Et quatenus contra ipsas causa super praemissis in iudicium quoquo modo deducta fuerit, posito iudicato.*

Ponitur haec clausula quando dispensatio petitur ab oratoribus incestuosis sive *ad contrahendum* sive *ad revalidandum coniugium* invalide initum. Si enim saltem unus ex oratoribus ante executionem dispensationis deductus foret vel accusatus ad forum contentiosum ecclesiasticum vel laicum, plectendus poenis incestuosorum absolvi nequit in foro interno, neque in externo ei suffragaretur, neque dispensatio valida esset.

Itaque hac clausula delegatus oratores a reatu incestus et poenis absolvere et ab impedimento dispensare non prius potest quam reipsa perveniat sententia lata vel ferenda a foro ad quod eorum crimen deductum est, alioquin dispensatio esset invalida, quia

delegatus privatur iurisdictione. Quod si oratores ad nullum delati sint forum, aut sententiae paruerint, delegatus eos absolvere et dispensare potest ita ut amplius in foro externo de incesto puniri possint.

6) *Et recepto ab eis iuramento quod sub spe facilius habendae dispensationis huiusmodi, incestum hunc non commiserint.*

Si oratores hoc iuramentum non praestant, vel si falsa iuraverint, dispensatio est invalida. In secundo casu a S. Poenitentiaria petitur dispensationis instauratio. *Non sunt indigni dispensatione* tamen qui *incestum commiserunt sub spe obtinendi dispensationem,* non vero facilius obtinendi. Attamen recolantur quae de his supra diximus.

Quando dispensatio data est *in forma pauperum,* inseruntur clausulae circa necessitatem ut delegato *constet de paupertate, de absentia cuiuslibet impedimenti, de scandalo non orituro, an dispensatio aliis damnum* inferat. Quoad *paupertatem* duplex instituitur examen tum *antequam dispensatio impetretur,* tum *in eius executione.* Si oratores non sint pauperes cum dispensatio detur *a S. Dataria* quae constituit tribunal ipsius Pontificis, ita ut non agat *potestate delegata,* dispensatio est illicita, sed valida; tamen delegatus dispensare licite non potest.

1058. Praecipuae clausulae Sacrae Poenitentiariae sunt:

Aliae respiciunt *forum externum,* aliae vero *forum internum.*

1059. Clausulae praecipuae quoad forum externum sunt:

1) *Erogata ab eis aliqua eleemosyna iudicio ipsius Ordinarii taxanda et definienda.* Ordinarius non solum eleemosynam taxare debet sed etiam statuere in quale opus sit eroganda, si finis in rescripto non indigitatur. Haec clausula continet conditionem sine qua non dispensatio est invalida. Solet apponi in rescriptis quando locum habuit incestus.

2) *Praevia absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis ob praemissa quovis modo incursis et ab incestus reatibus usque ad praesentium executionem forsan iteratis cum gravi poenitentia salutari.* Quae clausula apponi solet quando inter sponsos incestus

intervenit. Quatuor sunt clausulae partes, *absolutio a censuris, absolutio ab aliis poenis ecclesiasticis, absolutio ab incestus reatibus, impositio gravis poenitentiae salutaris.*

Denique et aliae apponuntur clausulae quae si adnexae non sint, subintelligi debeant: a) *dummodo inter eos aliud canonicum non existat impedimentum;* b) *dummodo ad Apostolicam Datariam pro eadem dispensatione recursus factus non fuerit.*

1060. Quoad clausulas Sacrae Poenitentiariae in *foro interno,* notetur litteras dispensatorias a Maiori Poenitentiario ad oratorum Confessarium dirigi vel *cum inscriptione discreto viro Confessori ex approbatis ab Ordinario,* vel *discreto viro N. Confessori* vel *alia simili ratione,* vel *discreto viro Confessori magistro in theologia* vel *Decretorum doctori ex approbatis ab Ordinario.* Per citata verba designatur qualitas illius *qui deputatur executioni.* Si cui litterae reddantur postquam litteras aperuerit videat se aliquo ex requisitis carere, vel *nolit electionem* acceptare, non opus est *novarum litterarum* petitione sed primae tradi possunt per oratorem alteri confessario quem oratores elegerint.

1061. 1) Praecipua clausula quae numquam deest est: *Si ita est,* qua committitur onus indagandi veritatem precum. Quare executor monere debet eum qui dispensationem petiit, ut nihil a veritate alienum proferat. Deinde opus est ut diligenter investiget utrum revera probentur omnia quae ille testatus fuerit. Non tamen ulli testes inquirendi sunt, sed illum examinari solum fas est qui dispensationem impetravit. Si haec amittantur irrita est dispensatio nisi aliunde executor rei veritatem cognoverit.

2) *Quodque in pauperes faciant aliquam eleemosynam.* Haec clausula non est iniuncta uti in dispensationibus pro foro externo verbo *erogata* ac proinde non constituit conditionem pro valore.

3) *Dummodo impedimentum occultum vel omnino occultum sit.* Notetur quod in litteris S. Poenitentiariae impedimentum dicitur occultum licet aliquibus sit notum puta 4 vel 5 in oppido, dummodo nullum probabile periculum sit quod publicetur. Quare

in praxi non solum consideratur numerus personarum quibus impedimentum notum est, sed magis eorum qualitas.

Dicitur autem *omnino* occultum impedimentum quod ita occultum est quod ne probari quidem ulla ratione posset; quod plerumque accidit cum impedimentum criminis dispensandum proponitur.

Si crimen ad forum contentiosum deductum fuerit, censetur occultum si accusatus absolutus fuit ut innocens, vel dimissus quia culpabilis probatus non fuit. Censetur publicum si reus non obtinuit sententiam definitivam sed tantum libertati redditus fuit interposita cautione de se repraesentando.

Si impedimentum publicum sit in alio loco, occultum vero ubi oratores degunt, et de hoc mentio facta non fuit in petitione dispensationis, rursus ad Sacram Poenitentiariam recurrendum est.

Si impedimentum aliquando fuit publicum, et a decennio est occultum, in iure pro occulto habetur, quod etiam verificatur si factum est publicum at non cognoscitur uti criminosum.

4) *Dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum.* Haec clausula valet etiamsi ab alio impedimento dispensatio obtenta fuerit a Dataria in foro externo, de qua tamen dispensatione facta non sit mentio in petitione ad S. Poenitentiariam [1].

ARTICULUS II.

A quo et quomodo dispensationes matrimoniales executioni mandentur.

1062. Videndum est 1) a quo, 2) quomodo dispensationes matrimoniales executioni mandentur.

[1] Consulantur: Giovine *de dispensationibus matrimonialibus;* Zitelli *de disp. matrim.*

§ 1. — *A quo dispensationes matrimoniales executioni mandentur.*

1063. Certum in iure est quod executio Litterarum Apostolicarum ab alio facta, quam *ab eo cui* ab Apostolica Sede dispensandi potestas fuerat commissa, prorsus irrita haberi debet.

1064. Non solet autem in *mandatis ad dispensandum* exprimi *proprium executoris nomen* ne dispensatio videatur commissa industriae personae, qua ante illius executionem defuncta dispensatio sine executione maneret, sed exprimi solent *personae dignitas* vel *officium* quo fit ut si haec persona ante executionem moriatur, vel ab officio et dignitate excidat, eius successor exequi dispensationem possit.

1065. Summus Pontifex Leo XIII probavit die 11 aug. 1887 hoc S. Inqu. decretum *a*) dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendae sunt vel oratorum Ordinario vel Ordinario loci; *b*) *appellatione* Ordinarii veniunt *Episcopi Administratores* seu *Vicarii Apostolici, Praelati* seu *Praefectus habentes iurisdictionem cum territorio separato* eorumque officiales seu *Vicarii in spiritualibus generales*, et sede vacante Vicarius Capitularis vel legitimus administrator; *c*) *Vicarius Capitularis* seu Administrator eas quoque dispensationes ap. exequi potest quae *remissae fuerant Episcopo aut Vicario Generali vel Officiali nondum executioni mandatae*, seu hi illos exequi ceperint, sive non; et vicissim potest Episc. vel eius Vicar. Generalis in spiritualibus exequi dispensationes Vicario Capitulari commissas sive hic illas exequi ceperit sive non; *d*) dispensationes matrim. *Ordinario oratorum commissae ab illo Ordinario* exequi debent *qui dedit literas testimoniales*, vel preces transmisit ad Sedem Ap. sive hic sit *ordinarius originis*, sive *domicilii*, sive *utriusque sponsi*, sive *alterutrius eorum*, etiamsi *sponsi quo tempore executioni danda erat dispensatio*, relicto illius dioecesis domicilio in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen, si id expediens iudicaverint, *Ordinario loci in quo matrimonium est contrahendum*. *e*) *Ordinario praedicto*

fas est, si ita expediat, ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, loci praesertim ubi sponsi actu degunt.

1066. Quoad Vicar. Gener. notetur 1) *quod potest exequi dispensationem quamvis Episcopus nondum sit consecratus sed solum confirmatus,* imo etiam si *Episcopus excommunicatus aut suspensus existat* [1]. 2) Si *Episc. plures habeat dioeceses* et plures Vicar. Gener. tunc si unus ex his ab altero non dependeat, *ille intelligitur delegatus, ad cuius dioecesim oratores pertinent.* Quod si unus ex Vicariis sit principalior ac ipsi reservatae sint omnes causae matrimoniales is est dispensationum executor. 3) *Si iurisdictio Vicarii Generalis* iam expiravit, dummodo hoc communiter ignoretur valide ab eo dispensatur, secus si esset in officio intrusus absque titulo.

1067. Quinam exequi debeat dispensationes pro foro conscientiae a Maior. Poenit. expeditas iam vidimus.

Executor *tunc solum* obtinet facultatem dispensandi cum *accipit exemplar originale Apost. Litterarum,* etiamsi cognoscat litteras in curia esse expeditas. S. C. Conc. 12 ian. 1606. Si executor reperiatur extra dioecesim, potest exequi litteras Ap. sibi commissas dummodo *alteri idoneo viro commoranti in dioecesi* subdeleget auctoritatem *capiendi informationes, audiendi testes, et conficiendi processus si opus sit.*

§ 2. — *Quomodo dispensationes matrimoniales executioni mandentur.*

1068. Si de dispensationibus in foro externo sermo sit, executor ante omnia ut plurimum *de precum veritate examen* instituere debet ne forte si preces veritate non nitantur dispensatio sit invalida; secus *si nulla ratio dubitandi* subsit.

1069. Quare verificare debet *nomen et cognomen oratorum,* et si error sit substantialis, dispensatio exequi non debet, sed iterum

[1] Quoad executionem dispensationis ab impedimento impediente vinculi ex sponsalibus executio Episc. mandatur, qui nequit Vic. Gen. delegare in iis quae respiciunt nudum ministerium.

ad Ap. Datariam est recurrendum. *Verificare debet an error* contigerit circa *impedimenta in litteris expressa,* qua in re in primis audiantur contrahentes, qui veritatem aperire tenentur *nisi obstet impedimentum occultum a quo iam obtinuerunt dispensationem,* secus si hoc impedimentum evaserit publicum quia tunc indiget vera dispensatione. *Postea alii testes praesertim* parentes et vicini audiuntur. Dein executor verificat 1) *an error contigerit* in expressione impedimentorum connubialium quae in narrativa apostolici mandati leguntur; 2) *an aliud obstet* quod reticitum fuit in prioribus vel postea contractum. Si error fuit in gradibus et dispensatio impetrata fuit super propinquiori pro remotiori, valida erit dispensatio, secus si error fuit circa genus impedimenti, aut circa impedimentorum numerum.

1070. Quibus peractis delegatus *conficit decretum executionis in scriptis* non tamen sub poena invaliditatis, dummodo nihil in decreto omittatur ex iis quae necessario exprimenda sunt.

Huius decreti *transumptum* partibus tradendum est.

1071. At dispensatio *pro foro tantum conscientiae* in confessione viva voce facienda est. Ipse debet in confessione *poenitentem examinare, inspicere* an *preces veritate nitantur* et an *aliud lateat impedimentum,* an *sine scandalo fieri possit separatio.* Differtur dispensatio donec auferatur causa proxima peccandi.

1072. Confessarius autem non poterit litterarum originale exemplar asservare, sed illud *destruere* tenetur. Si impedimentum sit solum ex una parte uti votum castitatis, vel si est ex *utraque parte contrahentium* unius tantum culpam habet coniunctam, in hanc solum executio fiat, quae alteri manifestari debet si impedimentum cognoscat, secus si uterque contrahentium culpabilis sit.

1073. Verum unusquisque contrahentium potest eligere pro lubito confessarium ad eas litteras exequendas. Tunc autem *prior confessarius* post *dispensationem uni ad formam litterarum* concessam, debet literas S. Poenit. *poenitenti restituere,* ut per illam alteri parti tradantur quae similiter easdem literas secum exequi faciat per alium Confessarium, cuius erit in huiusmodi casu, con-

fecto negotio, *literas lacerare.* Hoc iuxta mentem S. Poenit. est cum impedimentum plerumque iam pro uno sublatum, etiam pro alio non existat, quare hoc praescribitur non ad *validitatem* dispensationis sed ut utrique coniugum solutiones poenitentiae imponantur.

1074. Hodie tamen praedicta dispositio locum non habet et in fine rescripti addi solet *facta tibi potestate his litteris utendi etiam cum altera parte si ad te pro absolutione accesserit.*

CAPUT III.

DE DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM CESSATIONE.

1075. Generaliter dispensationes matrimoniales cessant eo modo quo cessant rescripta nempe vel *ab intrinseco* vel *ab extrinseco.*

1076. Ab intrinseco dispensatio matrimonialis cessat vel potius nullam vim habet usque ab initio si in *petitione* vel *error irrepserit*, vel *relicta est veritas ex dolo et malitia.* Quod si *obreptio* vel *subreptio* fuerit ex ignorantia et ingenuitate, videndum an error fuerit dumtaxat accidentalis seu ut dicitur in *causa impulsiva,* vel fuerit *essentialis* seu in *causa motiva,* quo in secundo casu dispensatio nulla esset. Ceterum recolantur quae supra dicimus de *dispensationum executione, de clausulis, de petitione* etc. Quare 1) nullam vim habet dispensatio si concedatur ab iis *qui potestatem dispensandi in eo casu non habent.* Et ita nulla videtur dispensatio a S. Poenitentiaria concessa in *forma pauperum* si oratores *non sint pauperes,* prouti supra retulimus. Item *nulla est dispensatio* quae ab Episcopo concedatur vel *in impedimentis dirimentibus,* vel *in impedimentis reservatis,* iuris exceptionibus servatis, vel *quoad non suos subditos.* Item nulla dispensatio in casibus ad quos extendi nequit. 2) Nulla est dispensatio *si in petitione omissa sunt quae necessaria sunt ad dispensationis validitatem* iuxta superius dicta in art. 2, cap. 1, de petitione disp. 3) *Nulla esset dispensatio si ex hypothesi data fuerit ab impedimentis iuris naturae,* aut *iuris*

divini, nisi excipiatur dispensatio ab impedimento ligaminis quoad matrimonium ratum, et dispensatio ab interpellationibus coniugis infidelis iuxta art. 3, cap. 1. 4) *Nulla est dispensatio si non observatae sint clausulae quibus concessa est, quaeque induunt naturam conditionum* ad validitatem iuxta art. 1, cap. 2. 5) *Nulla est dispensatio quae ab eo executioni mandatur* qui executionis potestatem non habet iuxta art. 2, cap. 2. 6) Item nulla esset dispensatio si vera non est causa *motiva* ob quam data fuit dispensatio in forma commissoria; sufficit tamen quod vera sit tempore quo delegatus dispensat. Et si agatur de dispensatione in *forma gratiosa* sufficit ut sit vera tempore quo a Pontifice conceditur.

1077. Ab extrinseco cessant dispensationes 1) *per mortem concedentis,* 2) *per mortem executoris,* 3) *per renunciationem indultarii,* 4) *per revocationem.*

1078. 1) Per mortem concedentis. – Distinguendum est inter dispensationes concessas a *S. Poenitentiaria*, et dispensationes *quae a Dataria conceduntur*. Morte Pontificis non cessant *dispensationes pro foro interno* quae a S. Poenitentiaria conceduntur *quamvis res sit adhuc integra*, vel Maior Poenitentiarius suum munus dimiserit. *Cessant vero dispensationes quae datae sunt a Dataria,* vel *a S. Poenitentiaria pro foro externo.* Excipiuntur dispensationes iam concessae in forma *gratiosa*, et dispensationes in forma *commissoria* quarum tamen res non est adhuc integra quia iudicium a quo semel coeptum est finiri debet. Item morte Pontificis non cessat auctoritas dispensandi quae generatim et indeterminatim quoad personas dispensandas concessa est Episcopis, vel Vicariis Apost. ad dispensandum a determinatis impedimentis seu gradibus ad quinquennium vel triennium.

1079. 2) Per mortem executoris. — Cessat potestas exequendi dispensationem si executio commissa est *industriae personae, non vero dignitati* vel *officio* eiusdem, quo in casu eius successori facultas dispensandi transmittitur.

1080. 3) Renunciatione indultarii. — Cessat renunciatione indultarii si renunciatio *fiat penes ipsum concedentem*, non vero

penes delegatum, vel si ad longum tempus dissimulat. Ceterum renunciatio esse potest vel *explicita,* vel etiam *implicita* ut si ex. gr. obtenta dispensatione ab impedimento consanguinitatis, cum hoc consanguineo, orator novam dispensationem petat penes Sum. Pontificem ut contrahat cum alio consanguineo. Quae renunciatio *tacita* vel *implicita* non haberetur si contrahentes qui obtinuerunt dispensationem, contrahant novum matrimonium quod non indiget dispensatione. Si enim ex hypothesi solvatur eorum matrimonium morte alterius coniugis, possunt adhuc inter se contrahere vi obtentae dispensationis.

1081. 4) Revocatione concedentis. — Verum R. Pontifices non solent revocare dispensationem sine gravi causa. Revocatio autem quae a Romano Pontifice fiat ante matrim. celebrationem etiam sine iusta causa, etsi illicita est tamen valida. Quod si revocatio fiat a iudice inferiore quoad dispensationem quam ipse *ex delegatione* concessit, si sine iusta causa, non modo revocatio esset illicita sed et *invalida*.

1082. Notatur *a*) *iuxta responsionem S. Poenit.* die 27 iun. 1885 appr. Leonis XIII. Ordinarius exequi potest dispensationem, etiamsi ex errore partes ante eius executionem contraxerint matrim. forma Tridentini servata. At necesse est ut rursus coram Parocho et testibus renovato consensu partes consistant.

b) Si delegatus in *foro externo servata sui mandati forma,* ex errore censuit non esse dispensandum, cognito errore nequit decretum retractare; excipitur si mandati sui formam non servavit quia tunc sua non usus est iurisdictione. Secus dicendum de *Ordinario* aut *de delegato in foro interno*.

CAPUT IV.

DE DISPENSATIONE AB IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS MATRIMONIUM PER SANATIONEM IN RADICE.

1083. *Sanatio in radice* nihil aliud est quam *dispensatio qua abrogatur lex irritans matrimonium* in casu *speciali quoad matrimonium* contractum ita ut simul tollantur effectus qui ex illa lege irritante secuti sunt.

1084. Quare haec dispensatio, quae dicitur *sanatio in radice,* ab aliis distinguitur in *forma communi* concessis, ut nempe dispensationes in forma communi a momento quo applicantur incipiant vires suas exercere, et per consequens respiciant *futurum; sanatio* autem *in radice* rotrotrahitur ad *momentum celebrati contractus matrimonii.* Agitur enim de lege quae respicit *inhabilitatem* quae ad actus praeteritos referri potest quatenus validi et legitimi declarentur actus et effectus qui ob legem irritantem invalidi fuerunt. De quibus iam diximus agentes de legibus.

1085. Qua de causa per *sanationem in radice,* uti ait Benedictus XIV Const. *Etsi matrimonialis* 27 sept. 1755, *non fit ut matrimonium nulliter contractum, non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob huiusmodi matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt.*

1086. Requisita ut sanatio in radice concedatur, sunt:

1) *Ut omnia requisita iure naturae habeantur quibus possit matrimonium reviviscere, et sunt* a) *ut quando contractum fuerit matrim., adfuerit verus et naturalis consensus signis externis sufficienter expressus;* b) *ut status matrimonialis inductus vi prioris consensus perseveret.*

2) Ut impedimentum sit *iuris Ecclesiastici* super quo Ecclesia possit et soleat dispensare; alioquin uti non potest in *forma communi* dispensare, ita neque per sanationem in radice.

3) Ut unio inter *virum et mulierem figuram habeat matrimonii etsi matr. fuerit nullum ob impedimentum dirimens;* quare unio concubinatus non potest in radicem sanari, sed sanatur matr. clandestin., et etiam ex gravi causa matrimonium civile ubi promulgatum est decretum Trid. de clandestinitate.

4) *Ut urgeat causa gravis uti si plures matrimonia irrita* contraxerunt quae *sine scandalo* revalidari nequeunt per iterationem consensus communi ratione faciendum 1) *si proles sit legitimanda,* 2) *si impedimentum sit alterutri coniugi ignotum et timeatur ne ille certior factus de impedimento novum consensum dare recuset,* 3) *vel a matrimonio resiliat,* 4) *si uterque coniux est in bona fide et urgens sit motivum eos non monendi de nullitate matrimonii.*

1087. *Effectus sanationis in radice sunt* a) *validitas matrimonii,* b) *legitimatio prolis.* Sanatio in radice obtineri potest etiam coniugibus praesumptis praemortuis ad *legitimandam prolem.*

1088. Sanatio in radice *executioni mandatur eo modo quo aliae dispensationes, servatis litterarum dispensationis clausulis.* At si *data fuerit in matrimonio non inito in forma Tridentina, in foro interno, matrimonium inscribitur inter matrimonia secreta.*

1089. Ex his apparet quomodo *sanatio in radice* differat ab aliis modis quibus *revalidatur matrimonium nullum.*

Etenim matrimonium invalidum esse potest 1) *ob defectum consensus substantialis,* 2) *ob defectum formae praescriptae,* vel 3) *ob inhabilitatem partium.*

In 1° casu *sanatio in radice* concedi non potest neque dispensatio uti vidimus, sed matrimonium revalidatur per simplicem ipsius consensus renovationem.

In 2° casu si matr. est nullum *ob defectum formae Tridentinae, sanatio in radice* conceditur, cum nullum scandalum timetur atque una pars renuit consensum renovare et vitium clandestinitatis *occultum* est. Aliis in casibus, nisi dispensatio obtineatur ab Apostolica Sede, matrimonium revalidatur, illud rursus contrahendo

coram Parocho et testibus vel *publice* vel *occulte* prouti nullitas matrimonii publica vel occulta sit.

In 3° casu vel conceditur *sanatio in radice*, vel *dispensatio simplex ab impedimentis*, quo in ultimo casu tria sunt notanda: 1) *si matrimonium est irritum impedimento iuris divini, si quando validari potest, per novum utriusque partis consensum post cognitam nullitatem* convalidari debet. Uti infidelis conversus ad fidem si prima uxor recusat amplecti fidem et pacifice cohabitare, poterit quamlibet ex aliis uxoribus retinere, dummodo fidelis fiat, sed in hoc casu novus utriusque consensus requiritur. 2) *Si impedimentum est iuris civilis, consensum* renovare debet pars quae impedimentum cognovit. 3) *Si imped. est publicum, dispensatio est irrita, nisi matrimonium publice iteretur servata forma Tridentina* etiamsi et antea servata fuisset; si imped. sit occultum et servata est forma Tridentina, haec *forma renovari non debet, renovato tamen secreto consensu.*

TITULUS II.

De rebus Ecclesiae spiritualibus quibus homo officia erga Deum, erga seipsum erga alios adimplet.

1090. Ut huius tituli materiam penitus expleamus videbimus 1) de Fide exterius profitenda, 2) de Societatibus secretis, 3) de iurisiurandi et de voti religione, 4) de Sacra Liturgia deque sacris Ecclesiae ritibus, 5) de Ecclesiis etc., 6) de Monasteriis, 7) de Hospitalibus, 8) de Seminariis, 9) de Sepulturis et Coemeteriis etc.

CAPUT I.

DE FIDE EXTERIUS PROFITENDA.

1091. Quamvis ad fidem exterius profitendam non teneamur semper, nec in quolibet loco, sed solum cum per huius confessionis omissionem subtraheretur honor Deo debitus, vel utilitas proximis impendenda, nunquam tamen licitum est, ne mortis quidem declinandae causa, eam negare, vel falsam religionem simulare, vel verae fidei negandae periculum sibi aliisque iniicere. Attamen cum hac in re controversiae ac dubia identidem evangelii praeconibus in partibus infidelium et haereticorum degentibus suboriantur, quibus dirimendis pares non sunt, praestiterit aliqua doctrinae capita heic proponere, partim ex Pontificiis Constitutionibus, partim ex Decretis SS. Urbis Congregationum deprompta, quibus certis christianae religionis principiis in memoriam revocatis, quid in peculiaribus casibus iudicandum vel agendum sit patebit.

Agemus itaque 1° de falsae religionis simulatione; 2° de communicatione cum infidelibus et acatholicis.

ARTICULUS I.

De falsae religionis simulatione.

1092. Ad hoc doctrinae caput quod attinet, damnati sunt semper ab Apostolica Sede vel qui: 1) ad simulandam falsam fidem actus ponunt sive directe sive indirecte respicientes falsum cultum; vel qui 2) actus verae religionis ad eumdem finem vel omittunt vel contemnunt.

1093. 1°. Sane Congregatio Suprema S. O. [1] declaravit: « nullo modo licere christianis catholicis, neque ulla causa aut motivo permitti aut tolerari posse, ut operam suam navent aedificandis, instaurandis verrendisque templis falsi numinis, vel *auctoribus* falsarum sectarum [2] dicatis, aut eorumdem purgandis parietibus et pavimentis, mundandis altaribus, aperiendis claudendisque foribus ».

1094. Quoad vero haereticorum templa, proposito dubio an permissum sit ea aedificare, Congr. S. O. [3] respondit: « Non esse (qui id agunt) inquietandos, dummodo non adsit scandalum, nec fiat in contemptum religionis. Curet autem Episcopus ut per Missionarios et Confessarios opportune instruantur quando a propria praestanda opera in haereticorum ecclesiis seu synagogis aedificandis se abstinere debeant. Tenentur scilicet ab opere se abstinere: 1) ubi huiusmodi opus communiter habeatur pro signo protestativo falsae religionis; 2) vel aliquid in ipso contineatur, quod per se directe ac unice exprimat reprobationem catholici cultus et approbationem damnati cultus haereticorum; 3) aut constet artifices catholicos ad opus adigi vel vocari ab haereticis in contemptum catholicae religionis. Ceterum quamvis extra hos casus relinquendi sint in bona fide, semper tamen monendi sunt ne haereticorum cultui cooperari intendant ».

[1] Decretis latis anno 1626 et 1669.

[2] Videtur hic intelligi cultus Confucii, de quo Constit. *Ex quo* Bened. XIV d. d. 11 iul. 1742.

[3] 14 ianuar. 1818.

1095. Eadem de causa declaratum est non licere catholicis in gentilium templis organa vel alia instrumenta pulsare, metros canere aut concinendos componere [1], idque ne sub praetextu quidem et spe eos lucrandi ad fidem orthodoxam [2].

1096. Nec ritus usurpare falsae religionis protestativos; quocirca idem Pontifex [3] catholicis prohibet circumcisionis usum mahumetanorum more: nomina turcica, quorum nec memores esse deberent per labia sua, assumere, abominanda infidelium templa frequentare, ecclesiasticorum ieiuniorum dies carnium esu profanare, et haec eo fine ut mahumetani credantur. Multo vero magis cum a publica potestate interrogantur, illicitum esse mahumeticae sectae se addictos profiteri. Denique impium et illicitum declarat illorum Serviae christianorum abusum, qui ex hac vita migraturi cadavera sua Turcarum sepulturis mandari cum istorum assistentia et mahumeticis adhibitis ritibus permittunt aut iubent. Qui autem obstinati in huiusmodi via impiorum pergunt, incapaces sunt sacramentorum in vita, et si impoenitentes decesserint, suffragiorum post mortem. Et Const. cit. [4] mulieribus in regno Madurensi et finitimis regionibus prohibet deferre collo appensum in signum contracti matrimonii *Taly*, quod imaginem praefert Tulleiaris, idoli nuptialibus caeremoniis praepositi; tum christianis omnibus prohibet cineres ex vaccae stercore confectos et impiam gentilium poenitentiam a Rubren institutam redolentes benedicere eosque fronti sacro chrismate delinitae impingere, sive quaecumque alia signa albi vel rubei coloris, quae Indi vel in fronte vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte solent deferre. Constitutione vero *Ex quo singulari* [5], quae est de ritibus sinensibus, damnantur caeremoniae, ritus et oblationes, quae fiunt tum singulis mensibus in

[1] Bened. XIV, Const. *Omnium sollicitudinum* die 12 sept. 1744.

[2] S. C. Fid. Prop. 7 iun. 1788.

[3] Const. *Inter omnigenas* diei 2 febr. 1744. — Vide instructionem S. C. de Prop. Fide 15 iunii 1773. Collect. n. 1652-1651.

[4] *Omnium sollicitudinum.*

[5] Diei 11 iulii an. 1742.

novilunio et plenilunio, tum a litteratis et magistratibus, dum gradus sive dignitatis possessionem adeunt, vel post illam adeptam. Item oblationes quae fiunt in templis, seu aedibus progenitoribus dicatis, et ritus oblationesque coram progenitorum tabellis in privatis domibus sive eorum sepulchris una cum gentilibus et etiam seorsim ab illis, ac prohibetur domi retinere progenitorum tabellas cum inscriptione qua thronus seu sedes spiritus designatur.

1097. Ad haec: simulatae infidelitatis crimine se commaculant catholici, qui Turcarum verentes offensionem profana eorum templa ingrediuntur precationesque apud mahumetanos in more positas peragere fingunt, et ad funera deducenda mahumetanum ministrum advocant, ut vel ipsi vel defuncti a falsa secta non recessisse existimentur [1]. Nullatenus vero licere christianis actus publicos cultus aut reverentiae tribuere idolo, praetextu vel intentione eos actus ad Crucem dirigendi, quam vel manu gestant vel in altari inter flores abscondunt [2].

1098. Denique damnantur qui immolatis utuntur, quique, imperante infideli principe, christianorum templa evertunt, vel ex equo descendunt dum ante fores templi idolorum transeunt [3].

1099. Qui vestem induunt, quae ex usu recepto et approbato falsae sectae asseclam vel falsae religionis ministrum designant [4]. Gregorius vero XIV, Brevi dato ad Primatem Armenum vetat renovari antiquos Armenorum ritus, quorum immutatio facta est annuentibus Episcopis, ad catholicos ab haereticis discernendos.

1100. 2°. Ad secundum quod attinet, scilicet ad omissionem vel contemptum actuum verae religionis, damnantur tum qui dum diebus solemnibus missae sacrificio intersunt, adstantium ex curiositate Turcarum praesentiam veriti, caput non detegunt, nec signant se crucis signo, abstinentque a ceteris catholicae religionis

[1] S. C. Fid. Prop. decreto diei 13 ianuar. 1774. — Cfr. Decr. S. C. Prop. Fid. 19 Febr. 1774. Collect. n. 1653.

[2] S. C. Fid. Prop. decr. 12 sept. 1645.

[3] S. Un. Inq. 1674.

[4] S. Un. Inq. 8 iulii 1630.

actibus, qui ab aliis qui christiano censentur nomine palam solent exerceri, tum ii occulti credentes, qui diebus ieiunio ecclesiastico vel abstinentiae consecratis Turcarum mensis accumbunt, vetitis vescüntur cibis, aut se illos manducare fingunt [1].

1101. Damnantur item qui imperante infideli principe in catholicae fidei contemptum sacros spernunt ritus [2].

1102. Ad haec: damnantur qui nominatim interrogati a publica potestate de fide, tacent, aut dissimulant [3], vel qui etiam a privata persona interrogati, eam non profitentur, quoties per omissionem huius confessionis subtraheretur debitus honor Deo et etiam utilitas proximis impendenda [4]. Non tamen fidem abnegare censentur qui in persecutione, solum vertentes, fuga fidei confessionem declinant. Quamvis enim ex iustitia et charitate teneantur Pastores a Missione non recedere, cum oves eorum indigent auxilio ita ut periculum sit ne disperdantur et a fide desciscant, atque ideo S. C. Fid. Prop. [5] responderit tempore persecutionis esse magis necessariam pastorum praesentiam ne fideles pervertantur; dantur tamen casus quibus haec fuga ne dum licita, sed etiam necessaria est, cum scilicet quis se imparem tormentorum atrocitati perferendae agnoscat, vel cum de persona agatur necessaria ac maxime utili Ecclesiae bono, vel denique cum praevideatur martyrium nemini profuturum sed magis irritaturum tyrannum.

ARTICULUS II.

De communicatione cum infidelibus, haereticis et schismaticis.

1103. Communicatio duplex est, alia scilicet in divinis, alia in civilibus et humanis: de utraque seorsim agendum.

[1] S. C. Fid. Prop. decreto diei 31 ian. 1774. — Cfr. decr. S. C. Prop. Fidei 19 febr. 1774. Collect. n. 1653.

[2] S. Un. Inq. 1674.

[3] Innoc. XI, Prop. 18.

[4] S. Th. 2a, 2ae, q. 3, art. 2.

[5] Decr. 1646.

§ 1. — *De communicatione in divinis cum haereticis et schismaticis.*

1104. Ex duplici obligatione prohibentur fideles cum haereticis et schismaticis communicationem habere. Prima oritur ex praecepto naturali divino, ac directe ipsos fideles afficit, cum hoc praeceptum non sit in poenam haereticorum aut schismaticorum datum, sed in ipsorum fidelium bonum, ut ab eis perversionis et corruptionis periculum removeatur: altera vero ab excommunicationis poena derivat haereticis et schismaticis ab Ecclesia inflicta, quae quamvis directe ipsos percellat, indirecte tamen fideles ipsos obligat ad eorum communionem vitandam. Porro ad divinum praeceptum quod attinet obligantur fideles communicationem cum haereticis et schismaticis vitare aliquando *ex praecepto fidei*, aliquando *ex praecepto charitatis*. Ex praecepto fidei obligantur fideles vitare communicationem in sacris, scilicet in signis, in ritibus, in caeremoniis aliisque ad haeresim et schisma spectantibus; qui enim his communicant, vel ita sunt animo comparati ut eorum erroribus saltem in genere assentiantur, quo in casu veri haeretici et schismatici sunt, vel animo a schismate et haeresi abhorrentes, actus illos sive ex metu sive ex alio fine exercent, et in hoc casu exterius falsam sectam simulant, ut superius diximus, vel denique periculo perversionis se exponunt. Obligantur vero ex praecepto charitatis ob scandalum vel offensionem catholicorum. Quod si memorata pericula in aliquo particulari casu cessarent, tenerentur tamen fideles ratione excommunicationis, qua haeretici et schismatici plectuntur, ex Ecclesiae praecepto eorum vitare communicationem.

1105. Porro per hanc excommunicationis poenam, non solum haeretici et schismatici omnes qualibet sive in sacris sive in civilibus communicatione cum catholicis privantur, verum etiam catholicis cum iis interdicitur communicare etiam in iis rarioribus casibus, in quibus ea obligatio iuris naturalis divini cessaret. Hic tamen iuris ecclesiastici veteris rigor per Martini V Constitutionem *Ad evitanda scandala* fuit temperatus, qua cum excommunicatis toleratis communicare permittitur, non solum in civilibus, sed

etiam in sacris, si aliqua necessitas adsit. At cum semper integrum maneat ius naturale et divinum, in quo nulla est potestas quae dispenset, nec ulla conniventia quae excuset, cumque in praxi in hac communicatione vel simul omnia, vel saltem unum aut alterum ex recensitis periculis et incommodis concurrat, hinc Sacrae Congr. Un. Inq. et Fidei Prop. constanter, propositis a Missionariis praesertim Orientis frequenter casibus, sub variis utilitatis, necessitatis, periculi vexationum atque persecutionis circumstantiis, quibus petebatur, an catholicis in iis liceret cum haereticis vel schismaticis in divinis communicare, generatim responderunt « non licere ». In Instr. autem pro Missionariis Orientis lata anno 1729, S. Congr. Fid. Prop. haec etiam addidit, quod vix ullus sit ritus apud heterodoxos vel schismaticos, qui aliquo errore in materia fidei non maculetur. Nam eorum ecclesiae vel dicatae sunt schismaticis et haereticis, quos ut sanctos venerantur, vel horum imagines atque reliquias habent, vel ibidem festa in eorum honorem celebrantur, vel denique iidem in sacris liturgiis inter sanctos censentur. Praeterea in iisdem liturgiis commemoratio fit viventium Episcoporum et Patriarcharum, qui schismatici vel haeretici sunt, iique tamquam eximii orthodoxae fidei praedicatores laudantur.

1106. His vero principiis innixa Sacr. Univ. Inq. [1] iussit scribi Episcopo Tribigni, ut « mandet catholicis sibi subditis ne accedant ad missas et alia officia divina in ecclesiis schismaticorum, eosdemque moneat in casu carentiae missae catholicorum, non teneri praecepto missam audiendi ». Petentibus vero PP. Capuccinis Constantinopoli degentibus, an citatum decretum extenderetur etiam ad loca, in quibus non reperiuntur sacerdotes catholici, et de orationibus nihil contra fidem et ritum catholicum continentibus esset intelligendum, eadem Sacr. Congr. rescripsit « Affirmative » die 7 aug. 1704; eodemque modo ad similia dubia respondit die 6 augusti 1710, quae ab Armenis catholicis fuerant proposita.

1107. Eadem Sacr. Congr. die 10 maii 1770 decrevit « catholicis

[1] Die 5 dec. 1668.

regulariter non licere haereticorum et schismaticorum concionibus, baptismis et matrimoniis interesse ». Item die 14 ian. 1818, cum propositum fuisset dubium « an et quando catholicis liceat templa acatholicorum adire », respondit: « Licere, si adeant merae curio-« sitatis causa absque ulla communicatione in sacris, in qua talis « aditus communiter habeatur pro actu protestativo falsae religio-« nis, quandoquidem sicut profana aedificia, sic et templa haereti-« corum adire est actus per se indifferens, qui nonnisi a pravo fine « vel ex circumstantiis efficitur malus. Malus nimirum efficitur: « 1) si quis ea adeat animo assistendi sacris haereticorum functio-« nibus; 2) vel etiam absque tali animo, si ingressus ipse in hae-« reticorum ecclesias aliquam inferat vel inferre videatur cum eius-« dem haereticis in divinis communicationem, hinc et scandali « occasionem praebeat; 3) aut si talis aditus indictus sit ab haere-« tico gubernio tamquam protestatio eiusdem fidei ac religionis ca-« tholicos inter et acatholicos; 4) vel utcumque communiter ha-« beatur veluti tessera unius eiusdemque communionis catholico-« rum et acatholicorum. In his igitur casibus nunquam licet hae-« reticorum sacris participare, nec propriam simulare fidem. Ubi « vero haec omnia absint, et sola curiositate templa visendi mo-« veantur, inculpate ea adire possunt ».

1108. Non licet Missionariis divina celebrare in ecclesiis in quibus haeretici sua profana et sacrilega exercitia habent [1]. Atque eadem Sacr. Congr. die 13 aug. eiusdem anni mandavit scribi Archiepiscopo Sardiensi « ut provideret ne in ecclesia S. Ioannis de Cartola dioecesis Cattamensis catholici cum graecis schismaticis divina celebrarent; nam quamvis altaribus diversis uterentur, tamen propter ecclesiae identitatem esset communicare cum schismaticis in divinis ». Et die 16 sept. 1695 declaravit « neque licere haereticis et schismaticis permittere ut in nostris ecclesiis celebrent, licet amota prius sit petra sacrata ». Attamen in ecclesiis catholicorum ab haereticis occupatis, id permissum constat ex decreto Congr.

[1] S. C. Fid. Prop. 21 maii 1627.

Sup. Inquisit. die 15 iunii 1534, quo *affirmative* responsum fuit ad dubium, quod sequitur: *An in ecclesiis catholicorum Rhetiae ab haereticis occupatis, Missionarii possint sua exercitia continuare?* Ac certis conditionibus indultum hoc fuisse cum dispensatione in aliis haereticorum ecclesiis, liquet ex sequenti decreto: *Sanctissimus Dominus noster D. Clemens divina Providentia Papa XI in particulari audientia mihi Commissario S. Officii data dixit, quod ad facilius promovendam schismaticorum et infidelium conversionem, illosque alliciendos ad Fidem Catholicam amplectendam sacrarum caeremoniarum intuitu, benigne indulsit Patri Praefecto, seu Vicepraefecto Missionariorum pro tempore in Æthyopia existentibus, ut pro eorum arbitrio et conscientia dispensare possint cum iisdem Missionariis, eisque facultatem concedere celebrandi sacrosanctum Missae Sacrificium catholico romano ritu super altari in templis haereticorum, seu schismaticorum in Æthyopia; ita ut eadem altaria non inserviant, nisi pro nudis tabulis, et more Catholicorum disponantur cum sacrato Lapide, Mappis, Sanctissimi Missae Sacrificii Ritu praedicto: numquam tamen generaliter, sed in casibus particularibus, in quibus alia loca commodiora non suppetant, et urgens sit necessitas ad facilius dictam conversionem promovendam, et insuper ad Catholicorum consolationem, aliisque iustis et urgentissimis de causis, iudicandis ab eisdem Patre Praefecto, seu Vicepraefecto Missionariorum, super quibus eorum conscientiam oneravit.* Die 12 aprilis 1704.

1109. Ad haec: S. Univ. Inq. die 26 sept. 1668 decrevit non licere catholicis Hollandiae proles suas haeretico ministro baptizandas offerre, ne cogantur multam vigintiquinque florenorum Fisco solvere, neque ex iis calvinisticam coenam sumere, quamquam animo eam quidquam profanum censerent. Die vero 20 iulii 1708 decrevit catholicis Armenis Alippi non licere, ne quidem semel in anno, sumere communionem eucharisticam a sacerdotibus armenis et schismaticis; et tandem die 28 aug. 1709 eadem Sup. Inquisitio statuit « nullo modo licere ab Episcopo schismatico sacros ordines suscipere atque ordinatos ab huiusmodi Episcopis esse irregulares

et suspensos ab exercitio ordinum ». Est etiam in divinis communicatio ministrum haereticorum adire ad matrimonium celebrandum. In iis autem locis, in quibus minister haereticus agit personam magistratus civilis, coram quo se sistere solent coniuges aut etiam debent ob finem politicum seu ut habeantur tamquam civiles honesti coniuges prolesque censeatur legitima, non improbatur quod pars catholica una cum haeretica se sistat, ante vel post contractum ad formam Tridentinam matrimonium, etiam coram ministro haeresi addicto ad actum civilem dumtaxat implendum, dummodo nulla ritus haeretici professio habeatur, aut colligatur, et quidquid minister haereticus in casu peragit civilis dumtaxat et politica gratulatio sit et censeatur.

1110. Verum quotiescumque minister haereticus censetur veluti sacris addictus et quasi parochi munere fungens, non licet catholicae parti una cum haeretica matrimonialem consensum coram tali *ministello* praestare, quia tunc adhibetur ad quamdam religiosam caeremoniam complendam, et pars catholica ritui haeretico se consociat, unde oritur quaedam implicita haeresi adhaesio, ac proinde illicita omnino habetur cum haereticis in divinis communicatio, et contrahentes peccant mortaliter, et sunt monendi [1].

1111. Quoad associanda haereticorum funera, distinctione opus est; aliud enim est haereticorum cadavera comitari, quin ulla sacris eorum ritibus interveniat participatio, quod haberi potest tamquam officium mere civile, aliud vero caeremoniae religiosae participare. Sane communis Doctorum doctrina excusat catholicos in locis haereticorum degentes si interveniant funeribus haereticorum, quando in hoc nulla cernitur approbatio cultus falsi, nulla sacris eorum ritibus interveniat participatio, et scandalum non adsit. Sane Congregatio S. O. decreto diei 10 maii 1763 dubio proposito, an liceat catholicis latinis schismaticos admittere in funeribus catholicorum defunctorum respondit: « Quatenus schismatici comitantes funera catholicorum meram praesentiam materialem exhi-

[1] S. Univ. Inq. Instr. 17 feb. 1864.

beant, causa honoris civilis erga defunctos, non se immiscentes precibus aut ritibus catholicis quibus mos est funera efferre, et defunctos ad sepulchrum deducere, tolerari posse; quatenus vero in illa functione proprios ritus adhibeant, vel nostris se immisceant, non licere, nec esse permittendum » [1].

1112. Ex his itaque responsis facile eruitur quaenam sit regula generalis in praxi sequenda, quando de communicatione agatur in divinis cum haereticis et schismaticis. Quamvis enim aliqui Theologi tradant post Martini V Constit. licitum esse catholicis se in divinis immiscere cum haereticis et schismaticis, sequentibus conditionibus concurrentibus: 1) si gravissima et urgentissima urgeat causa; 2) si haeretici et schismatici, a quibus sacramenta expostulantur, valide sint ordinati, et catholico ritu administrent absque ulla damnati ritus admixtione; 3) si in ea communicatione nulla contineatur etiam implicita falsi dogmatis protestatio; 4) si nulla detur occasio scandali, seu si tales sunt circumstantiae ut omnia pericula removeantur, quae iure naturali et divino hanc communicationem reddunt illicitam; attamen cum hae conditiones, ut communicatio absque peccati labe fiat, simul et coniunctim adesse deberent, quod

[1] Si Ap. Sedes suis decretis toleravit assistentiam materialem catholicorum funeribus heterodoxorum, ad hoc inducta fuit a circumstantiis particularibus, quibus difficile esset se eximere sine gravi damno et periculo, sed normas suppeditavit Ordinariis locorum, ne impune permittant usum tam periculosum et potissimum indagare iussit serio an se possent eximere. Et 1) tolerat ipsa solum praesentiam materialem urbanitatis gratia, solis vestibus civilibus societatis indistincte pro laicis et ecclesiasticis, et cum conditione ut acatholici cognoscant hoc interventu non praestari actum cultus religiosi. Talis interventus vero cohonestari nequit praetextu gravis damni aut periculi, cum nec unum nec alterum verificatur et quis proprio arbitrio illis participat quin adstrictus sit titulo aliquo officii civilis. 2) Exigit ut talis interventus non debeat secum ferre aliquam communicationem in sacris cum haereticis et schismaticis. Hinc licitum non est eorum precibus se unire, aut ritibus, nec ferre lumina, nec suffragia facere pro anima defuncti; non toleratur sonus campanae ecclesiae catholicae; et quoad sermonem in laudem etiam solum civilium virtutum defuncti, hic posset ad summum tolerari in persona alicuius laici, nunquam ecclesiastici vel parochi, multoque minus Episcopi. S. O. 9 sept. 1874.

fere impossibile est, hinc omnis communicatio evitanda est. Diximus *fere impossibile,* cum possint in aliquo raro casu eae circumstantiae concurrere. Hinc in casu urgentissimae necessitatis a ministro haeretico baptismi sacramentum suscipi potest. S. Congr. Univ. Inquisit. 8 febr. 1597 apud Albitium Cap. 18, n. 52. Ita etiam vacant culpa quae ex hac causa proveniat, catholici qui pontificia dispensatione obtenta aliisque servatis conditionibus, matrimonium cum haereticis et schismaticis contrahunt [1].

§ 2. — *De communicatione catholicorum cum haereticis et schismaticis in profanis et civilibus.*

1113. Etsi communicare etiam in civilibus cum infidelibus, haereticis et schismaticis, prout superius diximus, generatim non liceat catholicis [2], eorum tamen optata ad fidem conversio et publica christianae reipublicae utilitas faciunt, ut non quaelibet cum his communicatio interdicta sit, praesertim in locis in quibus haereses aut dominantur aut grassantur impune et duram catholici necessitatem cum illis conversandi et familiariter agendi subeunt.

1114. Attamen ne fidei integritas detrimentum subeat, praeterquam quod hortandi sunt fideles ut quantum possunt consortia et familiaritatem cum his devitare curent, quaedam ecclesiastica auctoritate praescriptae sunt normae, quibus haec ipsa communicatio regi debet.

1115. Omissis iis quae a theologis hac de re pertractantur quaestionibus, agemus tantum: *a*) de scholis et Collegiis mixtis; *b*) de haereticorum libris; *c*) de disputationibus cum haereticis ineundis.

1116. Placet vero in antecessum adnotare quoad communicationem catholicorum cum Iudaeis quaedam speciatim constituta esse in Cap. *Nullus,* Cap. *Omnes,* Cap. *Iudaei,* tum etiam in Constitu-

[1] Cfr. Bened. XIV *de Syn.* l. 5, c. 6.

[2] Notanda est Instructio quam Card. Vicarius ex mandato Summi Pontif. Leonis XIII die 12 iulii 1878 Parochis direxit respiciens eos, qui cum Protestantibus apud nos templa et scholas aperientibus communicant.

tionibus Clementis VII, 19 mart. 1525, Innocentii IV, *Impia,* Pauli IV, *Cum nimis,* Gregorii XIII, *Antiqui,* et Const. *Alias piae,* etc., quae quidem leges, etsi, regulariter loquendo, adhuc in vigore permaneant, attentis tamen peculiaribus circumstantiis, et dummodo revera non adsit perversionis et scandali periculum, et causa satis gravis intercedat, epikeiam admittunt. Monet tamen Bened. XIV [1], illis quoque in regionibus in quibus hebraei stabilem sedem habent omnino expedire ut Episcopi in suis synodis nimiam coerceant christianorum cum illis consuetudinem iurisque communis sanctiones, Summorumque Pontificum instaurent huc respicientia decreta.

a) — *De Scholis et Collegiis mixtis.*

1117. Ut quae hac in re maximi sane momenti constituta sunt distincte atque ex ordine pateant, agemus: 1) de catholicis qui scholas acatholicorum celebrant; 2) de acatholicis qui scholas catholicas frequentant; 3) denique de Collegiis et *Pensionatibus* mixtis.

1118. Et ad 1) quod attinet, an et quomodo permittendum sit catholicis frequentare scholas acatholicas, qualiter edocendi sint catholici, quaeque adhibenda sint media, ut catholicorum fidei consulatur, intelligent Ordinarii sacrarum Missionum ex Instructione ab Univ. Inq. data die 17 ian. 1866 ad Episcopos Helvetiae, cuius haec summa est.

Propositum fuit 1. dubium: « An liceat parentibus liberos suos huiusmodi scholis (mixtis) instituendos committere ». Iamvero Eminentissimi Patres responderunt: « Generatim loquendo non licere, sed in casibus particularibus iudicio et conscientiae Ordinarii id esse relinquendum, cuius tamen erit officii diligenter curare, ut non modo a se et a parochis, verum etiam a singulis genitoribus opportuna remedia adhibeantur, quibus periculum perversionis ab alumnis removeatur, simulque inniti apud magistratus ac praesides, ne vis inferatur conscientiae catholicorum adhibendo libros qui religioni catholicae sint infensi, ac denique assidue et instanter mo-

[1] *De Syn.* lib. 6.

nere et hortari omnes, atque eos praesertim quibus facultas est, ut liberos suos in alias regiones mittant, ubi catholice educentur ».

Propositum fuit dubium 2: « An liceat sacerdoti in praedictis scholis fidei christianae documenta tradere aut Cappellani munere fungi »; cui respondendum censuerunt: « Affirmative et ad mentem; mens est ut non modo fidei christianae tradendae, verum etiam aliarum disciplinarum scholis quotquot fieri potest praefici sacerdotes, aut honestos perspectaeque religionis laicos curandum sit; quo vero omnis cesset scandali formido, monendum esse populum id fieri, ut mala quae ex huiusmodi scholis dimanant, quantum fieri potest avertantur; idque proinde nemini excusationi esse debere, quominus liberos suos mittant ad scholas mere catholicas, in quibus eorum fides ac mores nullo modo periclitentur ».

Denique dubium 3, quod pertinet ad incolas montis Iurae Bernensi reipublicae addictos, ita propositum fuit: « Etiamsi illae (scholae mixtae) utcumque possint tolerari, an Catholicis Iurassensibus liceat, nuntium remittere iuri suo pactis publicis innixo, vi cuius nefas est, quemquam in publicis eorum scholis docendi munus obire, qui religionem catholicam non profiteatur ». Cui dubio absque ulla haesitatione Eminentissimi Patres respondendum esse censuerunt: « Negative, sive agatur de expressa, sive etiam de tacita cessione ex silentio ac tolerantia culpabili. Itaque, licet cavendum sit, ne quid imprudenter agatur quo ad graviora mala inferenda adversariorum excitetur ferocitas, nihil tamen de industria deque constantia remittendum est, quo minus media omnia legitima quae in Catholicorum potestate sint adhibeantur, ad praedictum ius una cum foederis sanctitate et Catholicae Religionis indemnitate recuperandum ».

1119. Circa 2m caput, dissimulari non potest in admittendis acatholicis ad scholas catholicas non ea pericula imminere, quae in relata Instructione recensita sunt; siquidem institutio catholicis magistris demandata est et ab his selecti sunt libri qui iuvenibus proponuntur. Quocirca et facilius huiusmodi scholae mixtae tolerantur et frequentius S. Congr. Fid. Prop. permittit ut in locis

missionum etiam heterodoxis ad huiusmodi scholas aditus pateat. Attamen etiam in his catholicae iuventutis institutio non omnis periculi expers est. Assidua enim et quotidiana consuetudo catholicorum cum acatholicis periculum ingerit, ne catholici pravas horum doctrinas incauti hauriant et combibant. Huic periculo submovendo variae praestitutae sunt normae pro variis circumstantiarum adiunctis. Interdum praescriptum fuit ut acatholici in separata aula instituantur [1]. Item praescriptum fuit ut per magistrorum diligentiam ac per delectum iuvenum acatholicorum, eos scilicet removendo qui bonis moribus non praestant, perversionis periculum removeatur.

1120. Quoad Collegia mixta 3), cum norma omnino generalis dari non possit cuilibet casui applicanda, S. Congr. Fid. Prop. in casibus particularibus ut opportunas facultates elargiatur exigit, ut sequentes notitiae in antecessum ei exhibeantur. Scilicet quinam collegio de quo agitur praestitutus sit finis, quaenam sit conditio et aetas alumnorum ibidem degentium, quinam gradus et qualitas institutionis quae ibi impertitur, quinam regularum codex interiorem collegii disciplinam moderetur, quaenam relationes inter iuvenes catholicos et acatholicos (vel puellas, si de muliebri instituto agatur) existant, an scilicet libere inter se conversari et colloqui permissum sit, an eis vetitum de religione sermonem instituere. Ad haec, quomodo acatholici in religione educentur, an scilicet *catholice* instituantur absque vel cum parentum consensu, et quatenus catholice non instituantur, an fas ipsis sit vel obligatio incumbat interessendi cum catholicis missae sacrificio aliisque pietatis officiis, an abstinere a sacramentis suscipiendis debeant, an statis diebus ipsis permittatur ad proprias ecclesias se conferre, sacramentorum suscipiendorum causa. Denique quinam sit numerus acatholicorum *respective* ad catholicos. Praestiterit tamen heic referre decretum S. Univ. Inqu. die 1 iunii 1866 latum, quod etsi pro generali norma haberi non possit, tamen inserviet ad cognoscendas cautelas, quae in huiusmodi collegiis adhibendae sint.

[1] S. C. Fid. Prop. 18 dec. 1742.

Porro agebatur de Instituto, in quo puellae catholicae latini ritus instituebantur cum puellis schismaticis ritus orientalis; schismaticae vero fere tertiam partem totius communitatis constituebant, et in catholica religione illae tantum educabantur, pro quibus parentes id expresse postulabant. Aliquae ex his, parentibus expostulantibus, semel aut bis in anno deducebantur ad ecclesias schismaticas ad sacramenta suscipienda, aliae ab his recipiendis se abstinebant. Iam proposito dubio, an collegium huiusmodi tolerari posset, Sac. Congr. rescripsit: « Tolerari posse, ut puellae schismaticae in collegium admittantur quod Sorores dirigunt, dummodo bonam praeseferant indolem, iuxta exposita instituantur, nec tamen obligentur ad assistendum Missae Sacrificio aliisque functionibus ecclesiasticis, verum id eorum arbitrio relinquatur, vetito quidem ne umquam disputationes cum puellis catholicis habeant de rebus ad religionem spectantibus: ne templum adeant schismaticum a ministris schismaticis sacramenta recepturae; quod si in aliquo casu id impediri nullo modo possit, Sorores passive se habeant; et pariter vetito ne puellae ab amicis et coniunctis, exceptis parentibus et tutoribus, absque licentia Ordinarii visitentur, de quibus omnibus clare et explicite instructi fiant parentes vel tutores earundem puellarum, antequam ipsae ad collegium admittantur. Idque scribatur R. P. D. Archiepiscopo (Ordinario) cum advertentia ut curet omnium horum executionem et bonum spirituale puellarum quoad fieri poterit, etiam post egressum e collegio. Et instruantur Sorores quod si aliqua ad fidem catholicam converti petat, res ad ipsum Archiepiscopum erit deferenda, qui iuxta casus adiuncta prudenter providebit, et sedulo caveat, ne ex admissione schismaticarum ullum, ne minimum quidem, perversionis vel indifferentismi periculum puellis catholicis subsit » [1].

[1] Praestat heic referre dubia aliqua hac in re proposita Sup. Univers. Inqu. quae sunt:

1. An tuto admitti possit ad fidei catholicae professionem puella decem annorum in monasterio degens, eiusdem patre haeretico invito?

2. An tuto admitti possint ad fidei catholicae professionem puellae in mona-

1121. Extremum est ut aliqua heic addamus de Universitatibus.

Quoad has quaeri 1° potest utrum licitum sit iuvenibus catholicis gradus academicos in Universitate acatholica suscipere. Huic quaestioni respondemus cum Lessio, quod si ipsi nihil iurare aut promittere cogantur, quod religioni catholicae aut iustitiae adversum sit, nihil impedit quominus iis gradibus insigniri possint in Universitatibus acatholicis, quemadmodum fit in Anglia aliisque in regionibus, in quibus catholicae Universitates non existunt.

1122. Quaeritur 2°. An Universitas catholica, quam etiam ce-

sterio degentes, quarum parentes haeretici consentientes sunt, imo spondent se easdem in matrimonium daturos catholicis viris, quamvis quoad se ipsos declarent haereticos se esse et tales permanere velle?

3. An tuto admitti possint ad fidei catholicae professionem puellae ut in praecedenti, quamvis ipsi (parentes) catholici non sunt, sed indifferentes, hoc est increduli?

4. . . . . (Non est ad rem).

5. An sine mora admittendae sint ad fidei catholicae professionem et Sacramentorum susceptionem puellae in praesenti bene dispositae; vel earum admissio differenda erit usque ad matrimonium cum catholico viro, propter timorem perversionis?

6. Si differenda; an admittendae sint in monasterio ut edoceantur catholicam fidem, vel expectandum usque ad tempus matrimonii cum catholico viro?

Porro Feria IV die 21 iulii 1880, Eminentissimi PP. decreverunt: Ad 1m Curet prius Vicarius Ap. totis viribus consensum patris puellae obtinere: si consensus non obtineatur, perpendat serio incommoda quae ex talis puellae admissione in Ecclesiam provenire praevideantur, tum quoad periculum proximum perversionis eiusdem puellae, tum quoad grave damnum scholae ac missionis catholicae; et quatenus nulla aut spernenda incommoda praevideantur, eamdem admittat sine mora, quatenus vero gravia praevideantur incommoda futura, eiusdem admissionem ad formalem et publicam professionem fidei catholicae differat, nisi periculum mortis immineat; et interim curet eam hortari ut in bono proposito perseveret, atque Deum precetur ut obstacula omnia auferre dignetur; simulque curet ut ipsa in monasterio manere pergat; et tali modo suam educationem catholicam compleat et perficiat.

Ad 2m et 3m Affirmative; et curent ut parentes stent promissis.

Ad 5m et 6m Provisum per responsiones ad 1m, 2m et 3m; et si ulteriores difficultates exurgant, R. P. D. Vicarius Apostolicus recurrat in singulis casibus.

lebrant iuvenes acatholici, possit iis gradus academicos in scientiis naturalibus et artibus conferre?

Porro hac in re distinguendum est an prima institutio Universitatis sit ab auctoritate civili, vel ab auctoritate ecclesiastica. Si prima institutio sit a civili auctoritate, nullum dubium est quin Universitas ipsa etiam iuvenibus acatholicis possit gradus conferre. Quod si prima institutio Universitatis sit ab auctoritate ecclesiae, inspiciendae sunt litterae institutionis, et siquidem in his obligatio non imponatur vel non imponatur indiscriminatim omnibus, catholicam fidem ex Concilii Tridentini formula publice profitendi, gradus ipsi academici poterunt etiam conferri iuvenibus acatholicis: quod si in litteris institutionis obligatio iuramentum ac fidei professionem emittendi praescribatur, neque usu contrario in desuetudinem abierit, Apostolica Sedes consulenda erit, ut facultas obtineatur ab huiusmodi onere iuvenes acatholicos relevandi in gradibus suscipiendis. Etenim si praescindas a positivo praecepto, quo S. Sedes in erigenda approbandaque Academia vel Universitate forte praescripsit, ut quicumque in illa in quacumque facultate gradum magisterii consequi velint, debeant antea fidei professionem emittere: nihil in venia legendi collata a catholica Universitate iuvenibus heterodoxis inveniri videtur, quod ab honestate alienum sit. Nimirum Academia catholica ea mente iuvenibus sive catholicis sive acatholicis gradus conferre censetur, ut id docere ubique possint, quod in ipsa Universitate gradum conferente didicerint quodque nec a recta fide, nec a ratione alienum sit. Acatholici non prohibentur docere, sed prohibentur docere quod fidei vel rationi contradicit.

1123. Quaeritur 3.° An Universitas Catholica possit titulos honorificos doctoris, licentiati, etc., conferre alicui acatholico qui vel magistratum gerat, vel in artium liberalium studiis et scientiis naturalibus emineat. Cui quaestioni affirmative respondendum est, siquidem ii tituli merito aequari possunt titulis equitis vel commendatoris, qui non solum haereticis, sed etiam infidelibus dari ab ipsa Apostolica Sede consueverunt.

Quae quidem omnia de gradibus academicis intelligenda sunt, qui non pertinent ad disciplinas theologicas et iuris canonici.

b) — *De Libris prohibitis.*

1124. Ad errores inducendos omneque improbitatis genus et impietatem disseminandam, maxime semper valuerunt, valentque hodie haereticorum et schismaticorum libri. Hinc hos ex fidelium manibus eripiendos proscribendosque esse, ipsa recta ratio suadet.

1125. Lex autem ecclesiastica prohibet generatim: 1) libros haeresiarcharum omnes prorsus, in odium auctoris; 2) libros haereticorum omnes, nempe eos qui de religione *ex professo* tractant, omnino; alios vero donec ab Ordinario et Inquisitoribus examinati ac probati fuerint, si ethicam aliasque huiusmodi disciplinas respiciant; 3) libros cuiuscumque auctoris res obscoenas *ex professo* tractantes; 4) versiones sacrarum scripturarum vulgari idiomate, exceptis iis, quae vel ab Apostolica Sede probatae fuerint, vel editae cum notis desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus vel ex doctis et catholicis viris [1]. Alios autem non prohibet, nisi speciatim damnati fuerint, ut ex. gr. libros catholicorum contra fidem et bonos mores.

1126. Porro huius prohibitionis vi non solum libros legere, sed etiam retinere, defendere, ac imprimere nefas est, ac libro prohi-

[1] Congr. Inquis. 7 ian. 1836.

Quoad editiones Sacrarum Scripturarum Sup. Univ. Inq. Fer. V, die 7 ian. 1836, sequens monitum dedit: « Cum ad S. Congregationem certo relatum fuerit, sacratissimos Bibliorum Libros vulgari sermone nonnullis in locis typis edi, quin saluberrimae de ea re leges serventur, cumque inde pertimescendum sit, ne, quae hominum nequam hisce praesertim temporibus conspiratio est, errores sanctiore divini Eloquii apparatu obvoluti perperam insinuentur, censuit eadem S. Congregatio, revocanda iterum esse in omnium memoriam, quae alias decreta sunt, vernaculas nimirum Bibliorum versiones non esse permittendas, *nisi quae fuerint ab Apostolica Sede adprobatae, aut editae cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris* (ex decr. S. Congr. Ind. 15 iun. 1757 in addit. ad Reg. Ind.): iis praeterea omnino insistendum, quae per regulam quartam Indicis et deinceps ex mandato sa. me Clementis VIII in eam causam praestituta fuerunt ».

bito censetur quaelibet illius pars prohiberi, quamvis nullum forte errorem contineat.

1127. Ad poenas statutas devenientes, notamus ex Const. *Apostolicae Sedis* excommunicationem Pontifici speciali modo reservatam incurrere, quicumque sine Apostolicae Sedis facultate, scienter legunt, vel retinent penes se, vel imprimunt, vel defendunt: 1) libros alicuius apostatae, seu haeretici qui haeresim propugnat; 2) librum per litteras apostolicas prohibitum, a quocumque sit scriptus, dummodo prohibitus sit nominatim, id est expresso operis titulo [1]. Hinc excommunicationem non incurrit: 1) qui librum catholici, cui haereticus notas apposuerit, perlegit, modo notae illae sint libro minores [2]. 2) Qui licet sciens et volens, audit alium librum haereticum sibi praelegentem. 3) Qui censuram adnexam ignorat. 4) Tandem excusat ab incurrenda censura parvitas materiae.

1128. Ceterum notandum est plurimos libros numquam fuisse inter proscriptos relatos, qui tamen ex generalibus Indicis Tridentini regulis vetiti sunt; plurimosque esse, de quibus nominatim prohibendis numquam est cogitatum, quos tamen legere per ius naturale ac divinum non licet, si prudenter timeatur, ne inde in animo cuiusquam legentium aut audientium fidei vel morum integritas sit corrumpenda. Hoc vero periculum iis omnibus imminet, qui quidquid in huiusmodi libris latet erroris ac vitii internoscere non valent ac repudiare constanter. Notandum denique est obtentam legendorum huiusmodi librorum facultatem suffragari quidem in foro externo, non tamen a peccato eos liberare, qui ex eorum lectione periculum quod diximus sibi imminere prudenter timeant [3].

[1] Clemens VIII in instructione de prohibendis libris § VI ait: *In universum autem de malis et perniciosis libris id declaratur atque statuitur, ut qui certa aliqua lingua initio editi, et deinde prohibiti ac damnati a Sede Apostolica sunt, iidem quoque, in quamcumque postea vertantur linguam, censeantur ab eadem Sede ubique gentium, sub eisdem poenis interdicti et damnati.*

[2] De Lugo Disp. 21, n. 47.

[3] In Formulis facultatum S. Congr. Fid. Prop. duplici ratione conceditur facultas Episcopis, tenendi, legendi, etc., libros prohibitos. Sane in Formula I datur

1129. Verum hac in materia ecclesiae disciplina aliquantulum mutata est post Constitutionem *Officiorum* S. P. Leonis XIII lata die VIII cal. febr. 1897. Haec constitutio abolitis omnibus regulis, observationibus, decretis et monitionibus hac in re a RR. PP. editis, excepta constit. *Sollicita et provida* qua Benedictus XIV normas

facultas Episcopo tenendi et legendi « non tamen aliis concedendi, praeterquam ad « tempus, tamen iis sacerdotibus quos praecipue idoneos atque honestos esse sciat, « libros prohibitos, exceptis operibus Dupuy, Volney, M. Reghellini, Pigault, Le « Brun, De Potter, Bentham, I. A. Dufaure, Fêtes et Courtisanes de la Grêce, No- « velle di Casti et aliis operibus de obscoenis et contra religionem ex professo tra- « ctantibus ».

In Formula vero C. datur facultas « retinendi et legendi libros ab Apostolica « Sede prohibitos, etiam contra religionem ex professo agentes, ad effectum eos « impugnandi, quos tamen diligenter custodiat, ne ad aliorum manus perveniant, « exceptis astrologicis, iudiciariis, superstitiosis ac obscoenis ex professo; eamdem- « que facultatem etiam aliis concedendi, parce tamen et dummodo prudenter prae- « sumere possit, nullum eos ex huiusmodi lectione detrimentum esse passuros ».

Porro limites prioris facultatis hi sunt: 1) Concedi non potest laicis; 2) nec sacerdotibus eam concedere, nec sibi eam sumere potest Episcopus, si agatur de libris, quorum auctores recensentur, aut de obscoenis vel contra religionem ex professo tractantibus. Libri vero *ex professo* obscoeni in hac facultate eodem sensu veniunt, quo in septima Regula Iudicis, seu qui res obscoenas tractant, narrant, aut docent. *Ex professo* i. e. non sufficit librum continere unum pluresve locos obscoenos, sed oportet praeterea ut directe (saltem implicite) ac in aliqua sui parte notabili morum honestatem lacessat. Eodem modo intelligi debet illud *ex professo* relate ad libros contra religionem tractantes. *Contra Religionem* i. e. contra totam religionem. Non sufficit igitur ut liber totam religionem revelatam impugnet, sed necesse est ut etiam contra religionem naturalem conscriptus sit; si enim auctor sarta tecta servet fundamenta religionis naturalis, operis lectio, licet christianae religionis subversivi, Episcopo licita esse et ab eodem permitti poterit.

Denique haec facultas ad tempus tantum concedi potest. Porro vox *tempus* opponitur perpetuitati, seu tempori vitae eius cui datur. Practice loquendo, potest Episcopus eam communicare usque ad revocationem. Neque impedit quod Episcopus eas facultates habeat ex. gr. *ad quinquennium*, res enim indubia est, Episcopos facultates suas elapso tempore ad quod concessae sunt, iterum a S. Sede impetrare ac obtinere, easque voluntatis suae actu de novo concedere noscuntur hoc ipso, quod eas antea ad revocationem usque elargiti sunt.

praescripsit servandas in Congr. S. O. et Indicis in libris expendendis, decreta generalia de prohibitione et censura librorum proposuit. Praecipua huius constitutionis decreta ita cl. Lombardi [1] recenset: *a*) plures libri habendi sint ex se iure ipso prohibiti, quales sunt vg.: 1) libri apostatarum, haereticorum et schismaticorum haeresim vel schisma propugnantium; 2) libri acatholicorum, qui ex professo de religione tractant, ni constet nihil in eis contra fidem contineri; 3) libri detrahentes Deo, B. V., Sanctis, ecclesiae catholicae eiusque cultui, sacramentis et Apostolicae Sedi; 4) libri, qui data opera ecclesiasticam hierarchiam aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt, vel quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum aliaeque huius generis superstitiones docentur aut commendantur, vel quibus duellum, suicidium, divortium licita statuuntur etc.; 5) tandem diaria, folia et libelli periodici, quae religionem aut bonos mores data opera impetunt; *b*) libri prohibiti nequeunt legi absque venia S. Sedis obtinenda a S. Congr. S. O. vel Indicis, vel etiam aut a S. C. Prop. Fidei quo ad loca eidem subiecta aut a Magistro S. Palatii pro Romae degentibus; ita tamen ut, qui facultatem apostolicam consecuti hac in re fuerint, non solum debeant libros caute custodire ne ad aliorum manus perveniant, sed non possint legere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscripta (quo iure Ordinarios eos-

Amplior est facultas concessa in formula C. Porro quoad hanc notamus quod licet dicatur «*ad effectum eos impugnandi*» siquis tamen facultate illa munitus, libros prohibitos legit ex sola curiositate, non incurrit excommunicationem, si liber sit ex vetitis sub tali censura, clausula enim illa non indicat finem intrinsecum, sed extrinsecum tantum facultatis, finis enim eius intrinsecus, seu finis operis, est eximere a lege quae vetat librorum prohibitorum lectionem, extrinsecus autem, usum concessae facultatis ita moderari, ut ratione etiam finis operantis a culpa vacet. Praeterea dum Summus Pontifex vult ut talis finis operantis sit conditio *sine qua non* facultatis, id exprimere solet, additis verbis *alias non, secus totum erit irritum,* aut his aequivalentibus.

In ea formula additur: *etiam aliis concedendi.* Differt igitur haec facultas a priori etiam in eo quod laicis quoque communicari potest.

[1] Iuris canonici privati institutiones.

dem pollere, et quidem ipsa vi muneris secus ac aliqui inepte prorsus sentierunt, sine temeritate non ambigitur) nisi eis in apostolico indulto facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quovis damnatos; *c*) possint tamen Episcopi aliique praelati, iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris atque in casibus urgentibus licentiam huiuscemodi impertire, ni ampliores facultates hac in re obtinuerint, quo in casu licentiam eamdem nonnisi cum delectu et ex iusta causa concedere poterunt; *d*) praeviae censurae ecclesiasticae illius loci ubi publici iuris fiunt [1] subiiciendi sunt saltem libri, qui S. Scripturam, theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicam respiciunt, ac generatim scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis peculiari ratione intersit; ni agatur de clericis saecularibus de quibus cavetur, ut ne alios quidem libros inconsultis suis Ordinariis publicent, et quibus imo interdicitur quominus absque horum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant; aut ni sermo sit de regularibus, qui praeter Episcopi licentiam, facultatem quoque a suis praelatis obtinere debent; *e*) edendi facultas a superioribus non concedatur ni praevio examine, in scriptis et gratis omnino, et ea sub lege ut in principio vel in fine operis illa imprimatur; *f*) nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis et editionis: quod si aliquo in casu iustas ob causas nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit; *g*) novae operis iam approbati editiones itemque eiusdem versiones nova approbatione indigeant; *h*) librorum venditores libros prohibitos venales non habeant, nisi a S. C. Indicis veniam per Ordinarium impetraverint;

[1] Bene animadversum volumus, iuxta reg. X Ind. examen et approbationem spectasse ad Ep. vel Inquis. loci, in quo impressio fiebat, nisi ageretur de scriptis alio imprimendis transmissis ex Urbe vel locis immediate aut mediate S. Sedi subiectis, quo ad quae requirebatur respective expressa approbatio Card. U. Vic. et Mag. S. Pal. vel Ordinarii praedictorum locorum. Iamvero haec omnia immutata sunt praeter quam dispositio, quae tangit *auctores Romae degentes.*

nec liceat eis cuiquam illos vendere (exclusis tamen omnino et semper *de obscenis ex professo* tractantibus) ni prudenter existimare possint ab emptore legitime peti; *i*) omnes et singuli scienter legentes sine venia Ap. Sedis libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, necnon libros cuiusvis auctoris per apost. litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrant spec. modo R. P. reservatam [1]: qui sine Ordinarii approbatione S. Scripturae libros vel eorumdem adnotationes vel commentarios imprimunt aut imprimi faciunt, incidant ipso facto in excomm. nemini reservatam [2]: qui vero cetera tsansgressi fuerint, quae his decretis generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo sint monendi, et si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coercendi.

c) — *De disputationibus cum haereticis et schismaticis.*

1130. Disputare de fide est ad examen revocare religionis dogmata, atque argumentis demonstrare a Deo esse revelata. Id autem duplici fieri potest modo, privatim scilicet et publice.

Privata disputatio est quae in privato loco inter privatos initur ita ut nulli aut pauci auditores adsint, qua ratione passim in haereticorum et schismaticorum regionibus haereticos inter atque orthodoxos de fide certari solet. Publica vero disputatio dicitur quae fit publico loco, spectante populo et quandoque etiam arbitris constitutis.

Privata disputatio cuique viro docto ab haeretico provocato licita est, ac etiam expediens, primo si prudenter iudicetur haereticum veritatis cognoscendae vitandique erroris causa ad disputationem provocare: secundo si prudenter speretur disputatione

[1] Conf. etiam Const. *Apost. Sedis* N. II *excomm. spec. reserv.*

[2] Conf. etiam Conc. Trid. *Sess. IV* et Const. *Apost. Sedis* N. V *excomm. nemini reserv.*

illa privata ad orthodoxam fidem haereticum conversum iri: tertio si silere catholicus non possit, quin audientes in fide vacillent, haeretici magis in errore confirmentur ac fides catholica contemptui exponatur. At, remotis his circumstantiis, *disputatio de rebus fidei laicis est prohibita: sacerdotes, nisi sint valde periti, ex consilio debent se abstinere excusando se bonis verbis et praetextibus*, ex decreto Sacr. Congr. Fidei Prop. 26 febr. 1630. At licet periti sint sacerdotes sive Missionarii, cavere omnino debent ne haereticos ad disputandum provocent, causa enim essent cur haeretici orthodoxa dogmata refellendo haereseos actus exercerent et catholicam fidem contemnerent, quae duae res grave prae se peccatum ferunt, et ne colloquiis privatis disputationes de fide miscendo eosdem haereticos sine ullo fructu moveant ad orthodoxae fidei contemptum et ad catholicorum persecutionem.

1131. A publicis autem disputationibus cum haereticis missionarii omnino abstinere debent. Sacra enim Congr. Fid. Prop. die 8 martii 1625 iussit: « publicas disputationes non fieri cum hae« reticis, quia plerumque vel ob loquacitatem vel audaciam aut « circumstantias populi acclamantis, veritas falsitate praevalente « opprimitur, et si aliquando huiusmodi disputationes recusari non « possent, primum de illis certior fiat Sacra Congregatio quae iuxta « temporis et personarum qualitatem quid agendum sit perscribet ». Quamobrem cum Missionarii nonnulli anno 1631 publicas de religione disputationes cum Batavis Constantinopoli coram Vicario Patriarchali instituissent, Sanctissimus *mandavit significari* Generalibus *Regularium Perae commorantium*, ut *illis interdicerent ut huiusmodi congressus aut disputationes publicas in posterum facere praesumerent sub poenis arbitrio Sac. Congregationis.* Insuper S. Univ. Inq. et Sac. Congr. Fid. Prop. die 19 ian. 1644 cuidam Missionario in Armenia mandavit *ut a disputationibus cum Patriarcha Armenorum in Eruam circa articulum duarum naturarum in Christo se abstineret.*

1132. Multo minus licitum est Missionariis sine expressa Romani Pontificis licentia conventum indicere ecclesiasticum, in quo

cum haereticis de religione disputent. Hinc eadem Sacr. Congr. die 27 maii 1644 reprehendendum censuit Ioannem Iudischi Missionarium *quod susceperit onus convocandi dictum conventum sine Sedis Apostolicae speciali mandato.*

1133. Porro cum Apostolica Sedes huiusmodi conventum permittit tres potissimum sunt necessariae conditiones ut rite fiat. 1) Ut haeretici non iudices et cum iure suffragii conveniant, sed ut instruantur et convertantur ab errore ac corrigantur; 2) ne fiant coram plebe, sed coram doctis; 3) ne sedeant tamquam iudices laici, etiamsi sint principes.

CAPUT II.

DE SOCIETATIBUS SECRETIS.

1134. Operae pretium est ut aliqua summatim perstricta heic addamus de societatibus secretis, quas Ecclesia damnare numquam destitit utpote ad rei tum sacrae, tum publicae exitium exortas. Sane contra huiusmodi Societates quocumque nomine censeantur, Constitutiones ediderunt Summi Pontifices Clemens XII [1], Benedict. XIV [2], Pius VII [3], Leo XII [4], Pius IX [5]. Horum autem decreta SS. D. N. Leo XIII nuperrime innovavit et confirmavit [6]. Ut autem sacrae religionis ministri sciant qua ratione cum huiusmodi hominum genere se gerere debeant, Sup. Univ. Inq. die 10 maii 1884 Instructionem edidit, qua apte proponuntur quae agenda ipsis Pastoribus sint ad hanc perniciem cognoscendam et amoliendam.

1135. Porro in Const. *Apostolicae Sedis* excommunicationem latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatam incurrunt

[1] Const. *In eminenti.*

[2] Const. *Providas.*

[3] Const. *Ecclesiam.*

[4] Const. *Quo graviora.*

[5] Encycl. *Qui pluribus.*

[6] In epistola encyclica *Humanum genus.*

« Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae, aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam, seu clandestine machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes, earumve occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec denuntiaverint ».

1156. Quare nemo potest absolutione sacramentali donari ultimisque sacramentis muniri, nisi ab eiusmodi societatibus damnatis prius omnino se separaverit, iisque quomodocumque favere desierit [1].

1157. Nomine autem Sectarum citato articulo damnatarum, comprehenduntur societates Massonicae, Carbonariae et Fenianae, omnesque aliae eiusdem naturae et indolis sectae, quocumque nomine appellari et cohonestari solent, quae sive adversus ecclesiam tantum, sive solum adversus legitimas potestates seu gubernium, sive palam sive clandestine machinantur, exigant vel non exigant a suis asseclis iuramentum de secreto servando [2].

1158. Neque dubium esse potest quin Sectae quae dicuntur Communistarum, Socialistarum, Nihilistarum, sub censuras ecclesiasticas cadant.

1159. Quicumque igitur scienter uni ex Societatibus enumeratis, aut alii Societati iam existenti licet non nominatae, aut in posterum orituræ, quae organizationem sectae massonicae similem habet, simulque ex instituto semper, et actu quando potest, contra Ecclesiam vel legitimas potestates palam aut clandestine conspirat,

[1] Proposito dubio: utrum in quacumque orbis regione, hominibus Liberorum Muratorum societati aggregatis, qui iuramenti de secreto servando vinculis invicem consociati in unum corpus coalescunt iuramenti exigendi more apud eamdem sectam adhuc vigente, *sacramentalem absolutionem* licite ac valide confessarius impertiatur priusquam ipsi *absolute* et *positive* praedictam damnatam societatem in perpetuum relinquant? Sacra Univ. Inquisitio die 5 iulii 1837 respondit: « Iuxta exposita non licere ».

Cum autem ortum esset dubium, utrum verba illa *non licere* includerent in casu exposito etiam invaliditatem absolutionis? Eadem Sacr. Congr. Feria IV, 27 iunii 1838, respondit: Affirmative iuxta Constitutiones apostolicas. Hanc vero resolutionem Gregor. XVI approbavit eadem die ac feria.

[2] S. Congr. Inqu. die 5 aug. 1846 et die 12 ianuarii 1870.

nomen dat, vel eiusmodi sectis qualemcumque favorem praestat, censuras ecclesiasticas non effugit, licet ipse personaliter non machinetur.

1140. Quod autem ad reliquas societates profanas attinet, quae quidem neque contra Ecclesiam neque adversus legitimas potestates machinantur, sed nihilominus asseclas suos, sive iuramento emisso, sive mera fide data, ad secretum servandum adstringunt, eae sectis citato articulo damnatis et sub poena excommunicationis Papae reservatae vitandis, annumerandae non videntur. Certo autem graviter illicitae, ideoque sub gravi peccato vitandae sunt associationes eae in quibus socii se obligant ad illimitatam obedientiam, et ad caece exequenda omnia, quae ab officialibus caetus forte praecipiantur.

1141. Idem dicendum de iis sodalitatibus in quibus tam arctum secreti foedus ineant, ut illud ne auctoritati quidem ecclesiasticae legitime interroganti extra S. Poenitentiae tribunal, impune revelari possit. Si qua vero Societas presbyterum proprio marte sibi vindicet aliumve ministrum cultus, qui rituali ac caeremoniis propriis pro suo lubitu utatur, eidem adscripti censuras contra schismaticos vel haereticos latas incurrunt.

1142. Ceterum consociationes eae quae et statuta sua et secretum auctoritati legitimae requirenti aperienda non recusant, neque aliud sibi proponunt, quam sodalium in propria arte exercenda, in conditione sua mediis licitis amelioranda, in iuribusque suis defendendis, mutuam tutelam et iuvamen, per se licitae sunt; magnum tamen est periculum ne iustitiae leges erga privatos violent vel etiam ad sectas damnatas accedant. Quod et eo magis timendum, quia operarii uniuscuiusque religionis et sectae consociantur, et quia perniciosae Socialismi doctrinae, tamquam novum terrenae beatitudinis evangelium iis a confratribus suis non raro praedicantur et laudantur.

1143. Quocirca ne gravissimis in periculis quibus praesertim iuniores opifices circumdantur, tentationibus succumbant, et laborum forte pertaesi, falsis illis doctrinis alliciantur, « opportunum

erit » uti monet Summus Pontifex Leo XIII, in Epist. Encyc. ad totius orbis Episcopos [1], « artificum atque opificum Societates fo« vere, quae sub religionis tutela constitutae, omnes socios sua « sorte contentos operumque patientes efficiant, et ad quietam ac « tranquillam vitam agendam inducant ».

1144. Graviter tamen illiciti essent illi conventus e quibus periculum turbarum, caedium, incendiorum oriretur.

1145. Quare catholicis operariis nullo modo permitti posset iniuriae inferendae vel operam dare, vel, quando in comitiis caetus aliquid iniustum decernitur, ei suffragio suo assentiri.

1146. Quod si forte dubia nova oriantur, num haec illave societas in Const. *Apost. Sedis* comprehendatur, quin dubia illa certo tolli possint, petenda erit, omnibus adamussim expositis rerum adiunctis, decisio S. Sedis.

CAPUT III.

DE IURISIURANDI ET DE VOTI RELIGIONE.

1147. Ad officia quibus homo erga Deum devincitur, pertinet iuramentum ac votum quibus homines frequenter Deum colunt. Breviter proinde et de iuramento, ac de voto dicemus.

ARTICULUS I.

De iureiurando.

1148. Iuramentum est: *Invocatio divini nominis in testimonium veritatis.* Iuramentum autem emitti debet in *veritate*, in *iustitia*, in *iudicio* [2], quatenus Deus tantummodo in veritatis testimonium invocetur, nonnisi in iustitia iuramentum emittatur ne fiat iniquitatis vinculum [3], et tandem debita advertentia et consilio

[1] Data die 28 dec. 1878.

[2] Ierem. IV, 2.

[3] Cap. 18, lib. 2, tit. 24 in decretalibus.

emittatur quibus actus dignitas cognoscatur adeo ut impuberes ob consilii infirmitatem ad iuramentum edendum non admittantur.

1149. Ex his sequitur 1) iuramentum nullum esse quoties aliquid malum promittatur, etiamsi tantummodo ad bonum impediendum dirigatur [1]. 2) Iuramentum non valet quod in tertii praeiudicium dirigitur [2]; 3) iuramentum nullum est quod circa obiectum impossibile versatur. 4) Cum iuramentum sit aliquid accessorium actus vel lege naturali, vel humano iure nullus, iuramento non firmatur, cum iuramentum actus naturam sequatur [3], secus si de actu agatur qui solummodo rescindibilis censendus sit [4].

1150. Iuramentum 1) aliud est *assertorium*, quo aliquid affirmamus vel negamus sub Dei invocatione, aliud *promissorium* quo ad aliquid praestandum vel vitandum obligamur; 2) aliud est *solemne,* aliud *simplex* prout fit adhibitis solemnitatibus ac caeremoniis vel iis exclusis.

1151. Iuramentum quod ex vi et dolo emittatur nullum est [5], sed quod sub metu etiam gravi emittitur validum est [6]. Verum Ecclesia ab hoc iuramento absolvere solet, uti v. gr. in ministerio relinquere illum qui sub fide iuramenti ex metu extorti renunciaverit officio suo [7].

1152. Ad iuramentum iudiciale quod attinet remissive ad tractatum de iudiciis.

1153. Iuramentum sive assertorium sive promissorium strictae est interpretationis [8]. Verum qui iurans ex dolo verbis dubiis usus

[1] Cfr. cap. 12 de foro competenti, lib. 2, tit. 2 in Decretalibus.

[2] Cap. 2 et cap. 27 h. t. in Decretalibus.

[3] Regul. 42 in 6°. Cfr. Regulam 64 in 6°.

[4] Cfr. cap. 2 h. t. in 6°, et cap. 2 de Pactis lib. 1, tit. 18 in 6°.

[5] Cap. 28 et sqq. h. t. in Decretalibus.

[6] Cap. 8, cap. 15 h. t., et cap. 4 de iis quae vi metusque causa fiunt lib. 1, tit. 4 in Decretalibus.

[7] Cap. 6 h. t. in Decretalibus.

[8] Cap. 19 de V. S., lib. V, tit. 40. et reg. 15 Iuris V, 12 in 6°. Cfr. cap. 16 et cap. 23 h. t. in Decretalibus.

sit, contra ipsum interpretatio facienda est [1]. Iuramentum promissorium quod circa materiam versatur quae sub iuris communis dispositione cadit, iuxta commune ius interpretatur [2]. In iuramento semper conditio subintelligitur ut salvum maneat ius, et salva sit superioris auctoritas [3]. Iuramenti obbligatio non urget si res fuerit notabiliter mutata [4]. In iuramento reciproco conditio subintelligitur « dummodo altera pars fidem servaverit ». Iuramentum enim naturam obligationis sequitur, quae hoc in casu cum sit reciproca natura sua conditionata dicenda est [5].

ARTICULUS II.

De voto.

1154. Votum est: *promissio deliberata certi boni melioris Deo vere et deliberate facta.* Ex qua definitione sequitur: votum nullum esse si ex errore vel per iniuriam emittatur; voti obiectum non modo possibile et honestum esse debere, sed et tale quo maius bonum non impediatur.

1155. Votum est *reale,* vel *personale,* vel *mixtum* prouti promittitur aliquid dare vel facere vel utrumque simul. Votum aliud est *temporaneum,* aliud *perpetuum;* aliud *expressum,* aliud *tacitum,* aliud *conditionale,* aliud *poenale,* aliud *purum,* aliud *simplex,* aliud *solemne* secundum quod actum contrarium reddat tantummodo illicitum vel etiam invalidum. Votum tandem aliud est *reservatum,* aliud *non reservatum.*

1156. Ad obligationem quod attinet quae ex voto inducitur breviter notamus 1) iudicem ecclesiasticum etiam in foro externo

[1] Cap. 9, C. 22, q. 5.

[2] Cap. 21 h. t. in Decretalibus. Clement. 1ª de V. S. (V, 11) § *in primis.*

[3] Cfr. cap. 13 h. t. in Decretalibus.

[4] Cfr. cap. 25 h. t. in Decretalibus.

[5] Regul. 75 iuris libr. V, tit. 12 in 6°. Cfr. cap. 3, cap. 29, § ult. h. t. in Decretalibus.

voti implementum urgere posse. 2) Votum vel gravem vel levem obligationem inducere pro rei natura. 3) Votum dubium nullam obligationem inducere. 4) Votum negativum semper urgere, positivum tempore praestituto implendum esse. 5) Votum alienum reale et haeredes illiusque successores obligare, secus si personale.

1157. Voti obligatio multipliciter cessat nempe 1) *pereunte re promissa,* vel *cessante ex integro finali causa,* vel rebus *notabiliter immutatis.* 2) Cessat votum *commutatione*, *dispensatione* dummodo ab eo qui iurisdictionem habet proportionata de causa fiant. Quare notandum hac in re est 1) nonnulla vota R. Pontifici esse reservata sicuti votum perpetuum castitatis, ingressus in religionem adprobatam, aut peregrinationis vel romanae, vel hierosolymitanae, vel compostellanae. 2) Non cadunt sub iurisdictione praelati vota quae primarie in aliorum utilitatem emissa sunt quoties ab his promissio fuerit acceptata.

1158. Cessat tandem votum etiam *irritatione* ex parte illius qui potestatem *dominativam* in voventem vel in rem quae sub voto cadit, habet. Ceterum de voto materiam fusius agere ad theologos brevitatis gratia remittere cogimur.

CAPUT IV.

DE SACRA LITURGIA AC DE SACRIS ECCLESIAE RITIBUS.

1159. Actuum complexus quibus Ecclesia Deo cultum externum et socialem certis quibus ritibus praestat, *sacra liturgia,* vel etiam simpliciter *liturgia,* ex iamdiu receptis moribus ex graecis vocibus *publicum ministerium* significantibus, vocari consuevit. Ad doctores de sacra liturgia ex professo agentes quae ad sacram liturgiam pertinent, remittentes haeic de sacris Ecclesiae ritibus breviter agitur, cum haec missionariis apprime comperta esse debeant. Sit igitur:

ARTICULUS I.

De Sacris Ecclesiae Ritibus.

1160. Cum mens humana per sensibilia ad spirituales, quibus Deo coniungimur, actus elevetur, factum est ut ab Ecclesiae primordiis ad fideles magis excitandos ad rerum divinarum meditationem exterioribus adminiculis, atque ad fovendum et augendum interiorem Dei cultum, certi instituti sint ritus, praesertim in Missae Sacrificio obeundo.

1161. Iamvero in Occidente quatuor viguerunt liturgiae, scilicet *Romana, Gallicana* penes Ecclesiam Galliarum, *Mozarabica,* quae etiam gothica appellari consuevit, qua utebatur Ecclesia Hispaniarum, et *Ambrosiana,* quae in usu est Ecclesiae Mediolanensi.

1162. Verum progressu temporis ad quosdam abusus praecavendos, Romani Pontifices, inde ab Innocentio I, sedulam navarunt operam ut quaedam uniformitas in praedictis Liturgiis induceretur. Et ita factum est, ut in locum liturgiae gallicanae substituta fuerit Romana, et Hispaniarum Ecclesiae fere omnes, relicto rito mozarabico, romanum sint amplexae. Ob peculiarem vero venerationem, quam sibi conciliavit liturgia ambrosiana, ipsa adhuc servatur in ecclesia Mediolanensi.

1163. Porro ritus ambrosianus quoad Missam prolixior est quam romanus, et, ut animadvertit Gavantus, graecae liturgiae propius accedit. Plura habet peculiaria, quae fuse recenset [1].

1164. In Ecclesia vero orientali quatuor vigent ritus, scilicet *Graecus, Armenus, Syriacus, Coptus.* Excepto ritu armeno, alii tres subalternas divisiones habent. Graeci enim alii *puri* sunt, et incolunt regnum Graeciae et imperium turcicum, ac fere omnes versantur in schismate photiano. Ex iis qui graecum ritum sequuntur, coniuncti sunt cum Ecclesia Romana, illi qui sunt in Italia, et praesertim in Sicilia et Calabria, nec non aliqui in insula Corsicae

[1] CARD. BONA, lib. 1, cap. 10, *Rerum liturg.*

et in regno turcico degentes. Alii sunt Graeci Melchitae et reguntur a Patriarcha Antiocheno Melchitarum, lateque sunt per Orientem diffusi. Alii Rhumeni qui habitant Transilvaniam aliasque regiones imperii Austro-Ungarici. Alii Slavici, quos inter eminent Rutheni, qui nonnullas regiones sive Poloniae, sive Gallitiae (Provinciam Ecclesiasticam Leopoliensem Ruthenorum), sive Hungariae (Dioeceses Eperiessensem et Munkacsiensem, quae ad provinciam ecclesiasticam Strigoniensem pertinent) incolunt. Alii Bulgari, qui vivunt in Macedonia, Thracia necnon Constantinopoli.

1165. Habent Armeni plenam hierarchiam ecclesiasticam in regno Turcico et imperio Russico (Dioec. Artuinensis), cui praesidet Patriarcha Ciliciae eiusque Sedes est Constantinopoli. Ei autem non subsunt, qui in Dioecesi Tiraspolensi imperii Russici, in Archidioecesi Leopolensi Armenorum et in aliis quibusdam locis imperii Austro-Hungarici degunt.

1166. Armeni Persidis provisoria tantum ratione Patriarchae Ciliciae subiecti sunt; Dioeceses Mardensis et Amidensis sicut reliqua pars Mesopotamiae (in administrationem ad beneplacitum Sedis Apostolicae). Patriarchae Ciliciae datae sunt, et in Dioecesi Alexandrina iurisdictio Patriarchae tantummodo tolerata est.

1167. Syriacus ritus in tres classes distinctus est, alius enim est *pure* syriacus seu Sessorianus, quo utitur gens eiusdem nominis. Qui hunc ritum sectantur a Patriarcha Antiocheno Syrorum reguntur. Alius est ritus *Syro-Maronita* et *Syro-Chaldaicus* qui servat usum panis fermentati, secus ac Syro-Maronita, qui in azymo conficit. Fideles ritus Syro-Chaldaici diffusi degunt in Mesopotamia, Perside, etc., sub regimine Patriarchae Chaldaei Babylonensis. Praeter hos sunt plures eiusdem ritus, qui commorantur in locis Malabaricis, quorum plerique sunt catholici. Isti obnoxii sunt iurisdictioni Vicariorum Apostolicorum de Trichoor et de Cottayam et in synodo habita anno 1599 adoptarunt usum panis azymi et sic differunt ab haereticis Nestorianis qui habent usum fermentati.

1168. Quod ad Coptos attinet, plerique eorum detinentur schismate Monophysitarum sub regimine proprii Patriarchae; catholici

autem, qui admodum pauci sunt, Vicario proprio obsequuntur. Fidelibus vero ritus Coptici adiungi possunt fideles Abissinii, qui subiecti sunt Vicario Apostolico eiusdem nationis, sed linguam propriam habent, quae *gheza*, ad discrimen linguae *amharicae* seu vulgaris, nuncupatur.

ARTICULUS II.

De differentiis inter utriusque Ecclesiae ritus.

1169. Dissidet a Latinis Orientalium disciplina circa sacros ritus primum ratione linguae, quam in sacris officiis persolvendis usurpat; deinde ratione Euchologiae et liturgiarum, quas Orientales proprias habent. Differunt praeterea in ordine divinorum officiorum, quae ab Ecclesiasticis recitantur, ac ratione disciplinae quam in obeundis ieiuniis servant. Postremo illud maxime Orientales a Latinis discriminat, quod iuxta eorum disciplinam simplices Presbyteri unicam et virginem uxorem habere possint, quam duxerint priusquam sacris ordinibus initiati sint.

1170. Iam ad linguam quod attinet, olim graecam, usque saltem ad saec. IV, communem fuisse omnibus orientalibus ecclesiis, si paucas dempseris, quae syriace fortasse et aegyptiace sacris operabantur, compertum est. Hac de causa orientalis ecclesiae ritus universim ritus ecclesiae graecae appellari solent, atque omnes origine graeci reputantur, licet deinceps mutationes aliquas subierint, postquam alia lingua sacra uti coeperunt. Ecclesia armena, quae a graeca Caesareae Ecclesia cum Episcopo disciplinam acceperat, initio quinti saeculi tum sacra Biblia tum alios ad sacram disciplinam pertinentes libros, propria lingua scriptos habere illamque in sacris peragendis usurpare coepit; in usu huius linguae, etiam nunc Armeni perseverant. Ecclesia Mesopotamiae inde a temporibus apostolicis florentissima, lingua propria seu *aramaica* initio usa est in sacris etiam faciendis. Et quum Nestoriani, decedente iam saeculo V, omnes ferme illas ecclesias pestilenti suo errore infecerunt, nonnulla doctrinae suae placitis consentanea inse-

rere in sacram liturgiam tentarunt, linguam vero minime mutarunt. Quare ad hanc usque aetatem in ecclesiis omnibus Nestorianis et Chaldaeis etiam catholicorum, non aliter quam syriace sacra celebrari consueverunt. Idipsum dici debet de Ecclesiis in Perside aliisque in Tartaria, Turquestania et aliis Indiarum Orientalium partibus constitutis. Syriacam quoque linguam adhibere coeperunt Iacobitae postquam antiochenum sibi usurpavere Patriarchatum, eaque pariter, licet a populari sermone multis abhinc annis exulaverit, utuntur Syro-catholici una cum Maronitis; quamvis fatendum sit, sequioribus hisce temporibus in utraque Ecclesia invectum esse morem recitandi publice lectiones biblicas, Epistolam nimirum et Evangelium, lingua vernacula seu arabica. Graeco-Melchitae desuefacti iamdudum ab usu ecclesiastico primaevi sermonis syriaci, in huius locum arabicum suffecerunt, paucis tantummodo e lingua graeca retentis. Iacobitae vero seu Monophysitae, Aegypti accolae, copticam adhibent linguam; attamen omnes ferme libri liturgici versionem arabicam ex adverso praeferunt pro iis qui linguae copticae notitia usuve carent. Aethiopes sive Abissinii, qui Patriarchae Copto-Iacobitarum subduntur, aethiopica lingua sacra peragunt. Colchi et Georgiani ritum et disciplinam graecam custodiunt, sed utrique suo idiomate sacra faciunt. Illyrici seu Sclavi in Servia, Bulgaria, etc., illyrice seu sclavonice celebrant; Moscovitae vero et Rutheni ruthenica lingua quae parum a sclavonica dissidet. Reliqui orientalis Ecclesiae ritum servantes, graeca lingua utuntur, scilicet graeco-itali, qui orthodoxi dicuntur, schismatici omnes qui patriarchis graecis Constantinopolitano et Hierosolymitano obtemperant.

1171. Dissident Orientales tum a latinis tum inter se circa liturgias et rituales libros, quorum iis est usus. Liturgias vocamus sacra officia, publica ecclesiarum auctoritate confecta atque earumdem usu comprobata, quibus preces et ritus ad consecrandam et ad ministrandam Eucharistiam continentur. Libri autem qui vel modum ministrandi alia sacramenta, vel alia ecclesiastica officia praescribunt, *Rituales* dicuntur. Denique Graecorum Euchologium

nil aliud est, quam collectio ecclesiasticarum precum et benedictionum, ideoque Goarii sententia *Rituale* sive *Manuale* aut *Sacerdotale* et *Pontificale* appellari potest.

1172. Heic vero notandum est quod totum discrimen rituum in sacramentorum administratione, circa ritus mere caeremoniales et circa formulas et ordinem precum versatur. Porro quamvis ea quae ad diversum modum sacramenta ministrandi spectant, in tractatu de singulis sacramentis expondituri sumus; attamen operae pretium est heic nonnulla breviter exponere: 1) de loco in quo iuxta orientalem disciplinam sacrum fieri debet; 2) de Missis quae eodem die in uno altari celebrari queant; deque 3) Praesanctificatorum Missa iuxta orientalium ritum statis temporibus celebranda.

1173. Iamvero ad locum quod attinet, in Ecclesia latina incruentum Missae sacrificium celebrari non potest, nisi super altari quod vel totum rite consecratum fuerit, vel saltem superimpositum habeat consecratum lapidem, qui *tabula* altaris nuncupatur. Graeca autem Ecclesia a pluribus saeculis, ubi altare solemni consecratione totum dedicatum non fuerit, loco lapideae huiusmodi tabulae, super altaris mensa aptare solet linteum quoddam episcopali benedictione consecratum, in cuius angulis sanctorum Reliquiae conditae sunt, quodque vocant *Antimension*, et super ipso sacra mysteria conficiuntur. Numquam Apostolica Sedes hunc orientalis ecclesiae ritum improbavit, sed ipsum non solum in regionibus Orientis, verum etiam in ipsa Italia, Graecis et Albanensibus observare permittitur [1]. Latinis vero super Graecorum Antimensiis Missas celebrare vetitum est citata Const. § VI, n. 49. At idem Pontifex an. 1751 [2] iustis de causis concessit Missionariis aliisque sacerdotibus latinis in universa Russia Polonica commorantibus, ut in Ecclesiis Ruthenorum unitorum, deficientibus lapideis altarium tabulis rite consecratis, super sacris eorumdem Ruthenorum antimensiis Missarum sacrificia celebrare atque etiam ut in huiusmodi celebra-

[1] Cf. Const. *Etsi pastoralis* Bened. XIV. Cf. Collect. n. 1377.

[2] Const. quae incipit *Imposita nobis*.

tione eorumdem calicibus stamneis uti licite possent et valerent. Clemens VIII anno 1602 permisit ut Sacerdotes Rutheni non schismatici, in ecclesiis Catholicorum latini ritus altaribus, calicibus et vestibus sacris eorumdem catholicorum uti et Missam celebrare possint in casu necessitatis, imo etiam solum devotionis causa, dummodo ritu rutheno celebrent. E contra sacerdotes ritus latini in ecclesia Ruthenorum non schismaticorum altaribus et calicibus ac vestibus sacris uti et Missam celebrare valeant, ritu tamen latino, dummodo praedicta serventur, secluso omni scandalo et de licentia Praelatorum et Rectorum ipsarum Ecclesiarum.

1174. Olim tum in Oriente tum in Occidente consuetudo erat ut in una ecclesia unicum extaret Altare, in quo semel tantum in die celebraretur. Haec vero consuetudo iamdiu in Ecclesia latina exolevit. Sed in Oriente, si Maronitas excipias, paucosque alios, qui non a multis annis Latinorum sacerdotum morem imitantur, omnes ferme antiquam consuetudinem servant. Apostolica vero Sedes permittit graecis presbyteris qui in Italia insulisque adiacentibus degunt, ut si velint morem servent, ex antiquissimo et hactenus servato ritu acceptum, nonnisi semel in die per unum sacerdotem in parochialibus ecclesiis celebrandi. Concedit tamen ut in suis parochialibus vel aliis ecclesiis praeter altare maius alia etiam minora altaria habeantur, in quibus sibi liceat pro sacerdotum numero plures in die Missas celebrare [1]. At Graeco-Melchitis postulantibus ut ad satisfaciendum pietati sacerdotum et multiplicibus fidelium oblationibus praedictum ritum antiquitate commendatum immutari permitteretur, et in ecclesiis Libani plures Missas eodem die super eodem altari offerendi sacerdotibus fieret potestas, Bened. XIV [2] postulatis minime indulgendum censuit. Permisit tamen [3], ut alia altaria in loco Ecclesiae apto erigi possint. Quod si altarium numerus celebrantium et offerentium multitudini sit impar,

[1] Const. cit. *Etsi pastoralis*, § 6, n. 8, 9.

[2] Const. *Demandatum*.

[3] Iuxta decretum S. C. Fid. Prop. diei 31 martii 1729.

concessit idem Pontifex pluribus sacerdotibus, ubi huiusmodi consuetudo viget, super eodem altari una cum Episcopo vel alio sacerdote sacrificium peragente concelebrare; ita tamen ut sacris vestibus more celebrantium induti, unusquisque totam liturgiam integre recitet et verba consecrationis proferat, perinde ac si sacrosanctum sacrificium singulatim conficeret: huiusmodi autem sacrificium singuli sacerdotes iuxta mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent, licite valeant applicare. Quod si aliae atque aliae oblationes pro eiusdem sacrificii applicatione ulterius obveniant; sacerdos qui eas receperit semper teneatur monere fideles qui posterius offerant de aliis oblationibus ad eumdem finem ante acceptis, et nisi iidem offerentes unica Missae celebratione se voti compotes fore declarent, sciat se unico sacrificio plurium voluntati minime satisfacturum. Eorum vero mentem qui pro sacrificio obtulerunt numquam a sacerdotibus impletum iri declaravit per solam adiectionem Particularum et commemorationem quae in Panis praeparatione ante Missae Sacrificium fieri solet; cum omnino necessaria sit integra concelebratio, nisi de eorumdem offerentium voluntate aliter fiat.

1175. In commodum vero sacerdotum qui privatum Missae sacrificium offerre cupiunt, salva semper consuetudine ut ad unum altare unum tantummodo sacrificium in dies singulos offeratur, Graeci constituerunt Paraecclesias seu oratoria quaedam ecclesiae contigua, quae habent altare, in quo sacerdos celebrat qui in alio, ubi alter celebraverit, sacrum facere nequit. Est enim in more positum apud orientales, praesertim Graecos, ut in feriis IV et VI quadragesimae, nonnisi Praesanctificatorum missa celebretur, quae ei similis est quam latina Ecclesia semel in anno feria sexta in Parasceve celebrat.

1176. Diversa quoque est latina ab orientali Ecclesia disciplina tum quoad modum recitandi horas canonicas, ad quas ecclesiastici tenentur, tum circa dies festos quos agunt; quod enim ad hos spectat, ex orientalibus solum Maronitae et Graeci-Melchitae Gregorianum Kalendarium recepere.

1177. Varia est etiam Orientalium disciplina quoad ieiunia, tum circa dierum numerum, tum circa ieiunandi modum. Et ad dies quod attinet, Italo-graeci feria IV et VI in qualibet hebdomada ieiunant non vero in sabbatis, excepto sabbato sancto. Rursus a feria secunda post festum Sanctissimae Trinitatis ad festum usque Apostolorum exclusive, a prima die augusti usque ad Assumptionem B. M. V. et a die decima quinta novembris ad nativitatem Domini ieiunare solent. Mengrellenses seu aliqui Georgiani quatuor quadragesimas colunt, Syrii Iacobitae quinque, Syrii Nestoriani septem. Copti et Aethiopes, praeter ieiunium feriae quartae et sextae, tribus diebus post dominicam septuagesimae ieiunare solent et praeter quadragesimam octo hebdomadum, quam a feria secunda post quinquagesimam auspicantur, ieiunia colunt Adventus, Assumptionis B. M. V. a prima die augusti ad diem decimam quartam, et SS. Apostolorum. Armeni non ubique eadem observant ieiunia. Omnes vero a feria secunda quinquagesimae quadragesimalis ieiunii exordium ducunt. Ad haec: ieiunant in vigilia Nativitatis Domini, ante Epiphaniam per septem diebus, postridie Assumptionis B. M. V. ad sabbatum usque sequens, a feria secunda post Pentecosten usque ad feriam sextam; demum ieiunium exercent die praecedente festum Transfigurationis, Exaltationis S. Crucis, festum S. Gregorii Illuminatoris, Sancti Iacobi Episcopi, S. Sergii Martyris, S. Gregorii quem Thaumaturgum appellant etc. Quoad rationem vero ieiunandi, quamvis eadem ratio servari debeat ab omnibus tempore ieiunii maioris ante Resurrectionem Domini, tamen in ceteris anni ieiuniis inter se discrepant; siquidem alii contenti sunt sola abstinentia a carne et lacticiniis et ovis (excepta feria IV et VI cuiuslibet hebdomadae in quibus fere omnes a piscibus quoque abstinent) alii ieiunium protrahunt usque ad nonam tantum, alii denique pro loci consuetudine rigidiorem lenioremve ieiunandi modum servant.

1178. Ad ultimum disciplinae caput quod pertinet, satis sit notasse in orientali Ecclesia legem esse, qua Episcopi nequeunt uxorem ducere neque eam retinere si forte habeant, sed dimissam in monasterio aliquo alere tenentur. Hinc si presbyter coniugio sit

obstrictus, ut ad episcopatum ascendat uxoris consensum obtineat necesse est, quod si ea invita episcopatum suscipiat, ab eadem discedere tenetur. Quoad alios ordines maiores ita cautum est: si ratio sit de uxore suscepta ante diaconatum, fas est Graecis eam in presbyteratu retinere, ita tamen ut abstinere ab usu matrimonii per tres dies ante missae celebrationem debeant: si vero de uxore post diaconatum ducta, tunc non solum illicitum sed etiam invalidum eorum matrimonium habetur [1].

His expositis, perpendendum est an obligatio existat, qua unusquisque in proprio ritu manere debet.

ARTICULUS III.

De obligatione permanendi in proprio ritu.

1179. Porro instituti Ecclesiae auctoritate ritus et consuetudines eiusdem auctoritate comprobatae, vim habent legis, qua omnes fideles obligantur, a quibus nonnisi ab eo qui universae Ecclesiae praesidet exsolvi possunt. Quocirca liberum non est cuique susceptum ritum deserere atque ad alium transire, nec possunt Episcopi, multo minus Missionarii orientalibus proprii ritus mutationem suadere eamque ullo modo admittere, inconsulta Apostolica Sede; et arbitrarius transitus, irritus ac nullus ad quemcumque effectum est. Sane Benedictus XIV [2] in virtute sanctae obedientiae Maronitarum Episcopis vetat, ne quocumque praetextu aut obtentu rebus spiritualibus nationis Graeco-Melchitarum in iis quae spectant ad iurisdictionem et auctoritatem illius Patriarchae, Episcoporum et Parochorum, se ingerere audeant, neve eorumdem subditis transitum a graeco ad maroniticum ritum suadere vel eos qui sponte transire vellent, nisi forte peculiaris a Romano Pontifice facultas fuerit tributa, recipere praesumant. Et Missionariis praecipit, ne quid iisdem

[1] Cf. Bened. XIV, Const. *Eo quamvis* an. 1745. Cf. Collect. n. 681.

[2] In Constitutione *Demandatum coelitus.*

suggerere aut suadere audeant, quod illorum contemptum atque imminutionem inducere possit, multoque minus auctoritate propria aliquid circa illos immutare aut etiam super iisdem aliquam dispensationem concedere vel admittere praesumant sub poenis ibidem intentatis. Idem Summus Pontifex, in encyclica ad Missionarios per Orientem deputatos declarat, eadem ratione ab Apostolica Sede prohiberi Ruthenorum transitum ad latinum ritum, sive ecclesiastici sint, sive laici. Graecis vero in Italia degentibus sub Episcopis latinis, si laici sint, Episcopo permittente, transitus ad latinum ritum conceditur, non vero si sint ecclesiastici; iis enim Apostolicae auctoritatis facultas necessaria est, ut ritum mutare valeant.

1180. Iamvero haec generatim ostendunt obligationem in semel suscepto ritu permanendi. Nunc ad casus peculiares devenientes, primum agemus de Orientalibus qui proprii ritus Episcopo subsunt, atque in ipsius Ecclesia degunt; deinde de iis Orientalibus, qui in Ecclesiis vivunt quibus latini Episcopi praesunt; denique de latinis qui in Orientalium Episcoporum dioecesibus commorantur.

1181. Ad primum quod attinet, in citata Constitutione pro Graecis Melchitis lata, ex qua facile colligere est quid de aliis quoque Orientalibus sit sentiendum, praescribitur: 1) ut qui a graecis parentibus progeniti, ob defectum graecorum sacerdotum, latino ritu a latinis ad illum diem baptizati fuerunt eumque ritum hactenus tenuerunt, coram persona ab ipso Summo Pontifice deputanda semel profiteri debeant, in quo ritu vivere malint, in eoque in posterum, omni variandi facultate adempta, perseverare tenentur. 2) Praescribitur, ut filii qui ab huiusmodi parentibus post praedictam declarationem nascentur, nec non ii qui iam nati sunt, sed nondum ad usum rationis pervenerunt, sequantur conditionem parentum, si coniuges unum eumdemque ritum elegerint, sin minus, patris ritum sequantur. 3) Si quos in posterum Graecos, necessitate cogente, ob defectum Parochi catholici ritus graeci, baptismum aut alia sacramenta a latino presbytero recipere contigerit, illi non ideo consendi erunt latinum ritum suscepisse, sed omni dubitatione sublata ritum graecum, in quo orti sunt, observare teneantur. 4) Sta-

tuitur, ne Missionarii latini, quos in Episcoporum adiumentum et levamen Apostolica Sedes in eas regiones mittit, utendo facultatibus sibi concessis, eorumdem Episcoporum iurisdictioni praeiudicium inferant et numerum subditorum imminuant.

1182. Ad secundum quod pertinet, eadem obligatione manendi in suscepto ritu Orientales illos teneri, qui in latinorum Ecclesiis degunt, ex pluribus Apostolicae Sedis constitutionibus patet ac nominatim ex Const. Innocentii IV pro Graecis qui in regno Cypri latinis Episcopis subiecti erant, Leonis X, Clementis VII, Pauli III, Iulii III, Pii IV et V, Gregorii XIII, et Clementis VIII. Nemo autem rem distinctius exposuit Benedicto XIV qui Const. *Etsi pastoralis* [1] aliorum Pontificum hac de re decreta confirmavit et explicavit ac alia etiam definivit. Porro in ea Constitutione *in primis* annuit Graecos et Albanenses in Italia vel alibi sub Episcopis latinis degentes in proprio ritu manere, ac eos qui sunt ecclesiastici in quocumque ordine minori vel etiam maiori constituti, saeculares, vel regulares, a ritu graeco ad latinum sine expressa Sedis Apostolicae facultate transire non posse declarat. Episcopum vero dioecesanum posse pro sua prudentia permittere laicis ut ad latinum ritum transeant, non tamen communitati Graecorum sive Albanensium, sine Apostolicae Sedis licentia, sed solum privatis personis, attenta uniuscuiusque necessitate. *Secundo* statuit infantes natos ex patre et matre graecis, ritu graeco, nisi aliter parentes, accedente Ordinarii consensu, voluerint, baptizandos esse. *Tertio* natos vero ex patre latino et matre graeca, latinis esse caeremoniis baptizandos, proles enim sequi omnino debet patris ritum, si sit latinus. *Quarto* si vero pater sit graecus et mater latina, liberum esse patri ut proles vel ritu graeco baptizetur, vel etiam ritu latino, si uxor latina praevaluerit, id est si in gratiam uxoris latinae consenserit graecus pater ut latino ritu baptizetur. *Quinto* infantes ad eius parochiae iurisdictionem pertinere, cuius ritu sunt baptizati, cum per baptismum fiat suscepti ritus graeci vel latini professio, ita ut ad lati-

[1] Collect. n. 1577.

num ritum spectent qui latinis caeremoniis baptizati fuerint, qui vero ritu graeco sacramentum baptismi susceperunt in Graecorum numero sint habendi; adeoque si ante usum rationis decesserint, a proprio, cuius ritu baptizati sunt, parocho et in propria parochia sunt iure communi sepeliendi, nisi iis baptismus collatus fuerit vel ob gravem necessitatem, cum nimirum morti proximi fuerint, nec haberi potuerint parochi vel sacerdotes proprii ritus, vel ex dispensatione apostolica, cum videlicet facultas data fuerit ut latine quidem baptizentur, sed in suo ritu graeco permaneant. In his enim casibus non censentur a proprio ad alium ritum transiisse. Post usum vero rationis idem dicendum, nisi quis in alieni ritus ecclesia, sepeliri cupiat; si quis enim graeco ritu baptizatus in latina ecclesia, vel latine baptismate initiatus in ecclesia graeca sepulturam eligat, iuris regulae sunt servandae, nimirum cadaver extra propriam parochiam a proprio parocho est efferendum, quarta funerali ei minime imminuta; et ubi tumulandum est cadaver, ibi a parocho illius ecclesiae sive latinae sive graecae exequiae sunt celebrandae. *Sexto* quando vero infantibus praedictis seu etiam adultis exequiae ritu graeco et in ecclesia graeca, ut praefertur, iure communi sunt celebrandae, tunc nullum ius habet latinus parochus interveniendi cum graeco parocho, nec partem aliquam stolae percipiendi; similiter nullum ius competit parocho graeco quando exequiae in ecclesia latina et per latinum parochum sunt peragendae, sed servanda sunt utrobique statuta de iuribus parochorum circa sepulturam eorum qui ad propriam parochiam spectant. *Septimo* quem ritum semel in baptismo sunt professi, sive latinum sive graecum, in eo institui et educari debent, nec ad alium possunt transire, si latinum semel susceperint. Ritus enim latinus propter suam praestantiam, eo quod est ritus Sanctae Romanae Ecclesiae omnium Ecclesiarum matris et magistrae, ita supra graecum ritum praevalet, maxime in italicis regionibus, ubi latinis Episcopis graeci subiecti sunt, ut non modo ab ipso ad graecum transitus nullatenus permittatur, verum etiam a graecis semel assumptus, absque apostolica dispensatione deseri nequeat. Hinc sequitur quod maritus latinus uxoris graecae ritum

sequi non potest, nec latina uxor mariti graeci. Graecus vero maritus potest, si velit, ritum uxoris latinae sequi et graeca itidem uxor mariti latini, post cuius obitum ad ritum graecum redire nequit.

1183. Denique ad tertium quod attinet, seu ad latinos inter graecos degentes, ipsi stricte tenentur sequi proprium ritum et in eo permanere, atque adeo Missionarii a S. Congregatione ad Orientales destinati debent omnia latinorum ieiunia servare, quemadmodum et reliqua omnia, quae latinae Ecclesiae disciplina praecipit.

ARTICULUS IV.

De communicatione inter utriusque ritus fideles.

1184. Superest ut aliqua expendamus circa communicationem in divinis inter latinos et graecos catholicos. Huic rei moderandae plures extant Constitutiones apostolicae, inter quas recensetur illa Innocentii IV de catholicae fidei professione, ad Episcopum Tusculanum data, qui Legati munere fungebatur in regno Cypri, illa Pii IV *Romanus Pontifex* die 10 febr. 1554, tum illa Pii V *Providentia Romani Pontificis* 1 septembr. 1566, denique, ut alias omittam, Clementis VIII Instructio publicata anno 1599. Plura etiam decreta edita de eadem re fuere a S. Un. Inquis. [1]. Extat etiam Decretum S. Congr. Fidei Propagandae [2] latum ad graves et diuturnas controversias dirimendas, quae in provincia Leopolitana inter ecclesiasticos latini et graeci ritus exortae fuerant.

1185. Porro in primis quaeri potest utrum in dioecesi, ubi permixti sunt Latini cum Graecis vel Graeci cum aliis diversi ritus, possit Latinus Graeco et Graecus vicissim Latino aut alterius ritus sacerdoti confiteri. In casu necessitatis presbyterum quemque posse, fidelem diversi ritus absolvere, compertum est. Graeci autem alii-

[1] Quae referuntur ab ALBITIO *De inconst. in Fide* P. I, cap. 30 a n. 311 ad 378.

[2] Die 6 octobr. 1863. Collect. n. 2024.

que Orientales siqui sint qui deprecativa forma absolvunt, Apostolicae Sedis praecepto tenentur, praeter preces quas iuxta proprium ritum adhibent, etiam formam absolutionis a florentina Synodo praescriptam et a Latina Ecclesia usurpatam adhibere [1].

1186. Extra necessitatis casum: 1) Missionariis latinis quisque licite confitetur cuiuscumque sit ritus, cum ii ab Apostolica Sede opportunam auctoritatem habeant in locis missionum, atque in Episcoporum adiumentum et levamen mittantur; neque Episcopi prohibere possunt subditos ne ad eos accedant. Sane S. Congr. de Prop. Fide die 5 decembris 1644 mandavit *moneri Patriarcham Maronitarum eum non potuisse nec debuisse in praeiudicium iurisdictionis Apostolicae Sedis, ferre excommunicationem in Maronitas, qui sacramenta recipere voluerunt a Missionariis eiusdem Sanctae Sedis et propterea teneri eam revocare et de causis, ob quas Maronitae non debent a Missionariis recipere sacramenta, Sacram Congregationem certiorem facere, quae si opus fuerit indemnitati presbyterorum providebit.* Quamvis autem Missionarii possint horum confessiones excipere, non possunt tamen a casibus Episcopo reservatis absolvere, nisi obtenta ab eodem Episcopo facultate, ut pluries ab eadem Sacra Congregatione decretum est. Ad haec: 2) Episcopus latinus, si in sua Dioecesi habeat sacerdotes graecos, vel alterius ritus orientalis, potest eos probare ac destinare ad confessiones etiam Latinorum audiendas [2]. Pari autem ratione possunt Episcopi graeci aliique orientales latinos presbyteros, si qui sint in eorum dioecesi, ad id muneris deputare.

1187. Ceterum si in dioecesi alicuius Episcopi plures sint fideles diversi ritus, licite confitentur presbyteris ab Episcopo ad confessiones audiendas approbatis, etiamsi poenitentes diversum a Confessario ritum servent. Id liquet tum ex praxi veteri usu comprobata quae Romae atque in aliis locis viget, tum ex responso Supremae Inquisitionis; ad dubium enim an sacerdotes Maronitae

[1] Const. citat. *Etsi Pastoralis.*

[2] Liquet id ex cit. Const. n. 6.

appellati ab eorum Ordinariis ad audiendas confessiones possint indifferenter audire confessiones omnium personarum cuiuscumque nationis et ritus orientalis, quae reperiuntur in illis partibus, Emi audito voto DD. Consultorum dixerunt: Maronitas non esse inquietandos [1]. Accedit etiam Decretum Congregationis Fidei Propagandae an. 1630 quo, referente Cardinali Bondino, statutum fuit *non debere latinos Episcopos prohibere subditos suos, ne confessiones faciant cum sacerdotibus Ruthenis unitis ab Ordinariis locorum approbatis, nec e contra Episcopos Ruthenos unitos subditos suos simili prohibitione ligare, ne confessarios latinos approbatos ad confitenda peccata sua adeant; nam cum Rutheni uniti, sint veri catholici, ubi ritus diversitas non repugnat, discordias et dissidia inter eos excitantes vel nutrientes introducere inconveniens et damnosum est.* Quod si alicubi plures sint Episcopi, qui in solos fideles proprii ritus iurisdictionem habent, ex. gr. si graecus graecis, syrus syriacis, maronita maronitis, et armenus Antistes armenis praesit, tunc si Episcopus facultatem presbyteris limitatam concedit ad audiendas scilicet confessiones fidelium proprii ritus, certum est eos non posse absolvere diversi ritus poenitentes; quod si limitata facultas non sit, et nulla lex adsit peculiaris vel consuetudo quae vim legis obtineat, qua, ad conservandam inter homines diversi ritus pacem, obligentur omnes proprii ritus confessarium adire; nihil impedit quominus quisque sacerdoti a proprio Episcopo approbato confiteatur.

1188. Quoad Eucharistiam quaesitum fuit an sacerdos latinus in locis graecorum et graecus in latinorum regione possit Eucharistiam iuxta loci ritum consecrare. Porro ex iis, quae de obligatione manendi in semel suscepto ritu superius diximus, facile patet non posse quemlibet alienum ritum sequi in consecratione Eucharistiae. Quod quidem confirmatur peculiaribus Ecclesiae legibus hac in re latis. Sane, praeter ea quae in Florentina Synodo decreta sunt, exstat S. Pii V Const. *Romani Pontificis* [2], et Bened. XIV

[1] Congr. S. O. die 5 dec. 1715.

[2] XIII Kal. sept. 1566.

Const. *Etsi Pastoralis*, in quibus perpetuae suspensioni a divinis subiiciuntur Presbyteri graeci latino more, et latini graeco ritu Missas et alia divina officia celebrantes vel celebrare facere praesumentes, simulque praescribitur ne latinus parochus Pyxidem in ciborio cum particulis sub specie fermentati pro communione graecorum, aut parochus graecus sub specie azymi pro communione latinorum in quocumque ecclesiae suae altari retineat, ac praecipitur ut quilibet sacerdos in suo dumtaxat ritu Eucharistiam fidelibus porrigat. Quoad fideles vero, idem Pontifex prohibet ne latini communionem sub specie fermentati a presbyteris graecis recipiant, graecis tamen laicis permittit ut, ubi propriam parochiam non habent, possint, si velint, in ecclesia latina Eucharistiam sub specie azymi a sacerdotibus latinis sumere. Quod si ad infirmum sacramentis muniendum proprii ritus sacerdos haberi nequeat, poterit alterius ritus sacerdos extremam unctionem eidem ministrare cum oleo sacro in suo ritu usitato eique Viaticum praebere. Haec vero quae pro graecis in Italia commorantibus statuta sunt, etiam de aliis intelligenda esse extra Italiam degentibus constat ex resolutione Sup. Univ. Inq. die 19 iulii 1752 edita ad dubium propositum a P. Philippo Spitaleri Abb. Ordinis S. Basilii.

1189. Heic vero abs re non erit notare quod in processionibus aliisque solemnitatibus ecclesiasticis, praecedentiae ordo servandus est inter graecos et latinos iuxta decretum S. Congr. Rituum die 6 febr. 1630, quo statuitur praecedentiam inter Episcopos latini et Episcopos graeci ritus, ceteris paribus, moderandam esse iuxta antiquitatem promotionis ad Episcopatum.

CAPUT V.

DE ECCLESIIS.

1190. Ecclesiae nomine veniunt aedes sacrae, ad quas conveniunt fideles ut ibi opera religionis exerceant.

Ecclesiarum divisio a maiori vel minori harum dignitate et iuribus profluit. Hinc si qua ecclesia nonnullis iuribus, vel saltem

honore prae alia polleat, ecclesia dependens *filialis*, alia *matrix* dicitur. Quae coetum habet clericorum, sive regularium, sive saecularium, in ea residentium, dicitur *conventualis*. Quae collegium habet Canonicorum sacras functiones in ea exercentium, dicitur *Collegiata*. Ad haec, ecclesia quae rectorem habet Parochum, dicitur *Parochialis*: in qua vero Cathedra Episcopi, et Capitulum exstat, dicitur *Cathedralis*, si is Archiepiscopus sit, *Metropolitana*, si Primas, *Primatialis*, si Patriarcha, *Patriarchalis*. Denique ecclesiae specificantur etiam ratione servitutis, qua sint affectae vel non, et distinguuntur in ecclesias *patronatas* et in ecclesias *liberas*.

1191. Porro quae sunt communia omnibus ecclesiarum speciebus revocari possunt: 1) ad earum aedificationem; 2) ad reparationem; 3) ad consecrationem et reconciliationem; 4) ad ius immunitatis; 5) ad earum supellectilia: de quibus omnibus breviter agemus.

ARTICULUS I.

De aedificandis Ecclesiis.

1192. Ad aedificationem ecclesiae quatuor requiruntur; scilicet causa iusta, consensus Episcopi, dos congrua, et ut aedificatio fiat ritu legitimo. Causa iusta est bonum spirituale fidelium. Auctoritas Episcopi huc redit, ut causam cognoscat, eos quorum interest audiat et consensum praestet. Hinc potest Episcopus prohibere, si quis absque eius consensu ecclesiam aedificat; quod si ipse irrationabiliter dissentiat, datur recursus ad superiorem auctoritatem, a qua vel adigi potest ad consentiendum, vel potest eius consensus suppleri. Quod si is non contradicat, tacite consentire praesumitur. Ceterum si vetante Episcopo, aedificata ecclesia sit, nullum in ea ius ne patronus quidem fundator adquiret, et si ecclesia ita fundata officiat legitimo iuri tertii, etiam destrui potest. Dos assignanda, Episcopi arbitrio definienda est, ac debet esse sufficiens pro conservatione aedificii, pro supellectili et ministris. Qua quidem dote deficiente, Episcopus prohibetur a sacris canonibus eam consecrare.

Denique aedificatio fieri debet ritu legitimo. Hinc antequam ecclesia extruatur, Episcopus vel eius delegatus ad locum aedificii accedens, debet crucem in loco defigere, primum lapidem iacere, et cetera exequi quae in Pontificali Romano praescripta sunt.

ARTICULUS II.

De reparandis Ecclesiis.

1193. Nomine reparationis ecclesiae non venit ipsius ampliatio, quae fieri debet ab eo, qui teneretur eam aedificare in casu, quo nulla existeret; sed eius restauratio. Doctores inhaerentes Cap. VII Sessionis XXI Conc. Trid. has regulas tradunt ad cognoscendum quinam et quo ordine teneantur ad ecclesias reparandas.

1194. Ad reparationem ecclesiae Cathedralis adiguntur gradatim: 1) Fabrica; 2) qui consuetudine tenentur; 3) Episcopus, salva tamen portione congrua; 4) Episcopi insufficientiam sublevare tenentur Canonici pro rata ex suis beneficiis, et post hos alii in illa ecclesia beneficiati; 5) clerus universus ad concurrendum adigi potest ab Episcopo cum consensu Capituli; denique 6) in subsidium tenetur contribuere populus.

1195. Si agatur de Collegiata, eadem doctrina applicanda est cum hoc discrimine quod e numero eorum demas Episcopum (dummodo aliter consuetudo non ferat) et clerum qui de Collegiata non sit.

1196. Si ecclesia sit parochialis (quod de domo etiam parochi intelligendum est), post fabricam ipsius ecclesiae, tenentur ii qui vel lege, vel consuetudine ad id obligantur, tum parochus ipse, deducta congrua sustentatione, et simul cum parocho tenentur qui pensiones vel beneficia simplicia in ea habent, denique parochiani, non per capita hominum nec per capita domorum, sed iuxta facultates singulis competentes.

1197. Si ecclesia parochialis sit patronata, etiam patronus contribuere debet in subsidium. Attamen si patronus sit fructuarius seu si fructus ab illa ecclesia percipiat, ad concurrendum adigi potest

eodem iure ac ordine, quo parochi, beneficiati, etc., concurrere debent. Si vero patronus simplex sit, qui nullos percipit fructus, cum agitur de totali reconstructione ecclesiae vel de reparatione quae novae constructioni aequivaleat, non quidem *absolute* sed *causative* ad concurrendum teneri probabilius est, seu quatenus ius patronatus retinere velit [1].

1198. Si agatur de simplici ecclesia, tenetur gradatim: 1) Fabrica; 2) qui ex legato, statuto, vel consuetudine obligantur; 3) ecclesiae rector, aliique beneficiati.

1199. Tandem si ecclesia iuri patronatus obnoxia sit, neque dote polleat, et indigeat reparatione, et utensilibus, tenetur patronus, et si post terminum eidem praefixum non reparetur, ipse vel privabitur patronatus iure, vel iuris remediis adigetur.

1200. Eadem doctrina nuper exposita locum habet etiam in cappellis ibidem sitis, nec non in altaribus, in sacra supellectili, paramentis, et ornamentis, calicibus, patenis, luminariis, aliisque utensilibus [2].

1201. Quando vero remedia iam indicata praesto non sunt, fieri locus potest ecclesiarum, sacellorum, et altarium demolitioni, ac harum ecclesiarum translationi ad ecclesias matrices, cum facultate dirutas ecclesias in profanos usus, non sordidos, convertendi, erecta tamen ibi cruce. Hac tamen in re caute procedere Episcopus debet, ne divino cultui detrimentum afferatur.

ARTICULUS III.

De consecrandis et reconciliandis Ecclesiis.

1202. Vetitum est sacra officia peragere in ecclesia, nisi primum consacretur, vel saltem benedicatur, vel reconcilietur, si fuerit polluta. Consecratio iure ordinario fit ab Episcopo, non vero a pre-

[1] Cfr. S. C. Conc. in Caus. agit. 27 iul. 1861, et S. C. Epp. et RR. in *Bononien.* 15 iunii 1855.

[2] S. C. Conc. in *Castellaneten.* Expens. 24 iulii 1858.

sbytero, nisi ex privilegio Summi Pontificis. Ecclesiae benedictio etiam presbyteris ab Episcopo committi potest [1].

1203. Porro consecratio semel facta numquam iteratur, nisi ecclesia exsecrata sit, vel de eius consecratione dubitetur; praesumitur autem consecrata, si id constet ex instrumento dotationis illius, vel ex tabula aliqua marmorea, aut ex crucibus in pariete depictis; sufficit etiam si unus adsit testis asserens se vidisse, vel audivisse dictam ecclesiam fuisse consecratam.

1204. Ecclesia consecrata potest exsecrari vel pollui. Exsecratur parietibus, vel tectorio, maiori ex parte collapsis, aut abrasis, vel exustis, non item si, illaesis parietibus, fornix vel pavimentum deciderint nec si partes ecclesiae successive reparentur, etiamsi ob eiusmodi reparationes nulla pars de priori aedificio supersit. Item dicendum videtur si interior crusta per partes minores reficiatur paulatim tota, vel si ecclesia amplificetur, ita tamen ut pars nova sit minor, tunc enim sufficit ut nova pars aqua lustrali adspergatur.

1205. Polluitur ecclesia per aliqua crimina in iure expressa, scilicet: 1) *iniuriosa, voluntaria et graviter peccaminosa humani sanguinis effusione in ecclesia causata;* 2) *voluntario et iniurioso homicidio sui ipsius vel alterius etiam, licet non moriatur is in ecclesia;* 3) *criminosa et voluntaria humani seminis effusione in illa facta;* 4) *excommunicati vitandi vel infidelis sepultura,* adeoque nec haeretici, etsi excommunicati, nec interdicti, etsi vitandi nisi fuerint nominatim denuntiati. Infidelium autem appellatione non contineri catechumenos, communior sententia est, nec infantes ex christianis parentibus nati, mortui sine baptismo.

1206. Porro si ecclesia polluatur, ibi immolare vel divina officia peragere est nefas, quin prius reconcilietur [2]. Haec reconciliatio, si ecclesia est consecrata, fieri debet ab Episcopo; si tantum benedicta, a sacerdote fieri potest. Verum si polluta fuerit per in-

[1] Bened. XIV, Const. *Ex tuis* 16 nov. 1748.

[2] Si in transitu exercitus milites in aliqua ecclesia per biduum degerint, haec reconcilianda est ad cautelam. Pius VII 3 martii 1821, S. Rit. Congr. 27 febr. 1847.

fidelis sepulturam aut excommunicati vitandi, in primis cadaver effodiendum est, si potest discerni.

1207. Polluta ecclesia, polluitur etiam coemeterium adiacens, non vero polluto coemeterio polluitur ecclesia. Reconciliata vero ecclesia, coemeterium quoque ei contiguum ipso iure reconciliatum intelligitur. Benedicta ecclesia exsecratur, cum tota corruerit.

1208. Non solum ecclesiae, sed et altaria consecrari possunt. Consecrationis altaris ritus in Pontificali Romano prostat, et substantialia sunt unctio olei sacri et sepulchrum reliquiarum. Ordinarius minister huius consecrationis Episcopus est, extraordinarius potest esse presbyter vel Abbas ex privilegio apostolico.

1209. Potest autem consecrari altare etiam in ecclesia tantummodo benedicta, quin prius ipsa ecclesia consacretur [1].

1210. Consecratio altaris, prout de ecclesiis diximus, iterari non potest, nisi eius exsecratio praecesserit, vel nisi agatur de iteratione improprie dicta, ex. gr. si nequeat probari fuisse consecratum. Porro exsecratio locum habet: 1) si mensa superior sive lapis a basi, seu inferiori structura, cui est adnexa, amoveatur; 2) si sepulchrum, ubi iacent reliquiae Sanctorum, aperiatur vel frangatur, vel si lapis pro sigillo sepulchri reliquiarum inserviens, amplius sepulchro non inhaereat [2], vel reliquiae amoventur, quo in casu non sufficit iterum eas deponere in sepulchro [3]. Denique 3) si ipsa mensa per medium frangatur vel ita frangatur in cornuis, ut nullo altaris loco integre Calix cum patena secundum maioris sui partem consistere possit. Non obstat vero consecrationi fractura in uno vel altero cornu, nisi forte cornu illud fuerit avulsum [4].

1211. In eadem ecclesia duo altaria vel cappellas eidem Sancto non licet nuncupare, praeterquam B. M. Virgini et D. N. I. C. [5].

[1] S. Rit. Congr. in *Molinen.* 12 sept. 1857.

[2] S. C. Conc. in *Newporten.* 14 martii 1861.

[3] S. C. R. 22 sept. 1848.

[4] S. R. C. 3 martii 1821, 6 oct. 1837.

[5] S. C. Epp. et Reg. 30 iulii 1874.

1212. Sunt altaria privilegiata pro defunctis; et haec vel localia sunt vel personalia: localia fixa esse debent [1]. Altare duplici modo fixum dicitur; sensu canonico, quando illius structura (sive lignea sive lapidea) parieti, columnae, aut pavimento immobiliter adhaeret sive eius mensa sit tota lapidea, sive tantum lignea cum lapide portatili ligneae mensae imposito. Fixum sensu liturgico, quando lapis, altaris superficiem tegens, lapideae structurae inferiori coniungitur ac cum ea unum totum efficit, sive inferior haec structura omni ex parte obstruatur, sive tabula lapidea ab anteriori ex. gr. parte columnis, quae stipitis locum habent, innitatur, modo ipsa tabula lapidea omni ex parte stipiti adhaereat. Porro indultum locale altaris privilegiati, nisi aliter a S. Sede fuerit concessum requirit altare priori modo seu sensu canonico fixum, indultum tamen personale altaris privilegiati quale datur in Form. Sac. Congr. Fid. Prop. Art. 20 illud non requirit [2]. In eadem Form. n. 8 datur facultas Episcopis declarandi privilegiatum in qualibet ecclesia suae dioecesis unum altare, dummodo aliud non sit privilegiatum. Quoad hanc facultatem placet notare: quod 1) ipse Episcopus altare cui privilegium annecti vult designare debet, nec Missionario eam designationem relinquere potest. 2) Manet privilegium, si altare sub eadem tamen invocatione, de novo aedificatum sit in alio quidem loco, sed in eadem ecclesia; non vero si ecclesia destructa sub alio titulo eodem in loco aedificetur; manet etiam si altare alii vel aliis sanctis simul deinceps dedicetur [3]. 3) Requiritur ut aliud privilegiatum non adsit, id est aliud intuitu parochiae seu congregationis iam antea concessum, siquidem praeexistentia altaris privilegiati certo personarum coetui ex. gr. alicui confraternitati concessi, non obstet concessioni alterius similis privilegii indefinite pro omnibus concessi [4]. 4) Hoc altare censendum est privilegiatum perpetuum,

[1] S. R. Congr. 17 febr. 1843.

[2] Decr. auth. S. C. Indulg. n. 795.

[3] Cf. Decr. auth. S. C. Indulg. n. 193, 334, 84, 43, 324, 148.

[4] S. C. Indulg. ibid. 134.

licet facultates Episcopis dentur ad septennium [1]. Porro Clemens XIII omnibus ecclesiis parochialibus, abbatialibus et Collegiatis concessit altare privilegiatum quotidianum ad septennium (revocatis omnibus aliis altaribus privilegiatis) prorogandum sub unico Brevi ad petitionem Ordinariorum. Duo autem huiusmodi altaria privilegiata in eadem Ecclesia regulariter esse non possunt. Quamobrem si quae uno gaudeat, atque eo durante aliud impetretur, illo reticito, rescriptum nihil valet. Ceterum hoc privilegium altari conceditur, non lapidi consecrato, ideo hoc amoto et alio substituto, altare privilegiatum remanet [2], illudque ecclesia quoque dilapsa, si postea restituta fuerit, reviviscit [3]. Altare autem privilegiatum personale illud est quod aliquibus sacerdotibus conceditur ubivis celebrantibus.

1213. Utrumque privilegium eo spectat ut liberari anima a purgatorio statim possit, si divina misericordia acceptum tulerit per indulgentiam sive illi sive huic adnexam [4]. Atque ideo etiam citra applicationem missae [5]. Anima vero ex mente concedentis una dumtaxat [6], nempe ea quae vel designata est, vel divinae miserationi eligenda remittitur, vel (si de nulla omnino cogitatum sit) quae Deo placuerit [7]. Sed ut indulgentia obtineri valeat, dicenda est missa defunctorum ex decreto Innoc. XI, adeoque in paramentis nigris vel saltem ex rationabili causa violaceis [8], nisi celebranda sit missa votiva, ex gr. in expositione Sanctissimi Sacramenti, vel de feria [9], vel occurrat festum duplex [10].

[1] Sup. Univ. Inq. ad dub. 9 die 2 iul. 1884.
[2] S. Rit. Congr. 15 dec. 1841.
[3] S. C. Ind. 30 aug. 1847.
[4] S. Rit. Congr. 28 iulii 1840.
[5] S. C. Ind. 31 ian. 1848.
[6] S. Rit. Congr. 29 febr. 1864.
[7] S. Rit. Congr. 19 iunii 1880.
[8] S. Rit. Congr. 16 febr. 1652.
[9] S. Rit. Congr. 11 apr. 1864.
[10] S. Rit. Congr. 22 iun. 1848.

ARTICULUS IV.

De immunitate Ecclesiarum.

1214. Ecclesiarum immunitas est libertas illis competens ab iis omnibus, quae sanctitati loci minime decent. Duo ius immunitatis importat: 1) ne in ecclesiis profana exerceantur, ex. gr. iudicia saecularia, negotiatio aut venditio (initi tamen contractus valent), conciones civiles, publica comitia, conventus societatum, seu collegiorum saecularium, convivia, cantus lascivi etc.; 2) ne violetur asyli ius. Iura autem asyli sunt: *a*) ne qui ad ecclesias vel pia loca confugiunt, inde extrahi vi possint; *b*) ne alii prohibeantur eis deferre quae ad vitam sunt necessaria; *c*) ne quis effugium his intercludat. Porro ecclesiasticum asylum violare iubentes aut ausu temerario violantes, incidunt ipso facto in excommunicationem Romano Pontifici reservatam. Hanc vero censuram incurrit qui et vi fecerit et ausu temerario, id est sciens prudens, nec ab aliis coactus [1].

ARTICULUS V.

De sacris vestibus et vasis ceterisque ad Ecclesiam pertinentibus.

1215. Sacram supellectilem constituunt sacra indumenta sacerdotum et ministrorum, vasa, quae adhibentur in re divina peragenda [2], et omnia ecclesiae instrumenta. Iamvero alia ex iis sacro cultui addicuntur per consecrationem, quae fit unctione sacri chrismatis, ut sunt calices, patenae, campanae etc. Alia addicuntur cultui per benedictionem, ut sunt vestes sacrae, quibus in sacrificio utimur, lintea altaris etc.

[1] S. Univ. Inq. 1 febr. 1871.

[2] Contrectatio horum vasorum permitti debet tantum clericis saltem tonsuratis, non vero laicis; et quamvis adsint decreta, quae etiam conversis laicis religiosis contactum prohibent, tamen ex consuetudine contrarium tolleratur.

1216. Minister consecrationis et benedictionis est Episcopus, et Abbates pro suis ecclesiis, si habeant privilegium consecrandi altaria; pro aliis ecclesiis possunt Abbates id peragere de licentia Episcopi.

1217. Consecratio amittitur a calice vel patena per talem fractionem, quae iis tollat vel usum, vel formam; hinc non exsecratur calix, si separetur a pede, siquidem hic tornatilis sit, secus verius, si hic adferruminatus vel adplumbatus fuerit, neque per simplicem amissionem deaurationis, sed si calix vel patena fuerint denuo deaurata, indigent nova consecratione [1].

1218. Exsecratur etiam si ab haereticis profano usui, v. gr. ad bibendum in mensa, adhibitus fuerit [2].

1219. Quae immediate tangunt species consecratas, regulariter sub gravi benedicendae sunt.

1220. Per simplicem benedictionem cultui dedicantur sacra paramenta, tobaleae, corporalia, tabernaculum, crux et imagines. Simplices sacerdotes possunt ad hanc delegari ab Episcopo, si hic veniam delegandi a Pontifice obtinuerit. Sacra indumenta exsecrantur cum usui proprio idonea esse desierint, seu detrita sint, seu formam amiserint, ex. gr. si ex planeta stola fiat, ex corporali palla, ita si manica ex alba fuerit abscissa, licet mox iterum assuenda. Ceterum si planetae benedictae assuatur fragmentum, non amittit benedictionem, ea enim rei profanae minoris qualitatis admixtione vel accessione res sacra non desinit esse.

1221. Quoad sacras vestes Ecclesia varios colores induxit, qui diversis anni solemnitatibus aptantur. Rubrica Missalis ritus latini quinque colores enumerat, scilicet album, rubrum, violaceum, viridem et nigrum. Color flavus non recensetur in rubrica. Sic paramenta confecta cum variis coloribus, floribusque intexta ita ut vix cognoscatur color primarius et praedominans usurpari nequeunt, mixtim saltem pro colore albo, rubro et viridi [3]. Attamen pro locis

[1] S. Rit. Congr. 14 ian. 1845.

[2] Congr. S. Off. 1674.

[3] S. Rit. Congr. 22 sept. 1737.

missionum in quibus sacerdotes secum deferre debent sacra indumenta, indultum est a Summo Pontifice ut pro his tribus coloribus adhiberi possit unica planeta ex iisdem constans.

1222. Non licet ad celebrandam missam ornamentis uti, quorum textura vitrea est mixta aureo vel argento [1]. Paramenta coloris aurei, nisi sint ex auro contexta, inservire non possunt pro coloribus albo, viridi, et rubro [2].

1223. Quoad formam paramentorum, notandum est a saeculo XVI fuisse relictum stylum goticum, proindeque eadem perdurante disciplina, nec non S. Sede incosulta, nihil innovari potest.

ARTICULUS VI.

De Cappellis et Oratoriis.

1224. Praeter templa sive ecclesias quotidiano ac fere perpetuo sacrorum usu celebratas, sacris iisdem dicatae sunt aliae quoque aedes quae Oratoria et Cappellae vocantur, quorum quaedam sunt publica, alia vero privata ac domestica.

1225. Publica sunt, quorum ianua publicae adiacet viae vel ea quae auctoritate Ordinarii sacris obeundis addicta sunt, quamvis intra privatorum aedes posita sint, si vel consecrata fuerint, vel tantum in titulum beneficii ecclesiastici fuerint erecta [3]. Verum haec si antiqua sint, extra domum (immissa ubi fieri potest ianua in viam publicam) transferenda sunt, nova autem erigenda non sunt [4].

1226. Privata sunt, quae in privatis domibus, et intra domesticos parietes, vel in privato solo absque licentia et approbatione Episcopi a quovis possunt construi. Aedicula, ubi altare constituitur, ab Ordinario sive ab eius delegato, antequam ibi de licentia apo-

[1] S. Rit. Congr. in *Atrebaten.* 11 sept. 1847.

[2] S. Rit. Congr. 29 martii 1851 *in Adrien.*

[3] S. C. Conc. in *Compsana* 31 maii 1704; GATTICUS *De Orat.* lib. 3, c. 16, n. 1.

[4] S. C. Conc. 23 iulii 1616.

stolica sacrum fiat, erit inspicienda ac probanda, et hoc ipsum necessarium est quoties qui privilegio fruitur aliam domum incolere instituat vel de una domus, quam incolit, cella velit in aliam altare transferre.

1227. Plerumque immolandi facultas ibi non est, nisi semel in die, item neque die quacumque. Nam dominicis Paschatis et Pentecostes, diebus Nativitatis, Epiphaniae et Ascensionis D. N. I. C., die festo SS. Corporis Christi, diebus Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., diebus festis omnium Sanctorum, Nativitatis S. Iohannis Baptistae, SS. Petri et Pauli et Patroni loci, sacrum in his sacellis faciendi copia dari non consuevit. Sacerdos ergo in Oratoriis privatis sacrificare rogatus, quid ipse possit quidve non, diligenter expendat. Si cui vero concessum sit missam etiam diebus exceptis ibidem audire, tunc Sacerdoti in die Natali Domini tres missas ibi celebrare integrum erit [1].

1228. Porro: 1) Oratoria privata non habent ius asyli. 2) Ab Episcopo visitari non possunt, quemadmodum publica, ut videat an honeste teneantur, et cum decentia. Poterit autem Episcopus visitare privata in casu, quo praecederet accusatio, aut denuntiatio, vel publica fama quod Oratorium indecenter teneatur. 3) In privatis Oratoriis non possunt publice haberi et pulsari campanae, bene vero in publicis. 4) Privata nequeunt habere ianuam in via publica. 5) In publicis possunt celebrari missae statim ac ab Episcopo publico cultui sint canonico ritu erecta; in privatis vero non possunt nisi de indulto Apostolico. Nec licet Episcopis hanc licentiam elargiri; ea enim reservata est Romano Pontifici [2]. Neque possunt Episcopi eam concedere pro actu quidem transeunte [3]. S. Concilii Congr. recens Episcopis hanc facultatem adseruit, si magnae et urgentes vere adsint causae, idque per modum actus tantummodo [4]. Episco-

[1] S. C. Conc. 13 ian. 1725.

[2] Ex litteris encyclicis Pauli V, 10 martii 1615, quas ultimo confirmavit Bened. XIV, Const. *Magno cum animi* 2 iun. 1751.

[3] S. C. Conc. in *Monasterien.* 23 iun. 1847.

[4] S. C. Conc. in *Calatayeronen.* Orat. priv. 20 dec. 1833.

pus autem non indiget indulto Apostolico pro concedenda licentia sacrum peragendi in Oratoriis seu Cappellis erectis in domibus piorum locorum publicorum, ut sunt hospitalia, orphanotrophia, carceres, spiritualium exercitiorum domus et similia [1].

1229. Poenitentiam et Eucharistiam in hisce locis ministrare nemini licet, nisi ex peculiari Ordinarii licentia. Parochus in casu quo sacrum viaticum difficillime deferri ad periculose decumbentem videat, nisi celebret in Oratorio domestico, indulto Apostolico erecto, domui infirmi proximo, potest ab illo Oratorio SS. Sacramentum deferre, et in tali casu poterit etiam celebrare indultario absente [2]. Ita dicendum de collatione Baptismi ac benedictione nuptiarum.

1230. Ceterum in Oratoriis etiam publicis servari SS. Sacramentum non potest absque indulto Apostolico. Indultum asservandi SS. Sacramentum in Oratoriis privatis Ordinum vel Institutorum religiosorum non conceditur, nisi 12 sint in domo personae et in locis missionum saltem sex. Circa ecclesiasticas functiones Parochus nullam habet auctoritatem in Oratoriis publicis, reservantur tamen eidem benedictio mulieris, benedictio fontis baptismalis, officium super cadaver defuncti, qui sit ei subiectus; nec rectores horum Oratoriorum processiones agere possunt extra ambitum ecclesiae, et si velint eas agere intra ambitum, debent petere licentiam Parochi, a quo et licentia deferendi stolam accipienda est.

1231. Superest inquirendum, an audientes sacrum in Oratoriis privatis satisfaciant Ecclesiae praecepto. Quaestio examinatur accurate a Monacelli [3], a quo referuntur ordinariae clausulae, quae in indultis Oratorii privati adnectuntur. Iamvero quoad has sufficiat notasse, quod cum in Indulto haec sint verba « in tua, ac familiae praesentia » clausula intelligitur de familia agnatitia et consanguinea illius cui indultum conceditur, quae in eadem domo remanet, et eiusdem est commensalis, non vero de servili. Ideo non

[1] S. C. Conc. in *Monasterien.* 5 apr. 1851.

[2] S. Rit. C. in *Veronen.* 27 aug. 1836.

[3] *Form.* parte 2, form. 12, tit. 12, n. 32.

gaudent privilegio omnes familiares indultarii, sed ii solum, qui in actu celebrationis missae servitio domini sunt necessarii.

1232. Mutans habitationem intra eamdem civitatem, vel etiam extra dioecesim, privilegio Oratorii privati prius obtenti uti potest, quinimmo privilegiatus potest uti Oratorio etiam dum ruri manet; sed interim non potest eo uti quod est in civitate, quia privilegium est restrictum ad solitam habitationem. Verum in similibus immutationibus necesse semper est, ut Episcopus locum recognoscat, ac de illius decentia iudicium proferat. Fruens privilegio oratorii privati, nequit illud erigere in diversoriis publicis (vulgo hôtel).

1233. Indultum Oratorii privati non expirat morte Pontificis concedentis, sed eius cui concessum est.

CAPUT VI.

DE MONASTERIIS.

1234. Monasterium proprie acceptum, est locus, ubi homines solitariam vitam degunt, idest procul ab urbibus, hominumque frequentia, vitam ibidem agentes communem ad cuiusdam piae regulae praescriptum. Hinc usitato sermone *Monasterium, Coenobium* et *Conventus* promiscue usurpantur.

1235. Porro Conventus, seu Monasterium aut est religiosorum, et religiosarum vota simplicia vel solemnia paupertatis, obedientiae et castitatis emittentium, aut est clericorum vel mulierum in communi viventium sub aliqua pia regula absque voto.

1236. Ad canonicam erectionem Monasteriorum virorum observandae sunt Constitutiones Innocentii X *Instaurandae*, Urbani VIII *Romanus Pontifex*, Clementis VIII *Quoniam ad institutam*, 23 iulii 1602, Gregorii XV *Cum alias*, ex quibus requiritur: 1) Beneplacitum Apostolicum; 2) venia Ordinarii, sufficit etiam ratihabitio post erectionem. Si iniuste haec facultas denegetur, recurri potest ad Sedem Apostolicam in *devolutivo* [1]. 3) Requiritur, ut Con-

[1] Leo XIII, Const. *Romanos Pontifices*, § *Cum res.*

ventus sufficientes redditus habeant sustentationi religiosorum, sive provenientes ex bonis propriis, sive ex consuetis fidelium eleemosynis. 4) Requiritur sufficiens religiosorum numerus; siquidem ut domus regularis rite constituta censeatur, et ut gaudeat privilegio exemptionis, duodecim vel saltem sex religiosi ibi sint oportet. Sunt autem casus, in quibus minor numerus sufficit. Cf. quae supra diximus. 5) Requiritur Parochi, et Regularium qui sunt intra quatuor milliaria, consensus; ideo quod conventus fundatione, detrimentum inferri potest vel iuribus Parochiae, vel Regularium praeexistentium sustentationi; eorum tamen consensus suppleri potest, si iniuste denegetur, vel minime requirendus est, si certo constet nullum ex nova erectione detrimentum iis obventurum.

1237. Haec si agatur de erectione proprie dicta, talis enim non censetur, si monasterium non fuerit plane desertum et restauretur, vel si transferatur in alium situm eiusdem loci.

1238. Quoad monasteria monialium requiritur venia Ordinarii et sufficiens redditus.

1239. Eadem requisita non exiguntur in fundandis hospitiis regularium, vel domibus congregationis Clericorum saecularium.

1240. Conventus vel Monasterium clausurae legi subiicitur, de qua confer ea, quae superius exposuimus *de Regularibus*.

CAPUT VII.

DE HOSPITALIBUS.

1241. Hospitalis nomen generale est pertinens ad omnem hospitalitatis speciem, cuiuscumque generis ea sit. Hinc est quoddam hospitalis genus quod dicitur xenodochium, ubi peregrini gratis recipiuntur, item nosocomium, in quo aegroti curantur. Brephotrophium autem est locus ubi infantes aluntur et educantur, procotrophium dicitur locus, in quo pauperes aluntur, orphanotrophium ubi orphani recipiuntur, etc.

1242. Porro hospitalia alia sunt *laicalia* alia *ecclesiastica*. Laicalia, si erecta sint absque auctoritate Episcopi, ecclesiastica quae Episcopi auctoritate sunt fundata. Piis locis ecclesiasticis competunt quaedam privilegia immunitatis, sepeliendi, administrandi sacramenta, quae non competunt hospitalibus laicis, excepta electione fori, omnibusque aliis privilegiis, quae a iure causis piis conceduntur.

1243. Porro omnes eiusmodi domorum praesides et administri constitutiones ad piorum locorum regimen atque administrationem pertinentes omnino servent, utque serventur efficiant, quemadmodum in Conciliis Viennensi ac Tridentino [1] sancitum est.

1244. Praeterea in bonis hospitalium ecclesiasticorum alienandis adhiberi debent solemnitates requisitae in alienatione bonorum ecclesiasticorum, secus in bonis laicalium alienandis. Ceterum quaevis pia loca, sive laicalia sint, sive ecclesiastica, quamvis exemptionis privilegio gaudeant, exceptis iis, quae sub regum immediata protectione sunt, quibusque regia protectio in limine fundationis accessit [2], subsunt iurisdictioni Episcopi: 1) in eo quod Episcopi possunt ea visitare in iis omnibus, quae Dei cultum et animarum salutem respiciunt; 2) in eo, quod ratio administrationis singulis annis debet reddi Episcopo tum in visitatione, tum extra eam, aliqua de causa, licet in adversum sint consuetudines et privilegia [3]; et si ex particulari consuetudine vel privilegio ratio reddenda est aliis, una cum iis adhiberi oportet Episcopus, et liberatio aliter facta administratoribus, nihil proderit; imo possunt Ordinarii rationum redditionem exigere, etiamsi testator seu fundator id expresse prohibuerit, et etiamsi disposuisset quod legatum sit nullum, quando

[1] Sess. VII, Cap. XV, *de Ref.*

[2] Si dubitatur an locus pius sub regia potestate sit, cognitio ac definitio causae ad Episcopum pertinet. Cf. MARTA *de iurisd.* part. 2, c. 18, n. 5.

[3] Loca pia privata ad privatos pertinentia ab Episcopo visitari possunt in casibus a iure concessis, nisi Episcopus in fundatione expresse fuerit exclusus, quae exclusio ad rationum redditionem non extenditur. Unde amplior est circa haec loca Episcoporum potestas in rationum redditione, quam in visitatione.

Episcopus se ei immisceret et rationem exquireret ab executore et administratore; 3) in eo, ut Episcopi possint coercere delinquentes suis legibus, abusus tollere, bonum promovere, et deficientibus personis, quae sunt pii loci obiectum, possit eius bona in alium pium usum convertere, qui eius institutionis proprius sit.

CAPUT VIII.

DE SEPULTURIS ET COEMETERIIS.

1245. Sacer omnino esse debet locus in quo conduntur eorum corpora, qui sunt in fidelium communione defuncti, ita ut si quis in loco profano sepulturam elegit, eius electio tamquam irrationabilis respuatur.

1246. Is locus ex antiqua Ecclesiae consuetudine est coemeterium, quae consuetudo ubi viget est conservanda, atque ubi fieri potest restituenda. Itaque ubi nulla sunt coemeteria, christiani in suis ecclesiis sepeliantur. Iure novissimo, licet cuique construere et eligere sepulturam in quovis loco religioso. Verum si novum sepulchrum extrui debet in ecclesiis saecularibus, requiritur Ordinarii licentia in scriptis, praeter consensum Rectoris vel Patroni. In ecclesiis vero Regularium, illa Provincialis. In ecclesiis Monialium licentia Sacrae Congregationis simulque earum consensus. Sepultura vero tribus ab altari cubitis distare debet.

1247. Cum igitur modo fidelis in quavis ecclesia possit sepeliri, ordo postulat, ut defunctus sepeliatur in ecclesia, quam elegit, ac electio probatur sive per testamentum, sive per scripturam manu propria subscriptam, sive per duos testes, vel per solum dictum confessarii. At sepulturae electio negatur impuberibus, quibus ante eorum obitum pater poterit eam eligere, vel mortuo patre mater, secus in ecclesia parochiali vel in sepulchris maiorum tumulandi sunt. Praeterea negatur regularibus professis, nisi forte a proprio monasterio tam longe distent, ut nequeant commode ad illud transferri. Si absque electione sepulturae quis decesserit, humandus est

in sepulchro suorum maiorum, et si duo habeat, alterum hereditarium, alterum familiare [1], hoc praefertur. Si defunctus careat maiorum sepulchro, vel nequeat illuc deferri, sepeliendus est in sua parochia, in qua decedens domicilium vel quasi domicilium iam acquisierat. Si aedes habeat in confinio duarum paroeciarum, in ea sepeliendus, in qua aditus aedibus patet; et si in utraque patet in ea in qua principalior existit, licet alibi mortuus sit et etiam in aliquo monasterio; et si nequit ad eam deferri, sepeliendus erit in parochia, ubi decedit. Denique Canonici, omnesque beneficia residentialia habentes, si decedant, sepultura non electa, et careant sepulchro maiorum, sepeliendi sunt in ecclesia beneficii residentialis.

1248. In praesens vero cum ubique coemeteria communia adsint, nonnulla quoad haec notanda sunt. Et in primis animadvertendum est ex regula generali non licere, mixtim sepelire catholicos cum haereticis, schismaticis et infidelibus, esset enim communicatio in divinis, et mandantes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos, excommunicatos et interdictos, excommunicantur.

1249. In casu vero necessitatis catholici omnino passive se habere debent. Hinc si haereticus velit tumulari in coemeterio catholico, numquam licet active huiusmodi tumulationi cooperari.

1250. Ubi vero ex lege parochus adesse debet tumulationi haereticorum, assistet non tamquam minister ecclesiasticus cum sacerdotalibus vestibus, sed solum tamquam publicus officialis. Pariter si catholicus velit humari in coemeterio haeretico, non licet id positive et active permittere: et si parentes in loco haeretico humari consanguineum velint, parochus, expletis suffragiis, relinquere ca-

[1] Sepulchrum vel familiare est (gentilitium), vel hereditarium. Familiare, quod quis constituit sibi et familiae suae; hereditarium, quod sibi et heredibus. Sepulchrum, quod quis *sibi* et *suis consanguineis* aut *sibi* et *parentibus suis* constituit, familiare est et competit omnibus agnatis et cognatis, De Luca *de iurep.* disc. 28, n. 4, non item affinibus, S. Congr. Epp. et RR. 30 aug. 1878.

Ius sepulchri in Ecclesia constitui non potest sine licentia Ordinarii. Constitutum in coemeteriis, in bonis est atque adeo in alios transferri potest et, familia extincta, fit hereditarium. Non ita constitutum in ecclesia. S. C. Conc. 17 sept. 1867.

daver deberet. Quod si unum sit coemeterium, et lex civilis ibi indiscriminatim omnes tumulari iubeat, servanda sunt ea quae in sequenti Instructione continentur S. C. Fid. Prop. data ad Episcopum Rosensem die 16 apr. 1862: « I. Studium omne in id conferet ut catholici proprium coemeterium et a coemeterio acatholicorum separatum habeant. II. Quod si rerum adiuncta id minime sinant, catholicique adigantur corpora fidelium defunctorum in coemeterio protestantium sepulturae dare, curet saltem ut in eodem distinctus ac separatus constituatur locus pro catholicorum sepultura. III. Demum si nec impetrari id possit, prout etiam quoadusque id assequi datum non fuerit, quoties catholicum humari contigerit, benedictione prius lustrari debet locus, quo sepulturae traditur ».

1251. Superest inquirere, quinam privandi sint sepultura ecclesiastica. Porro quidam ea privantur ratione censurae, quidam ratione delicti. Ratione censurae, regula iuris est, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis. Porro speciatim ea privantur: 1) omnes non baptizati; 2) haeretici, eorum fautores, defensores, receptatores, et haeretici quidem vel tantum notorii [1], schismatici vero, ut olim, si fuerint vitandi; 3) nominatim interdicti, et excommunicati, verum si contriti decesserint, possunt (absolutis prius eorum cadaveribus ab iis, qui potuissent eos vivos absolvere) sepeliri in loco sacro. Ratione delicti, ea privantur, qui sine poenitentia in manifesto peccato mortali decedunt [2], seu: 1) publici peccatores, ex. gr. blasphemi, raptores, meretrices, usurarii; 2) qui sibi mortem consciverunt. Quoad hos tamen parochi et missionarii in singulis casibus recurrere debent, si fieri potest, ad Ordinarium loci. Ceterum regula est, non licere dare ecclesiasticam sepulturam seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania id acciderit), nisi ante mortem, signa dederint poenitentiae. Hinc quando certo constat de iracundia vel

[1] Const. *Apostolicae Sedis.*

[2] Dicitur *manifesto peccato,* ad quod opus est 1) ut de peccato dubitari non possit, nec quoad factum neque quoad intentionem facientis; 2) ut peccatum sit publicum; 3) ut absque ullo contritionis signo obierint.

desperatione, negari debet ecclesiastica sepultura, et vitari debent pompae et solemnitates exequiarum; quando certo constat de insania, danda est ecclesiastica sepultura cum solemnitatibus exequiarum; quando tamen dubium superest utrum mortem quis sibi dederit per desperationem aut per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exequiarum [1]. 3) Decedentes in torneamentis, quae mortis periculum habent, vel in duello, sive ibi perierint, sive procul a loco certaminis, vulnere tamen in eo accepto, idque, licet absolutionem a peccatis et censuris obtinuerint. Tandem 4) regulares utriusque sexus proprietarii, idest mortui cum peculio, quod proprio nomine, absque Superioris licentia, et non custodiae causa retinebant.

1252. Si ecclesiastica sepultura negari non potest sine gravi incommodo, lethali aut omni culpa caret mortuum efferre ritu catholico eique solemnia funerum solvere, dummodo haec non extorqueantur in contemptum Ecclesiae et dummodo defunctus non efferatur signis massonicis feretro aut vexillis appositis [2].

1253. Quoad vero cremationem, propositis dubiis I. An licitum sit nomen dare societatibus quibus propositum est promovere usum comburendi hominum cadavera? II. An licitum sit mandare ut sua aliorumve cadavera comburantur? Emi PP. Sup. Univ. Inq. fer. IV 19 maii 1886 responderunt: Ad 1^{m} negative, et si agatur de societatibus massonicae sectae filiabus, incurri poenas contra hanc latas. Ad 2^{m} negative. Quam quidem solutionem probavit Leo XIII.

1254. Quoad iura Parochorum in funeribus exequendis recolantur ea quae diximus in Art. IV, § 4.

[1] C. S. Off. 16 maii 1866.

[2] Pius IX *ad Archiep. Parisiens.* 26 octobris 1865.

CAPUT IX.

DE SEMINARIIS.

1255. Inter praecipuas Ordinariorum curas, eas ceteras alias excellere debet, quae cleri institutionem respicit. Hinc maxime eisdem commendatur, ut Seminarium, idest Collegium in quo Clerici ad scientias ecclesiasticas et ad christianam pietatem informentur, instituant. Porro ex praescriptis a Concilio Tridentino in qualibet dioecesi erigi Seminarium debet. Si vero dioecesis adeo pauper sit, ut pecunia necessaria careat ad alimentum alumnorum, per Synodum provincialem erigi duo vel unum in provincia, et aliae Ecclesiae concurrere ad expensas debent. Porro locus ad erectionem Seminarii aptior ille est, qui prope Cathedralem situs est, nisi alius opportunior Ordinario videatur. Nequit tamen erigi in aedibus canonicorum, nisi eorumdem accedat consensus, et nisi ita separatum existat, ut presbyteri vel clerici externi nullam cum Seminarii alumnis communicationem habeant. Ceterum arbitrio Episcopi relinquitur, unum vel plura Seminaria erigere, et si dioecesis constet pluribus Ecclesiis cathedralibus aeque principaliter unitis, in singulis erigendum erit Seminarium. Si tamen prorsus deficiat omne subsidium, quo Seminarium rite aperiri queat, praeter ea, quae Conc. Trid. [1] statuit, potest Seminariorum defectui suppleri per ea quae tradit Bened. XIV [2], videlicet, ut aliqua in civitate, ac respective in dioecesi, designetur ecclesia, sive Oratorium, quo omnibus saltem diebus dominicis convenire teneantur omnes et singuli, qui in clerum adscribi, aut ad minores maioresque ordines promoveri cupiunt, ibique duabus ad minus in singulos menses vicibus, sacramentali confessione praemissa, sacram Eucharistiam sumere debeant; huiusmodi autem conventuum sive congregationum moderatores et directores constituantur idonei, et probi sacerdotes.

1256. Circa Seminarii dotationem deputati eiusdem, si haec dotatio non existat, taxationem imponere debent: 1) mensae epi-

[1] Cap. XVIII, Sess. XXIII *de Reform.*

[2] *De Synod. dioeces.* lib. 11, cap. 2.

scopali, Capitulis, beneficiis ecclesiasticis, licet iuris patronatus et exemptis. 2) Si haec sufficiens non sit, ius habet Episcopus uniendi Seminario aliqua beneficia simplicia, etiamsi fuerint reservata, vel affecta, dummodo haec unio non cedat in detrimentum cultus divini, et dummodo Seminarium sit erectum, et formiter institutum. Ad hoc autem, ut Seminarium ad hunc effectum censeatur iam erectum, sufficit quod domus iam sit conducta, seu empta, et pueri sint introducti, et sint duo de Capitulo, et totidem de clero députati.

1257. Non sufficit autem pro beneficiorum unione facienda causa commodioris sustentationis, sed requiritur vera Seminarii necessitas. Ad haec requiritur quod praecesserit detractio fructuum de mensa episcopali, et de aliis beneficiis. Quamvis autem possit, imo teneatur Episcopus unire Seminario beneficia aliquot simplicia, non potest tamen unire beneficia simplicia iurispatronatus sive laicalis sive ecclesiastici, vel alia pertinentia ad inferiorem collatorem, et electorem sine consensu patronorum. Neque Seminario uniri possunt beneficia reservata post vacationem, sed ante vacationem ea uniri debent, nec canonicatus collegiatarum, nec beneficia curata, vel regularia. Denique non valeret omnium universim beneficiorum simplicium unio [1].

1258. Quoad regimen, notandum est quod qui inter Seminarii alumnos cooptari cupiunt debent esse orti ex legitimis natalibus, nec suffragatur ad hunc finem legitimatio per subsequens matrimonium [2]. Debent esse saltem duodennes; arte legendi scribendique periti, bonis moribus et pia indole praediti, ita ut prudens spes sit divinis suo tempore muneribus obeundis idoneos futuros. Cum vero primum atque principem locum in omni hominum gradu suo sibi iure vindicet pietas atque religio, hinc alumni quotannis spiritualibus exercitiis vacare debent.

1259. Ad efformandum perfecti sacerdotis exemplar non sufficit probitas morum, sed insuper scientia rerum praesertim sacra-

[1] Ferraris v. *Seminarium* n. 57 et seqq.

[2] S. C. Conc. in *Nullius* Disp. 16 iulii 1836.

rum requiritur. Hinc instituantur in Seminariis cathedrae praesertim philosophiae et theologiae sufficienti amplitudine doctrinae tradendae conspicuae. Schola philosophiae saltem ad duos annos; theologiae vero ad quatriennium extendatur. Maxime idonei professores etiam aliunde arcessendi, eligantur. Designentur pro singulis facultatibus libri, qui sanitate et soliditate doctrinae commendati, saltem compendium contineant totius disciplinae a professoribus ampliori explanatione collustrandae. Schola philosophiae complectetur philosophiam rationalem, quam dicunt, logicam scilicet et metaphysicam, ethicam cum principiis iuris naturalis; praeterea tradantur principia saltem et elementa mathematices, ac scientiarum physicarum, ita ut auditores ad detegendos perniciosos errores, qui hisce disciplinis nunc passim inseruntur, satis comparati sint. Facultas porro theologica comprehendat theologiam dogmaticam, ac moralem, exegesim biblicam, historiam ecclesiasticam atque institutiones iuris canonici. Omnes hae scientiae sacrae, et philosophia rationalis, lingua latina tradentur, eademque lingua in theologia dogmatica, et philosophia disputationes instituentur. Cum vero ministerium Ecclesiae decentissimis iisdemque religiosissimis ritibus perfici oporteat, adolescentes religioni sacrandi, ita subsecivis horis iis addiscendis vacare debent, ut et ipsi in sacris officiis obeundis illos recte exerceant. Qua de re et ecclesiasticum cantum, quem *firmum* vocant, plane addiscant, est enim iampridem a pluribus Pontificibus constitutum, ut scienter et ex artis ecclesiasticae ratione ab omnibus canatur.

1260. Tandem in Istr. lata a S. Congr. Fid. Prop. pro dioecesibus Foederatorum Statuum Americae Sept. commendatur etiam villarum institutio, in quibus alumni Seminariorum tempore vacationum retineantur. His vero non existentibus, alumni subiiciantur directioni et vigilantiae parochi loci in quo degunt, qui exactis vacationibus, gravata eius conscientia, informare debet Episcopum de moribus alumnorum, de eorum vivendi ratione extra Seminarium, de sacramentorum frequentia, et assiduitate in aliis functionibus sacris, ac de habitu clericali ab iis retento.

1261. Ut Episcopis in Seminarii regimine aliquod praesto sit adiutorium, Concilium Trid. praescripsit Episcopum eligere debere duos canonicos quorum consilio utatur ad disciplinam Seminarii. Duo item de Capitulo sumendi sunt quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur, ac duo de clero civitatis quorum unus ab Episcopo, alter a clero eligatur. Horum est adhibendum consilium in iis quae temporalium rerum administrationem et rectam Seminarii procurationem respiciunt. Ipsi perpetui sunt, hinc sine legitima causa amoveri non possunt, ac redditio rationum absque deputatis facta, nulla censetur [1].

1262. Cum vero locis missionum vel Capitulum non adsit, vel satis numerosus clerus, hinc in eadem Instr. data ad Episcopos Americae statuitur, quod deputati saltem duo esse debent, unus pro spiritualibus, alter pro temporalibus, qui eligendi erunt pro Seminariis dioecesanis ab Episcopo de consilio consultorum, pro provincialibus ab Episcopis collegialiter. Porro deputatorum consilio uti Episcopus debet in gravioribus negotiis, cuiusmodi sunt constitutio regularum, Rectoris et magistrorum delectus, discolorum eiectio, reddituum ratio etc. Quamvis vero Episcopus eorum consilium debeat exquirere, illud tamen sequi non tenetur.

1263. Denique Seminarii Rector et sacerdotes quicumque, per quos alumni sunt erudiendi, serio considerent se eos instituendos informandosque suscipere, quorum plerisque et ecclesiarum regimen et populorum salus aliquando incumbet; hinc non quamdam tantum privatorum rem se gerere existiment, sed Ecclesiae ipsius, atque adeo nulli industriae parcant. Heic vero notandum quod confessarii munus cum munere Rectoris cumulari non debet.

[1] De quaestione an alumni gratis admissi Seminario expensas reficere debeant si Ecclesiae castra deserant, triplex efficitur hypothesis. Si in fundatione locorum gratuitorum nulla conditio fuerit prorsus adiecta, negative respondetur. Aliter sentiendum, si adsit dispositio synodalis aut legitima consuetudo ut expensae restituantur. Item restituendas esse, si id in fundatione Seminarii vel in erectione locorum gratuitorum cautum fuerit, colligitur ex resolutionibus duarum causarum editis a S. C. Conc. in *Tiburt.* 11 martii 1752, ac in *Ferrarien.* 20 ian. 1821.

1264. Ordinario non licet absque Apostolico Beneplacito Seminarium moderandum tradere Ordinibus regularibus aliisque Institutis religiosis, atque ubi ipsis concredatur, ea tenenda ratio est, ut Episcopi iura quoad fieri potest sarta tectaque maneant [1].

1265. Porro Rectoris electio ad Religiosos pertinet, si his Seminarii regimen mandatum sit. Ad haec, notandum: 1) Quod alumni a Rectore regulari nominandi, approbari debent ab Episcopo. Rector vero potest, si velit, admittere etiam alumnos non dioecesanos, sed cum licentia Episcopi. 2) Reddituum exactio et administratio non *privative* spectat ad Episcopum cum deputatis, sed facienda est tantum cum participatione, consensu et mandato Episcopi: religiosi vero tenentur rationem reddere coram Episcopo et deputatis. 3) Episcopus vel Vicarius Capitularis potest pro lubitu Seminarium in spiritualibus ac temporalibus visitare. 4) Magistri non indigent approbatione Episcopi vel Vicarii Capitularis.

1266. Unum superest expendendum, an scilicet et quatenus Seminaria religioso Ordini vel Instituto concredita, a iurisdictione parochiali exempta sint. Pluries hac de re actum est apud Congr. Ep. et Reg. Iam Sacr. Congr. [2] declaravit, constare de Seminarii libertate, nec esse locum exercitio functionum ac iurium parochialium. In *Parmen.* exempt. a iurisd. par. die 21 iulii 1848, Sacra ead. Congr. parochi petitionem admisit, salva sanctione Conc. Trid. [3] et Const. Gregorii XIII *Circumspecta.* Ceterum Sacr. Congr. in decreto 15 iunii 1860 pro Maristis et 17 iulii 1865 pro Sulpitianis, iuri canonico et Concilio Trid. derogans, facultatem eisdem indulsit ad decennium « administrandi tam sociis, quam alumnis Seminariorum infirmis, sacrum viaticum, nec non iisdem in articulo mortis constitutis, sacramentum extremae unctionis, de licentia tamen respectivi Ordinarii ac salvis iuribus parochialibus ad formam *sacrorum canonum* quoad funeralia absolvenda, acceptandi ab Ordinariis

[1] Bened. XIV, *De Syn.* lib. 5, cap. 2, n. 9.

[2] In *Conimbric.* Exempt. Sem. die 12 martii 1757.

[3] Cap. XI, Sess. XXIV *de Ref.*

directionem Seminariorum, quin in singulis casibus recursus ad S. Sedem habeatur, uti peragendum esset ex Apostolicis sanctionibus, nec non Seminaria eorum directioni concredita administrandi tam in spiritualibus quam in temporalibus sine deputatorum interventu, qui iuxta Conc. Trid. [1] disciplinae et administrationi bonorum invigilare deberent, ita tamen ut in omnibus tam Superior Generalis quam socii dependere a respectivo Ordinario et rationem reddituum in fine cuiuslibet anni reddere tenerentur, praesentibus duobus de Capitulo totidemque de Clero civitatis ». Decretum fere simile editum est pro Eudistis die 19 febr. 1864 et pro Oratorianis.

1267. Notandum heic est quod Bened. XIV apostolicis litteris diei 7 sept. 1753 collegia et Seminaria erecta et erigenda sub iure PP. Soc. Iesu in Indiis, declaravit exempta et libera ab omni potestate parochorum in iis quae administrationem Eucharistiae etiam pro viatico et extremae unctionis pertinent.

1268. Post Seminaria superest aliquid dicendum de Collegio Urbano Fid. Prop. Porro in hoc Collegium soli cooptantur iuvenes exteri, qui sacris missionibus operam impendere volunt. Ex dispositione Urbani VIII [2] alumni si maiores sunt 14 annis in actu admissionis, si minores cum 14 annum compleverint, iuramentum emittere debent, quo spondeant se sine speciali Sedis Apostolicae indulto, ingressuros nullam religionem, societatem aut Congregationem regularem, suscepturos statum ecclesiasticum et omnes ordines sacros, sui status relationem quolibet anno, si intra fines Europae fuerint, quolibet vero biennio, si extra, sacrae Congregationi Fid. Prop. exhibituros, et sine mora in provinciam suam reversuros [3]. Hoc autem iuramentum ex decreto Alexandri VII perpetuum est et

[1] Sess. XXII, C. IX *de Ref.*

[2] 24 nov. 1625.

[3] In Congr. gener. diei 12 maii 1834 decretum fuit: 1) Provinciae nomine intelligenda est tota provincia ecclesiastica, ad quam alumnus pertinet; 2) Alumni sive ad provinciam sive ad dioecesim mittantur, ubi maior erit sacerdotum penuria, habita ratione animarum utilitatis. Per provinciam ecclesiasticam intelligitur archiepiscopatus cum suffraganeis.

emitti debet sub poena eiectionis a Collegio, nec illud differre eis licet ultra aetatem in decreto Urb. VIII praescriptam. Superiores vero sub poena suspensionis nullam hac in re dilationem permittere possunt, nisi ex gravi causa per ipsam Sacram Congreg. scriptis probanda. Leo XIII in aud. 31 ianuarii 1886 firmis remanentibus decretis citatis, indulsit Emo Card. Praefecto Ioanni Simeoni facultatem differendi iuramenti praestationem, dummodo adsit causa gravis ab eodem cognoscenda et iudicanda.

1269. Qualitates quibus praediti esse debent iuvenes in Collegium cooptandi, sunt: 1) ut minores non sint aetate 15 annorum; 2) ut lingua latina sint initiati; 3) ut gaudeant bona valetudine per testificationem medici comprobanda; 4) ut sponsalibus vel matrimonio ligati non sint; 5) ut vocationem ad statum ecclesiasticum habeant; 6) ut suscepti baptismatis et confirmationis testificatione instructi sint; 7) ut tantam pecuniae summam deponant, quanta necessaria est pro reditu in patriam.

In Congregatione generali 5 iulii 1835 decretum fuit formulam iurisiurandi, quae alumnis proponitur, extendi ad quamvis regionem vel missionem, prout iurantem destinare Congregationi placuerit; eaque formula proponitur alumnis praesertim de novo supervenientibus, aut admitti petentibus eo maiori numero, quo fieri poterit.

Ex decl. Secr. Si non mittuntur ab Episcopis, antequam ab ipsis admittantur, petendum, ut parati sint quamvis adire regionem: hactenus tamen formula nondum fuit extensa.

Quaesitum fuit a R. P. D. Ignatio Cadolinio sacrae Congregationis de Propaganda Fide a secretis, ut eminentissimus Praefectus pro tempore existens decretum suprascriptum benigne interpretari possit coarctando plus vel minus vocis provinciae sensum, prout sive loci sive personae adiuncta postulare viderentur. Ex audientia habita die 4 decembris an. 1842 SSmus annuit pro gratia iuxta petita.

LIBER II.

De Rebus temporalibus ac mixtis.

1270. Post tractationem de Ecclesiae rebus spiritualibus, sacris et religiosis, agendum nunc superest de rebus temporalibus, quae ecclesiasticis usibus addictae sunt. Porro de censibus, exactionibus et procurationibus, ac de decimis, iam locuti sumus; hinc superest ut de beneficiis et de iure patronatus aliqua summatim edicamus.

TITULUS I.

De Beneficiis.

CAPUT I.

DE BENEFICII DEFINITIONE.

1271. Beneficium est ius perpetuum, auctoritate Ecclesiae constitutum, percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, propter officium spirituale. Dicitur: 1) *Ius perpetuum:* quia beneficium institutum est, ut semper duret, adeo ut si uni auferatur, debeat tribui alteri. Hinc Vicaria amovibilis non est proprie beneficium. 2) *Auctoritate Ecclesiae,* hoc est, Pontificis, vel Episcopi: nam ad eos solos pertinet officia spiritualia instituere, eisque proventus adnectere. Hinc Cappellaniae non collativae, sed a privatis licet in perpetuum dotatae pro missarum celebratione, non sunt beneficia. 3) *Ex bonis ecclesiasticis*, id est Ecclesiae ad Dei cultum donatis, ex quibus erecta sunt beneficia, quorum soli fructus cedunt beneficiariis [1], non

[1] Clerici non modo possidere possunt bona *patrimonialia,* quae scilicet aliunde, quam ex beneficiis seu ministeriis ecclesiasticis obtinent, neque solum certe dominium adquirunt plenum bonorum, quae quasi *patrimonialia* dicuntur, quae scilicet

autem fundus, qui semper remanet Ecclesiae, cuius bona immobilia alienari non possunt sine iusta causa et licentia Pontificis; alioquin alienatio ipso iure irrita est. 4) *Propter officium spirituale,* hoc est, ad functiones seu actiones aliquas spirituales obeundas, quales sunt recitare horas canonicas, facere sacrum, administrare sacramenta, praedicare verbum Dei, etc. Nam beneficium propter officium institutum est, et ad aliquam functionem spiritualem obligat, ex Conc. Trid. [1].

CAPUT II.

DE BENEFICIORUM DIVISIONE.

1272. Beneficium dividitur: 1) in Beneficium saeculare, quod clericis saecularibus, et in regulare, quod regularibus addictum est et conferri debet. In dubio, praesumitur quod sit saeculare; quocirca probandum est quod sit regulare ex fundatione, vel privilegio, vel praescriptione. Ad hoc autem ut per praescriptionem saeculare transeat in regulare, aut vicissim, requiritur 40 annorum possessio cum institutione, bona fide et titulo. 2) In simplex, et duplex. Simplex est illud, quod nullam habet adnexam curam animarum, iurisdictionem, praeeminentiam, dignitatem, administrationem, sed solum obligationem recitandi officium divinum, et missas celebrandi;

obveniunt ex officiis et ministeriis ecclesiasticis, sed praeterea licet non habeant directum dominium in fundos beneficiorum, fructuum tamen, iuxta veriorem sententiam, plenum acquirunt dominium. Quod quidem intelligendum est non modo de ea fructuum parte, quae congruae atque honestae ipsorum sustentationi necessaria est, ac propterea de iis quoque quae ex hac ipsa parte parce victitando subtrahunt ac reservant, verum etiam de eo, si quid sit, quod congruae et honestae sustentationi superfluum esse videatur. Hinc tenentur quidem clerici aliis de causis superflua ista in pauperes aut alios pios usus erogare: id tamen si non faciant, non peccant contra iustitiam neque sunt ad restitutionem adigendi. Cf. S. Thom. qui 2a 2ae, q. 185, art. 7, et Quodlib. VI, art. 12, ad 3 bona ecclesiastica quoad hoc bonis patrimonialibus coaequat.

[1] Sess. XXI, c. III, et cap. ult. de rescript. in 6, dicitur: *Officium propter quod beneficium ecclesiasticum datur.*

ut Cappellania, item Praestimonium, quod est portio ex ecclesiasticis proventibus detracta, quae adolescentibus studiorum causa confertur in titulum perpetuum, habetque adnexum officium spirituale. Duplex est illud, quod annexam habet curam animarum, vel iurisdictionem in foro externo, vel praeeminentiam, vel administrationem ecclesiasticam, ut Episcopatus, parochiale Beneficium, Abbatia, Praepositura, Cantoria etc. 3) In manuale, quod potest ad collatoris nutum auferri, ideoque deficit a proprietate beneficii defectu perpetuitatis; et in non manuale, quod adimi nequit, nisi ob crimen. 4) Dividitur beneficium in collativum, quod confertur per voluntatem absolutam ac liberam Praelati; in patronatum, quod confertur a Praelato ad praesentationem vel nominationem factam per patronum; et electivum, quod per suffragia electorum, accedente postea confirmatione, defertur. 5) In titulare, quod scilicet ad vitam, et cum plenitudine iuris confertur; et in commendatum, quod solius administrationis, aut custodiae causa datur. Quod si detur in vitam commendatarii, tunc omnia fere iura ei competunt, quae titularibus. Unde commenda perpetua aequivalet beneficio in titulum dato. 6) In incompatibile, et compatibile. Incompatibile est, quod annexam habet curam animarum, vel quod personalem residentiam postulat, ut sunt duo Episcopatus, duo curata beneficia, duae dignitates, etc., vel quae in eadem ecclesia instituta sunt ad eumdem finem, habentque idem onus ac officium eodem tempore persolvendum, qualia sunt duo beneficia uniformia sub eodem tecto, ut duo Canonicatus in eadem ecclesia. Compatibile est illud quod personalem residentiam non exigit, nec idem onus ac officium eodem tempore persolvendum.

CAPUT III.

QUOMODO BENEFICIA CONFERANTUR.

1273. Inquirendum nunc est quot modis beneficia acquirantur. Porro prima regula iuris in 6° sic habet: *Beneficium ecclesiasticum non potest licite* (subintellige etiam, nec valide) *sine institutione canonica obtineri.* Institutionis autem canonicae diversi sunt modi,

quibus beneficia acquiruntur, nimirum: 1) collatione libera; 2) praesentatione, et subsequuta institutione; 3) electione, et subsequuta confirmatione; 4) resignatione acceptata in favorem; 5) permutatione approbata; 6) quibus modis addi potest interdum sola electio ius habentium absque alia confirmatione; et tunc dicuntur beneficia electiva collativa; alia autem confirmativa.

1274. Porro Romanus Pontifex de iure communi omnimodam habet potestatem conferendi beneficia ecclesiastica pro tota Ecclesia. Episcopus confirmatus potest de iure communi et regulariter conferre beneficia suae dioecesis; adeoque habet intentionem fundatam in iure, ita ut alius qui collationis ius praetendat, illud debeat probare. Diximus autem de iure communi et regulariter, siquidem excipiuntur illa quae Summus Pontifex sibi reservat, item illa quae sunt electiva, ac denique illa quorum collatio ex speciali iure, privilegio, consuetudine, praescriptione ad alios pertinet. Iure ordinario possunt etiam conferre beneficia Praelati ab Episcopo plenissimo iure exempti quoad clerum et populum. Item Capitulum sede vacante, seu Vicarius Capitularis, potest conferre ea quorum collatio ad Capitulum et Episcopum simul spectat; praesentatos autem a patronis recte instituit; quoad vero paroecias vacantes Vicarios temporaneos, non parochos constituit. Collatores substituti in casu negligentiae Ordinarii, sunt in genere Superior immediatus, in specie Capitulum quoad beneficia ab Episcopo conferenda.

1275. Iamvero beneficia dignis conferenda sunt; atque ut quis dignus censeatur, variae requiruntur qualitates, scilicet: 1) requiritur ut sit legitimus, nam illegitime nati, sive naturales, sive spurii, sunt incapaces beneficii ob irregularitatem; 2) ut initiatus sit prima tonsura, sine qua irrita est cuiusvis beneficii collatio, ex c. 26 de transact. et c. 2 de institut.; officii enim spiritualis incapax est laicus. Si beneficium ex sua institutione vel lege aut consuetudine requirat certum Ordinem sacrum, carens illo Ordine est ad illud inhabilis [1], ex consuetudine tamen satis est, si intra annum susci-

[1] C. 22 de elect.

piatur ordo: sed non debet ultra differri [1]. 3) Aetas idonea [2], alioqui collatio est nulla. Hoc autem varie requiritur pro varietate beneficiorum. Ad Episcopatum requiruntur triginta anni completi [3]. Ad Abbatias, dignitates, et parochialia beneficia annus 25 inchoatus exigitur [4]. Attamen ad dignitates non habentes adnexam curam animarum, sufficit annus 22 completus, ex Conc. Trid. [5]. Ad beneficia simplicia, ut sunt Cappellaniae, annus 14 inchoatus requiritur a Conc. Trid. [6]. Ad Canonicatum Ecclesiae Cathedralis iure novo requiritur annus 21, quia adnexum habet subdiaconatum. Ex consuetudine tamen datur habenti tantum annos 14. 4) Immunitas a censura et irregularitate etiam occulta; ita ut nulla sit non solum collatio beneficii facta excommunicato, suspenso, vel irregulari, sed etiam eiusdem electio, praesentatio, et resignatio in eius favorem [7]. 5) Morum probitas [8]. Improbo tamen facta collatio non est ipso iure irrita, sed irritanda, nisi crimen adnexam habeat censuram, vel irregularitatem [9]. 6) Scientia, ea scilicet quae ad omnia munia beneficio adnexa rite obeunda necessaria est [10]. Et per se patet, cum propter illa recte persolvenda institutum et datum sit beneficium.

1276. Praeter istas qualitates, possunt particularibus ecclesiarum statutis, uti etiam fundatione, variae aliae requiri.

1277. Beneficia debent conferri: 1) gratis, alias collatio simoniaca erit et nulla, siquidem realis simonia sit; 2) libere ac spontanee; 3) absque obreptione vel subreptione, deficeret enim consensus in conferente; 4) absolute, electiones enim et collationes

[1] Ex Clement. de aetat. de elect. et Conc. Trid. sess. XXII, c. IV.

[2] C. 6. de elect.

[3] Ibid., c. 6 de elect.

[4] Ibid. et Conc. Trid. sess. XXIV, c. XII.

[5] Sess. XXIV, c. XII.

[6] Sess. XXIII, c. VI.

[7] Ex c. 7 de cler. excomm., c. 8 de aetat. et c. ult. de cler. pugnant., c. 18 de sent. excomm. in 6.

[8] C. 7. de elect. et Conc. Trid. sess. XXIII, c. I.

[9] C. 11 de excess. praelat.

[10] C. 8 de elect. ex Conc. generali Later. II et ex Conc. Trid.

sunt inter eos actus legitimos, qui conditionem extraneam aut diem non recipiunt [1]; 5) determinate certae personae, non disiunctive; 6) stabiliter, ratio enim beneficii stricte accepti requirit ut conferatur ad vitam beneficiati; 7) sine diminutione aut fructuum reservatione aut pensione, nisi Romani Pontificis auctoritas accedat [2].

1278. Maxime autem ad formam provisionum beneficialium spectat modus ea consequendi, nempe per electionem, collationem et praesentationem.

CAPUT IV.

DE BENEFICIORUM UNIONE ET DIVISIONE.

1279. Est equidem praecipua beneficii ecclesiastici proprietas, quod sit perpetuum, seu collatum in titulum perpetuum; nihilominus frequenter contingit ut plura beneficia uniantur seu in unum coalescant, aut unum dividatur in duo, vel etiam dismembretur aut omnino supprimatur. De his pauca innuenda sunt.

1280. Unio triplici modo fieri potest: 1) ita ut ex duobus beneficiis fiat unum eaque in unum velut tertium corpus coalescant, cui utriusque privilegia communicentur; 2) ita ut duae Ecclesiae aeque principaliter uniantur sub eodem rectore, qua ratione maneet post unionem duae Ecclesiae absque communione privilegiorum, et neutra alteri subiicitur, sed singulae suam naturam, proprietates, privilegia, redditus, titulum retinent, uni tamen rectori committuntur; 3) ita ut una ecclesia alteri accessorie uniatur, quod fit si una alteri subiiciatur tamquam superiori ex. gr. parochia dignitati cathedrali, adeoque eidem coniungatur veluti accessorium principali. Hic vero modus ceteris frequentior id operatur, ut beneficium sic unitum quodammodo extinguatur et naturam proprietatemque assumat beneficii principalis, cui accedit. Hinc sequitur quod si ecclesia exempta accessorie uniatur non exemptae, amittat exemptionem; vicissim si non exempta uniatur exemptae, exempta evadat:

[1] Reg. 50 in 6o.

[2] Cf. totum titulum « Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur ».

si regularis uniatur saeculari fiat saecularis, et vicissim. Prohibuit autem Conc. Trid. [1] ne deinceps parochiales ecclesiae monasteriis, dignitatibus, et praebendis cathedralis aut collegiatae, nec non hospitalibus uniantur.

1281. Porro amplissimam uniendi beneficii potestatem habet Romanus Pontifex, non tamen id facere is solet absque Episcopi consensu. Regulariter unire illa etiam potest Episcopus, si ab eius iurisdictione exempta non sint.

1282. Ut unio legitime ac valide fiat ab eo qui Romano Pontifice inferior est, requiritur iusta causa. Tales autem causae sunt evidens ecclesiae necessitas vel magna ecclesiae utilitas. Praeter iustam causam, eorum consensus requiritur, quorum interest.

1283. Porro si ecclesia aut beneficium monasterio aut ecclesiae cathedrali vel collegiatae incorporatum sit, non tamen pleno iure, sed *quoad temporalia* tantum, monasterium et Capitulum nihil fere iuris habent in beneficiati personam et animarum curam. Si tamen monasterium aut Capitulum ius patronatus haberet in ecclesia sic unita, possent a rectore exigere administrationis rationes in temporalibus ecclesiae obvenientibus. Si autem ecclesia *pleno iure* ipsis sit incorporata, nempe etiam quoad spiritualia, ita tamen ut populus maneat Episcopo subiectus, tunc possunt idoneum vicarium Episcopo praesentare ab ipso examinandum et instituendum in ecclesia sic unita. Neque in hoc refert an monasterium exemptum sit vel non, eritque vicarius ille, etiam religiosus ordinis exempti, quoad ea quae curam animarum et sacramentorum administrationem spectant, Episcopi iurisdictioni subiectus, ita ut ab eo visitari et corrigi possit. Denique si ecclesia *plenissimo iure* subiecta est Capitulo aut monasterio, ita ut etiam populus ab Episcopo sit exemptus et in spiritualibus etiam subiectus Praelato monasterii vel capituli, tum poterit Praelatus aut Capitulum vicarios in ecclesia sic unita independenter ab Episcopo instituere, destituere, eos visitare, rationes ab iis exigere, aliaque facere quae ad Ordinarii iura pertinent.

[1] Sess. XXIV, cap. XIII.

1284. Unioni beneficiorum opposita est divisio, quae contingit quando ex uno fiunt duo. Illam facere potest Episcopus, si adsit iusta causa; causa autem iusta est si absque divisione non possit obligationibus beneficii satisfieri. Si se opponat parochus aut parochiani, debet Episcopus eos audire eorumque causas examinare. Si nihilominus in sua maneat sententia, potest illis etiam invitis divisionem decernere, relicta tamen ipsis appellatione, si iniuste se gravatos existiment. Haec vero appellatio non habet effectum suspensivum, sed devolutivum. Dismembratio beneficii fit quando pars reddituum unius alteri beneficio attribuitur, aut ecclesiae indigenti, salva illius unitate. Hanc ex iusta causa facere Episcopus potest, requisito rectoris consensu, auditis interesse habentibus etc. [1].

TITULUS II.

De Iure Patronatus.

1285. Ius patronatus est potestas praesentandi superiori ecclesiastico vel nominandi clericum ad beneficium ecclesiasticum vacans. Porro tota iuris patronatus materia ad haec capita revocari potest: 1) qui sint iuris patronatus capaces; 2) quot sint iuris patronatus species; 3) quaenam sint propriae earum leges; 4) quomodo acquiratur; 5) quomodo eiusdem acquisitio probetur, et quomodo amittatur.

Appendicis autem loco addendum est quae sint alia patronorum iura, et quae obligationes.

[1] In divisione, unione, vel dismembratione Vicariatuum Apostolicorum non exquiritur consensus Vicarii, sed ea fit ab Ap. Sede pro lubito.

CAPUT I.

QUI SINT IURIS PATRONATUS CAPACES.

1286. Quoad capacitatem habendi ius patronatus, distinguendus est *habitus,* qui est in eiusmodi iuris possessione, ab *actu,* qui est in eiusdem usu. Qua praemissa distinctione, dicendum est, capaces esse iuris patronatus: 1) *habitu et actu* fideles omnes, qui communionem habent cum Ecclesia catholica, licet laici, vel feminae, vel etiam pueri sint, dummodo septennio maiores, ita ut si quem ii nominarint, alium vero eorum tutor, ab iis nominatus praevaleat, etiamsi sit minus dignus. Sunt autem capaces etiam illegitimi et etiam spurii [1]. 2) *Habitu* tantum: *a*) pueri septennio minores, quorum vice ius patronatus exercendum est a tutore [2]; *b*) excommunicati [3], de quibus tamen alii ita statuunt, ut repelli possint ab usu iuris patronatus, imo et debeant, si sint ex non toleratis, at si admittantur, eorum praesentationem validam esse, aliis excipientibus, aliis vero includentibus etiam patronum ecclesiasticum [4], ex quo opinionum conflictu sequitur, excommunicatos ad praesentandum regulariter admitti non debere, si tamen admissi sint, eorum praesentationem habendam esse validam, quia in dubio standum est pro validitate actus. 3) *Neque actu neque habitu: a*) infideles [5]; *a*) haeretici [6], salva, ut par est, permissione Romani Pontificis.

[1] SCHMALZGRUEBER *de Iure Patron.* n. 72 seqq. ibique PIKLER n. 20; REIFFENSTUEL n. 36 seqq.

[2] REIFFENSTUEL loc. cit. n. 38.

[3] FAGNANUS in cap. *Nobis* 35 *de Iur. Patron.* n. 12 seqq. et cf. etiam REIFFENSTUEL loc. cit. n. 44.

[4] PICKLER *de Iure Patron.* n. 20; SCHMALZGRUEBER n. 69 seqq.

[5] FAGNANUS loc. c. n. 7; REIFFENSTUEL tit. *de Iure Patron.* n. 43 ibique; SCHMALZGRUEBER n. 65 et seqq., aliique communiter.

[6] FAGNANUS loc. c. n. 10 et seqq.; REIFFENSTUEL loc. c. n. 44, ibique SCHMALZGRUEBER n. 67, PIKLER n. 21.

CAPUT II.

DE VARIIS IURIS PATRONATUS SPECIEBUS.

1287. Iuris patronatus summa divisio est in *activum,* quod est ius ipsum praesentandi, et *passivum*, quod est ius quod quispiam forte habet quod praesentetur; utrumque autem suas habet subdivisiones. Et primo quidem activum distinguitur *ratione subiecti,* cui inhaereat, in *personale*, quod certis adscriptum est personis independenter a possessione cuiusvis rei vel hereditatis; et in *reale,* quod alicui fundo vel hereditati inhaeret et cum ipsa ad possessorem defertur. *Ratione* autem *tituli* dividitur in *ecclesiasticum*, quod alicui competit titulo ecclesiastico, ex. gr. ratione ecclesiae vel loci pii aut dignitatis vel beneficii ecclesiastici; in *laicale* quod titulo laicali, quisquam habet, ex. gr. iure hereditario etc.; et in *mixtum* quod titulo ecclesiastico, simul et laicali debetur, ex. gr. si ius nominandi pertineat simul et ad ecclesiae rectorem et ad fundatoris heredem [1]. *Laicale* autem iterum subdividitur in *hereditarium,* quod simul cum hereditate ad heredes transfertur; in *familiare*, quod ad eos devolvitur, qui sunt ex familia; in *mixtum*, quod etiam dicitur *ex pacto et providentia*, quod ad eos defertur, qui simul sunt et heredes et ex familia [2]. Haec autem eadem postrema divisio pertinere potest etiam ad ius patronatus passivum.

CAPUT III.

DE LEGIBUS CUIUSQUE SPECIEI IURIS PATRONATUS PROPRIIS.

1288. Quod attinet ad leges uniuscuiusque speciei proprias, ea quae ad varium modum, quo in alias personas ius ipsum transfertur, mox exponemus. In praesens autem haec monuisse satis sit quoad discrimen inter ecclesiasticum, laicale, et mixtum.

[1] Schmalzgrueber tit. *de Iure Patron.* n. 6, 8, 10, 15, 16, ibique ceteri Doctores.
[2] Schmalzgrueber loc. cit. n. 12.

1289. Ius patronatus laicale: 1) quatuor tantummodo menses a notitia vacationis beneficii patrono concedit ad praesentandum. Cap. unico de iure patron. in 6 [1]. 2) Facultatem eidem defert *variandi* seu praesentandi successive alium, et quidem *plus quam una vice,* si variatio ex eo fiat quod ii qui praesentati sunt reiecti tamquam indigni fuerunt; *unica autem vice* et quidem *cumulative,* id est non excludendo qui primum praesentatus est, sed eidem alium addendo ut ex iis Episcopus eligat, si variatio ex arbitrio fiat [2]. 3) Eumdem a privatione pro ea vice iuris praesentandi eximit, si indignum scienter praesentaverit [3]. 4) Eximit pariter quoad parochias a lege concursus, ita tamen ut clericus a patrono laico praesentatus admitti non possit, nisi quatenus ab examinatoribus prosynodalibus approbatus fuerit [4].

1290. Ecclesiasticum: 1) sex menses ad praesentandum habet [5]; 2) quoad reliqua contrariis utitur iuribus [6].

[1] Reiffenstuel tit. *de Iure Patron.* n. 54.

[2] Reiffenstuel n. 17 seqq.

[3] Bened. XIV *de Synodo Dioecesana* lib. 12, cap. 7, n. 6, ibique Rota coram Coccino, Decis. 125 et 1105; Giraldi *Expositio Iuris Pontif.* P. 1, Sectione 579, § 1; Reiffenstuel *de Iure Patr.* n. 60, contra ea quae deinceps tradit n. 86.

[4] Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. XVIII *de Reform.*; Reiffenstuel *tit. eod.* n. 65, aliique communiter.

[5] Cap. 22 de Iure Patr. et cap. unico eodem in 6.

[6] Reiffenstuel tit. eod. n. 54 ad 65. — Circa praesentationem a patrono ecclesiastico faciendam ad parochiales ecclesias, Benedictus XIV Constitutione, quae incipit *Redditae nobis,* qua tria ab Archiepiscopo Florentino proposita dubia resolvuntur, statuit: Primo, patronum ecclesiasticum ad beneficium curatum praesentare debere eum, qui magis idoneus, magisque dignus est inter approbatos ab examinatoribus. Secundo, si inter examinatos nullus sit, qui de iudicio queratur, debere Episcopum praesentato beneficium conferre, nec in patroni iudicium inquirere; si vero aliquis ex concurrentibus iudicio illi minime acquiescat, posse Episcopum, antequam institutionem concedat, in patroni iudicium inquirere. Tertio, si is, qui se digniorem existimat, et posthabitus est, appellationem interponat, admittendam esse tantum in devolutivo, at non retardare possessionem praesentati, si iudicium Episcopi cum patroni iudicio conveniat; si vero in ferendo iudicio de magis digno, sententia Episcopi, et patroni ecclesiastici minime concordant, tunc si quis ex ap-

1291. Mixtum eo iure utitur, quod sit magis favorabile, sive pro ecclesiastico, sive pro laicali constitutum illud sit; unde quoad tempus praesentandi convenit cum ecclesiastico; quoad reliqua cum laicali [1].

1292. Quoad subdivisionem iuris patronatus laicalis in *hereditarium, familiare* et *mixtum*, unum hoc adnotasse satis sit: in dubio utrum dicendum sit familiare an hereditarium, hereditarium, utpote frequentius, esse praesumendum [2]. Quod enim spectat ad ceteras leges, quibus ratio definitur in iisdem succedendi, eae mox tradentur, cum inter modos acquirendi ius patronatus agetur de *translatione*.

CAPUT IV.

QUOMODO IUS PATRONATUS ACQUIRATUR EIUSQUE ACQUISITIO PROBETUR.

1293. Acquiritur autem ius patronatus pluribus modis, licet una eiusdem sit origo unumque fundamentum. Hoc enim initio animadvertendum sedulo est, quodlibet ius patronatus ex gratia Ecclesiae unice procedere, quippe quod ius spirituale est quod nullo pacto pretiove comparari potest ita, ut si quando *in iustitia fundari* ab aliquibus scriptoribus dictum reperiatur, id sub eo tantum respectu intelligendum sit, quod eius concessio (in iis nempe casibus quos modo aperiemus) reducta fuit in corpore iuris [3]. Eiusmodi

probatis ab examinatoribus, et tamquam magis dignus praeelectus a patrono, putat se gravatum esse ab Episcopo, neque eius iudicio acquiescere vult, et ideo provocat, eius appellationem suspensionis effectum operari debere, et ecclesiam parochialem sub oeconomo remanere, donec lis finiatur.

[1] Glossa in cap. unico de Iure Patr. in 6°, verbo *Ecclesiasticus;* Fagnanus in cap. *Cum propter* de iure patr. n. 26, seqq.; Reiffenstuel loc. c. n. 52 aliique communiter.

[2] Schmalzgrueber *tit. eod.* n. 13.

[3] Fagnanus in cap. *Quoniam* de iur. patr. n. 4, seqq.; Schmalzgrueber tit. eod. n. 21.

autem supposito fundamento, plures quidem sunt modi quibus ius patronatus acquiri concessum est; alii nimirum *originarii,* quibus illud primo comparatur; alii *derivativi,* quibus transfertur et propagatur in alios.

1294. *Originarii* distingui possunt in *ordinarios* et in *extraordinarios.* Porro de ordinariis quaerendum est: 1° quinam sint; 2° quae sint leges eorumdem propriae. Itaque ordinarii tres numerantur iuxta Glossam in Cap. 26, causa 16, quaest. 7, scilicet: 1) *fundatio,* quae fit donando fundum non quidem simpliciter, sed eo fine ut ecclesia ibi legitime, id est Ordinarii auctoritate aedificetur [1]; 2) *aedificatio,* quae fit vel novam erigendo vel collapsam ecclesiam restituendo sumptu suo debitoque cum Ordinarii assensu [2]; 3) *dotatio,* quae fit assignando ecclesiae redditus annuos sufficientes pro necessariis eiusdem usibus congruaque ministrorum sustentatione [3]; vel eiusdem nondum sufficienter dotatae dotem usque ad sufficientiam augendo, dummodo augmentum medietatem totius dotis excedat, atque Ordinarii accedat consensus [4].

1295. Leges ad eiusmodi modos acquirendi ius patronatus pertinentes, hae praecipuae sunt: 1) Quilibet per se est causa integralis iuris patronatus ita tamen ut vim suam non exerat, nisi ecclesia perfecte iam constituta, idest iam fundata et constructa et dotata sit. 2) Si plures in quolibet ex tribus modis simul concurrant, idest vel in construenda vel in fundanda vel in dotanda ecclesia, omnes patroni fiunt. 3) Quoad ecclesiam collegiatam seu conventualem, licet ceteri honores, de quibus postea dicendum est, patronorum proprii praedictis modis acquiri possint, ius tamen praesentandi ad praelaturam eiusdem nequit acquiri nisi pontificio indulto accedente [5].

[1] Schmalzgrueber hoc tit. n. 32, 34 et 36.

[2] Schmalzgrueber loc. c. n. 35; Reiffenstuel n. 7 seqq.

[3] Canon *Filiis* 31, causa 16, quaest. 7.

[4] Schmalzgrueber loc. c. n. 35 et 57 ad 61.

[5] Cap. *Nobis* 25 h. t.; Schmalzgrueber loc. c. n. 44.

1296. Extraordinarii iidemque *originarii* modi iuris patronatus acquirendi duo numerantur: 1) *privilegium* Sedis Apostolicae, cuius plenitudine potestatis potest citra alium titulum ius patronatus constitui, ac 2) *praescriptio,* qua scilicet non adversus alium patronum (qui modus esset transferendi, non constituendi iuris patronatus), sed adversus ecclesiam liberam seu nondum patronatam, ius patronatus alicui asseritur, debitis accedentibus conditionibus, id est: *a*) ut plures [1] factae fuerint praesentationes; *b*) ut tempus decurrerit immemorabile, idest saltem quadraginta annorum quoad personas de usurpatione minime suspectas [2]. In potentibus autem perpetuaque praeditis iurisdictione, saltem 50 annorum [3].

1297. Restant *derivativi* modi, quibus scilicet ius patronatus iam constitutum, in alios transfertur, unde sub unico nomine *translationis iuris patronatus* recte continentur. Sunt autem varii pro varia iuris patronatus specie, prout nimirum sit vel reale, vel hereditarium, vel familiare, vel mixtum. Nam ceterae species respectu translationis in aliquam ex praedictis refunduntur, alii autem sunt communes singulis speciebus.

1298. Itaque: 1) *reale* ius patronatus iis modis in alios transfertur, quibus res ipsa cui inhaeret; adeoque donatione, legato, successione hereditaria, venditione, permutatione, emphyteusi, locatione, ita tamen ut materia praedictorum contractuum sit res cui ius patronatus inhaeret, ipsum autem ius patronatus, veluti merum accessorium nullo pretio aestimatum, una cum ea transferatur [4]. Unde sequitur rem non posse citra simoniae delictum ob ius patronatus adnexum pluris vendi aut locari, ac si illo careret [5].

Deinde 2) *hereditarium* transfertur quidem, ut nomen indicat, successione hereditaria, sed hisce servatis legibus: Successio here-

[1] Hoc est *saltem duae;* Reiffenstuel loc. c. n. 13.

[2] Ferraris *Biblioth. Canonica* verbo *ius patron.* n. 36.

[3] Conc. Trid. loc. c.; Reiffenstuel loc. c. n. 14.

[4] Schmalzgrueber h. t. § 5 seu num. 123 seqq.

[5] Schmalzgrueber loc. c. n. 159.

ditaria proprie talis esse debet; si quis enim successor sit particularis in re aliqua certa, is eatenus in ius patronatus succedit, quatenus illud eidem rei particulariter inhaereat: quod quidem realis, non simpliciter hereditarii iuris patronatus, proprium est [1]. Contra si plures heredis nomine vocati sint, licet in partibus inaequalibus, omnes in ius patronatus succedunt, quia omnes heredes vere sunt [2]. *b*) Heredes plurium patronorum originalium itemque heredes heredum unius patroni originalis, succedunt *in stirpes*, non autem *in capita:* imo et heredes immediati patroni originalis, si in eius bonis in stirpes et non in capita succedunt [3]. Dicuntur autem succedere *in stirpes* qui suffragiis suis unam vocem constituunt, qua scilicet auctorem suum, cui successerunt, quasi superstes esset, repraesentant: succedunt autem *in capita* qui suffragio suo integram vocem constituunt illudque suo nomine ferunt. *c*) In iis qui succedunt in stirpes vox integre conficitur per maioritatem *respectivam*, si vox illa pertineat ad ipsos ut singulos (quod in dubio praesumendum est [4]), *absolutam*, si pertineat ad eosdem ut universos et fere ritu collegii [5]. *d*) Cum plures in idem ius patronatus succedunt indivisim et in solidum, quoad substantiam possidetur ab omnibus, ita tamen ut integrum iis sit eiusdem usum seu exercitium inter se dividere ratione temporis, facta, ex. gr. conventione, ut alternis vicibus eodem utantur [6].

Denique 3) *familiare* ac *mixtum* qua ratione transferatur, seu transmittatur ad alios, ex hisce regulis cognosci potest.

1° *Familiare* transmittitur regulariter successione lineari, ita ut pater non concurrat cum filiis, sed eos excludat, nisi tamen

[1] Schmalzgrueber h. t. n. 123 et 126; Reiffenstuel ibid. n. 18.

[2] Schmalzgrueber loc. c.

[3] Reiffenstuel h. t. n. 19, seqq.; Schmalzgrueber ibid. n. 129.

[4] Pirhing h. t. n. 48.

[5] Pirhing loc. c.

[6] Clementina 2 de iure patr.; Reiffenstuel loc. c. n. 23; Schmalzgrueber loc. c. n. 127 seqq.

auctor iuris patronatus illud reservaverit familiae aut agnationi in globo, nullo graduum discrimine [1].

2° In casu successionis linearis, si ad duas lineas ius patronatus devenerit, successio fit *in stirpes*, ita ut nepotes concurrant cum patruo repraesentando patrem suum defunctum, unamque proinde vocem obtinendo [2]; itemque si iam ab initio reservatio iuris patronatus favore plurium facta fuerit [3].

3° Extincta familia, ius patronatus transit ad heredes licet extraneos, nisi fundator expresse et taxative iis tantum, qui de familia essent, illud reservarit [4]. Item si plures ab initio constituti fuerint patroni, alicuius linea deficiente, ius patronatus in ea linea transit in heredes extraneos et fit hereditarium, licet in aliorum lineis maneat gentilitium seu familiare [5]. Contrarium autem tenendum est, si ita statuerit fundator [6]; vel si unus ab initio constitutus fuerit patronus [7].

4° *Mixtum*, quod scilicet delatum est iis qui simul sint et heredes et ex familia, qualitatem hereditariam exigit tantum in potentia, non autem in actu, id est respectu habito ad ius quod quisquam haberet si ab intestato successio fieret, non autem ad positivam testatorum voluntatem [8]. Ceterum iisdem regulis utitur ac ius patronatus familiare [9].

Denique animadvertendum est, idem valere de iure patronatus familiari ac mixto quod supra de hereditariis dictum est.

[1] Pitonius *Controversiae Patron.* allegatione 10, n. 9 seqq., et post allegat. 10. n. 26 seqq.; Rota in Pisana *Iuris Patronatus* 26 iunii anno 1709 coram Priolo § *Procedendo* seqq.

[2] Pitonius *Controv. Patron.* alleg. 66, n. 33 ad 37.

[3] Pitonius op. cit. alleg. 66, n. 15.

[4] Fagnanus in cap. *Perlatum* de iur. patron. n. 10 seqq.

[5] Pitonius alleg. 76, n. 16 seqq.

[6] Pitonius ibid. n. 22.

[7] Pitonius ibid. n. 11 et 25.

[8] Pitonius alleg. 37, n. 16 et 18, et alleg. 100, n. 272.

[9] Pitonius dicta alleg. 100, n. 272, et alleg. 76, n. 3 collato 11 seqq.; Rota apud eumdem Pitonium post alleg. 10, n. 25.

1299. Videndum iam est quomodo eiusdem acquisitio probetur. Qua de re haec statui possunt. In genere iisdem modis eam probari, quibus cetera iura probantur; in specie autem probatur: *a*) ex multiplicatis et sine interruptione continuatis praesentationibus; *b*) ex libris visitationum, vel etiam ex literis pluribus (ex. gr. duabus) Ordinarii, quibus eiusmodi ius patronatus admittatur; *c*) ex monumentis antiquis, cuiusmodi sunt insignia familiae ecclesiae vel cappellae affixa, in qua erectum est beneficium; quod tamen sufficere vix crediderim, nisi cum aliquo exercitio iuris praesentandi aut aliis adminiculis coniungatur; *d*) ex possessione seu quasi possessione ceterorum iurium atque honorum, quibus patroni frui solent [1]. Plenior requiritur probatio, si de personis agatur, quae de usurpatione suspectae sint.

CAPUT V.

DE MODIS QUIBUS AMITTITUR IUS PATRONATUS.

1300. Modi quibus ius patronatus amittitur ex triplici fonte deduci possunt: ex rei interitu, ex patroni facto, ex voluntate Summi Pontificis.

1301. Ex rei interitu perit ius patronatus: 1) unione ecclesiae vel beneficii patronati cum alia ecclesia vel beneficio vel monasterio, si haec facta sit permittente patrono et sine iuris patronatus reservatione [2]. Ruina ecclesiae totali, aut dotis interitu.

1302. Patroni factum, unde amittitur ius patronatus, ad triplex genus revocari potest: ad voluntatem, ad culpam, ad crimen. 1) Voluntate amittitur si patronus: *a*) suo se iure simpliciter abdicet [3]. *b*) Si ius suum alteri concedat, dummodo id non vetent leges fundationis, simulque accedat consensus Episcopi si agatur de iure

[1] Schmalzgrueber loc. c.

[2] Reiffenstuel h. t. n. 125.

[3] Cap. unico de iure patr. in 6; Reiffenstuel et Schmalzgrueber loc. cit.

patronatus personali, quod non Ecclesiae aut alteri compatrono, sed extraneo cuipiam concedatur [1]. 2) *Culpa:* *a*) Si in defectu redditum ecclesiae [2] eam noluerit reparare et manutenere [3]; ita tamen ut eidem antea praefigendus sit terminus ad suam obligationem explendam [4]. *b*) Si cessante legitimo impedimento, ius praesentandi exercere neglexerit per longum tempus, quo tempore bis saltem illud exercendi occasio acciderit [5]. 3) *Crimine:* *a*) Si in haeresim inciderit [6]. *b*) Si ecclesiae patronatae rectorem aut clericum per se aut per alios occiderit vel mutilarit [7]. *c*) Si eiusdem ecclesiae bona, iura aut fructus usurpaverit [8]. *d*) Si ius patronatus in alios transtulerit simoniace [9].

1303. Voluntate Summi Pontificis extinguitur ius patronatus, si ita expresse decreverit. Quod autem alii addunt id fieri licite non posse, si iusta causa non existat, id etsi verum sit, eiusdem tamen Summi Pontificis iudicio causae cognitio in singulis casibus relinquenda est.

1304. Duo hic appendicis loco addenda sunt: 1) quae sint alia patronorum iura; 2) quae obligationes; quae duo a Glossa [10] verbo *modeste,* uno versiculo exponuntur; *Patrono debetur honor, onus utilitasque.* Hinc *iura* duo sunt: *a*) *honos,* qui in eo est, ut honoratior locus patrono reservetur in ecclesia, in processionibus, etc. Qua in re consuetudo maxime attendenda est. Cavendum autem

[1] Schmalzgrueber loc. c. n. 146 ad 151.

[2] Cf. Conc. Trid. Sess. XXI, cap. VII *de Reform.*

[3] Bened. XIII Const. *Pius et Misericors,* § *Volumus autem,* 15 maii 1727; Giraldi *Expositio iuris pontificii* P. 2, Sect. 59, n. 4, § *Ad quod quidem* et seqq.

[4] S. C. Conc. in *Ragusiana* 3 aug. 1686 apud Benedictum XIV Inst. 100, n. 14, et apud Giraldi loc. c. § *Quod vero.*

[5] Schmalzgrueber n. 261; Reiffenstuel ibid. n. 125.

[6] Reiffenstuel loc. c.; Schmalzgrueber loc. c. n. 262.

[7] Cap. 12 de poenis, versu *Sacris;* Reiffenstuel et Schmalzgrueber locis cit.

[8] Conc. Trid. Sess. XXII, cap. XI *de Reform.* et Sess. XXV, cap. IX de *Ref.*

[9] Conc. Trid. ead. Sess. XXV, cap. IX, *de Ref.;* Schmalzgrueber et Reiffenstuel locis cit.

[10] In cap. 25 de iure patr.

est ne eidem sedes tribuatur vel intra chorum vel ante dominum territorialem loci, itemque, ne baldacchinus eidem concedatur, etiamsi dominus territorialis sit [1]. *b*) *Utilitas*, quae in eo est, ut si patronus ad inopiam vergat, ali debeat iuxta eius conditionem ab ecclesia, quatenus huic facultas sit [2]. *Onus* seu obligatio patroni duplex est: *a*) ut ecclesiae iura ac bona tueri debeat, ita tamen ut nullam eo nomine proprie dictam iurisdictionem sibi usurpet [3]; *b*) ut collabentem ecclesiam in eius reddituum defectu, restaurare debeat.

[1] Reiffenstuel loc. c.

[2] Cap. 25 de iure patr.; Reiffenstuel loc. c. n. 112, seqq.; Schmalzgrueber ibid. n. 105, seqq.

[3] Reiffenstuel ibid. n. 177, seqq.

SUPPLEMENTUM

QUORUMDAM DOCUMENTORUM.

I.

Quoad modum transferendi vel removendi Rectores Missionum.

In Congregatione Gen. Fid. Prop. habita die 28 Martii 1887 proposita sunt sequentia dubia pro Statibus Foed. Americae Sept. 1. An necessaria sit confectio processus canonici pro validitate actus, quo Episcopus transferat, removeat, vel translocet, Rectorem aliquem Missionis ad officium Vicarii vel aliud consideratum tamquam inferiorem gradu et Dignitate? Et quatenus negative; 2. An et in quibus ex praedictis casibus teneatur Episcopus ad redactionem processus iuxta instructionem ultimam Sacr. Congregationis. Et quatenus negative in aliquo ex praedictis casibus; 3. An et ad quae media Missionarii recurrere possint contra agendi modum Episcopi? Iamvero Emi Patres responderunt. Ad 1m In casibus remotionis peragendae in poenam criminis vel reatus disciplinaris affirmative, in reliquis negative. Sed opus esse ut fiant graves ob causas et habita meritorum ratione iuxta dispositionem Concilii Plen. Baltim. III, Tit. 2, Cap. 5, § 32. Si in casu translationis fiat recursus ad Sac. Congregationem, Sacr. Congregatio remittet recur-

sum ad Metropolitam, vel si agatur de Metropolita ad Metropolitam viciniorem. — Ad 2m et 3m provisum in 1.

Sanctissimus vero D. N. Leo PP. XIII probavit die 4 Aprilis eiusdem anni.

II.

Quoad successionem religiosorum.

« 1. Cui competat ius succedendi haereditati Regularis professi, decedentis extra claustra, qui Apostolicum Indultum obtinuit manendi extra claustra, ad tempus, retento habitu, vel veste sui Ordinis dimissa? 2. Cui competat ius succedendi haereditati Regularis professi, qui infausto anteacto tempore eiectus publicavi a coenobio, et veste sui Ordinis expoliatus, rationabiles causae ei obstiterunt, ne successivo tranquillitatis tempore ad suum rediret coenobium, suique Ordinis vestem reassumeret? 3. Cui competat ius succedendi haereditati Regularis professi, qui Apostolicum Indultum obtinuit acquirendi haereditates, et legata, et de iisdem acquisitis disponendi, et signanter si dispositio fuerit ad causas pias et favore Religionis? — R. Ad 1. De huiusmodi haereditate iudicandum esse iuxta dispositiones Iuris Ecclesiastici communis, scilicet eam spectare ad propriam defuncti Religionem. Ad 2. Si religiosus, de quo sermo est, perpetuae saecularizationis absoluto non fruebatur Indulto, ut in praecedenti. Si vero fruebatur, distinguendum est inter bona ab eo relicta. Scilicet bona, quae Religionis erant secumque e claustro egrediens ipse attulerat, vel ei utcumque obvenerunt, quemadmodum et bona, si quae habebat ex illis provenientia, eidem Religioni manere. Quoad autem cetera bona, a tali Religioso extra Claustra aliter quam ex bonis ad Religionem pertinentibus acquisita, iudicandum de iis esse iuxta Constitutionem Gregorii XIII *Officii nostri*. Ad 3. Si dictus Religiosus Apostolico Indulto disponendi de bonis, ut in casu, legitime usus est, facta nimirum dispositione undique

legitima eorumdem bonorum, ius de quo agitur illi competere, cuius favore facta est dispositio ». S. C. EE. et RR. 26 Iun. 1829.

« Alia in re Responsa: 1. Monachus, etiam perpetuo et absoluto saecularizationis Apostolico Indulto praeditus, non potest de bonis disponere absque Apostolicae Sedis speciali beneplacito. 2. Si dicto Indulto disponendi careat, vel eo legitime usus non sit, distinguendum est inter bona ab eo relicta. Scilicet bona quae Monasterii erant, secumque e claustro egrediens ipse attulerat, vel ei utcumque obvenerunt, quemadmodum et bona, si quae habebat, ex illis provenientia, suo Monasterio manent. Quoad autem cetera bona a tali Monacho extra claustra aliter quam ex bonis ad religionem pertinentibus acquisita, iudicandum de iis est iuxta Const. Gregorii XIII *Officii nostri*, ubi dicta Const. viget. 3. Ius succedendi haereditati Monachi professi decedentis extra claustra, qui Apost. Indult. obtinuit manendi extra claustra ad tempus, retento habitu, vel veste sui Ordinis dimissa, ad eius Monasterium spectat ». S. C. EE. et RR. 4 Ian. 1862. — Cit. Const. Greg. bona Regularium extra claustra degentium, undecumque venerunt, sub spoliorum nomine ad Cameram Apostolicam pertinere constituit.

« 1. An pensiones, quae a publico aerario solvuntur Regularibus extra Claustra degentibus, habendae sint tanquam pensiones ecclesiasticae, ita ut natura sua spolio subiaceant? Et quatenus Negative: 2. Cui competat post illorum mortem ius percipiendi ratas non solutas dictarum pensionum, si Regulares professi Apostolicum indultum obtinuerint manendi extra claustra sive ad tempus sive in perpetuum? 3. Cui competat idem ius, si huiusmodi Regulares professi indultum testandi et disponendi obtinuerint? 4. Cui competat praefatum ius, si agatur de Regularibus, qui vota simplicia tantum emiserunt? — R. Ad 1. Negative. Ad 2. Si indultum temporaneum fuerit, spectare ad propriam defuncti Religionem, si perpetuum, ad S. C. Spoliorum secundum Const. Gregorii XIII *Officii nostri*. Ad 3. Ius, de quo agitur ad eum pertinere, cuius favore facta est dispositio, si Regularis Apostolico Indulto disponendi de bonis legitime usus sit: quatenus eodem Indulto le-

gitime usus non fuerit, servandam esse resolutionem datam in secundo. Ad 4. Non spectare neque ad Religionem, neque ad S. C. Spoliorum, sed ad suos haeredes, sive ab intestato, sive ex testamento venientes ». S. C. EE. et RR. 6 Iun. 1836.

III.

Quaestiones aliquae quoad Latinos et Orientales, in locis Missionum.

Quaestio I. Utrum Missionarii teneantur proponere, atque inculcare Fidelibus ab ipsis baptizatis ius positivum Ecclesiae?

Resp. Affirm. Etenim per baptisma Ecclesiae potestati et legibus subiiciuntur, ut ii, qui in aliquam societatem cooptantur, illius legibus subduntur. Missionarii autem obligationes explicare et inculcare debent novis fidelibus, quas subeunt dum Ecclesiae potestati subiiciuntur; adeoque ius positivum ecclesiasticum, sive praecepta, quibus Ecclesia, quotquot ipsius potestati subsint, obligare contendit. Quamobrem supremae Inq. decreto, approbante etiam Innocentio X ann. 1646 definitum, ac sub poena etiam excommunicationis latae sententiae Missionariis mandatum fuit, ut ius positivum ecclesiasticum enunciarent, observandumque praeciperent.

En dubium Sacr. Congr. propositum: Utrum Christiani Chinenses sint obligati ad observantiam iuris positivi, quantum ad ieiunia, confiteri semel in anno, communicari, et festa servare, eo modo, quo obligantur Indi in nova Hispania, et in Insulis Philippinis, iuxta dispositionem Papae Pauli III. pro Indis occidentalibus et meridionalibus?

Emi PP. censuerunt, ius positivum ecclesiasticum de ieiuniis absolute obligare Chinenses; et a Missionariis hoc esse illis enunciandum; attenta vero regionum et personarum qualitate, locum esse, si Sanctissimo placuerit, dispensationi, quae fuit alias a fel.

record. Paulo III Indis concessa, qua obtenta, satagant Missionarii Sanctae Matris Ecclesiae pietatem illis patefacere, quibus ea, quae in universum indixit, magna ex parte benigne remittit, et indulget.

Censuerunt etiam, praefatos Chinenses obligari ad sacramentalem confessionem semel in anno, et Missionarios huiusmodi obligationem debere eis notificare.

Idem prorsus censuerunt quoad sacram communionem semel in anno sumendam. Quo vero ad executionem tempore statuto hoc est in Paschate, id esse intelligendum, nisi adsit legitimum impedimentum aut grave periculum immineat. Curandum tamen ut intra duos vel tres menses ante vel post paschatis proximos, quatenus sine discrimine fieri possit, sin minus alio quovis tempore infra decursum unius anni a Paschate inchoandi, omnino communicent. Demum censuerunt Chinenses ad fidem conversos teneri omnino festa servare, Missionarios etiam teneri hoc eis notificare; locum tamen esse, si Sanctissimus annuat, limitandi eis numerum dierum festorum iuxta formam privilegii a Paulo III Indis concessi.

Quaestio II. Utrum novae Ecclesiae vel Romani Pontificis leges et Constitutiones, quae pro tota Ecclesia feruntur, Graecos, Orientalesque obligent, quin expresse nominentur?

Resp. Negat id Verricellus; contra vero Fr. Carolus Franciscus a Breno tuetur, novas Romani Pontificis leges et Constitutiones, quae ad universam Ecclesiam diriguntur, Orientalem quoque comprehendere, eas scilicet, in quibus *neque Orientalis neque Occidentalis mentio fiat Ecclesiae, sed quibus supremus Pontifex in genere, pro cura quam gerit pastorali, incommodis abusibusque emergentibus occurrere studens, universo sibi concredito gregi, quidpiam praecipiat, vel poenis interpositis prohibeat et interdicat.* At, quamquam hae duae opiniones invicem pugnare videntur, tamen facile conciliantur, si quo sensu ab Auctoribus explicatur, utraque accipiatur. Verricellus enim de Constitutionibus Ecclesiae loquitur, quae ad illa disciplinae capita pertineant, in quibus Latina ab Orientali omnino dissidet. At palam est has Constitutiones ad Orientales non extendi. Nam Concilium Lateranense sub Innocentio III, Innocen-

tius IV aliique Romani Pontifices, qui Orientalibus quidpiam statuere, semper declararunt *substinendos esse ritus, mores, consuetudinesque Graecorum, qua in parte, nec fidei catholicae adversantur, nec periculum generant animarum, aut Ecclesiasticae derogant honestati.* Igitur Constitutiones, in quibus agitur de disciplina, quae propria sit Ecclesiae Latinae, a materia ipsa, de qua agunt, ad solos Latinos coarctantur, iuxta generales declarationes, quae ritus moresque Orientalium probant, sive permittunt. Quamobrem huius generis Constitutiones, nisi expresse de Orientalibus disponant, ad ipsos non sunt extendendae. Durissimum enim esset, inquit Verricellus, cogere Orientales redeuntes ad obedientiam Sedis Apostolicae ad observandas omnes Constitutiones novas Romanorum Pontificum; atque ad ritus, consuetudinesque mutandas, quae periculum non generant animarum, nec sunt ecclesiasticae honestati contrariae.

At P. a Breno Constitutiones indicare videtur, quae latae sint pro tollendis abusibus, qui sunt vel esse possunt utrique Ecclesiae communes, hoc est quibus poenae statuuntur, ut ea e medio tollantur vel impediantur, quae ecclesiasticae derogant honestati, vel periculum generant animarum, aut ut executioni mandentur praecepta, quae ad utramque Ecclesiam pertinent. Id autem verum est, ac Sacrae Congregationis Decretis omnino consonum. Dum enim Romani Pontifices, pro pastorali, quam gerunt, Dominici gregis cura, ex universa Ecclesia sese abusos tollere velle declamant, ac ea amovere, quae in ruinam cedunt animarum, et ecclesiasticis poenis oves omnes sibi concreditas student ad aeternae salutis viam revocare; praesumendum omnino est, velle omnes omnino obligare, dum ad universam Ecclesiam Constitutiones dirigunt, ac excludunt neminem. Hinc supremae Inquisitionis decreto anno 1631 die 4 Iulii definitum est, Orientales tribus in casibus Romanorum Pontificum Constitutionibus comprehendi. Primum dum agunt de fidei dogmate. Deinde dum expresse Pontifex eos designat, ut in casu schismaticorum in Bulla Coenae. Demum, dum de iis implicite disponit, ut in casibus appellationis ad futurum Concilium, deferen-

tium arma ad Infideles, et similia. Et anno 1629 die 7 augusti, ad dubium expositum a P. Michaele Angelo Albertino Societ. Iesu: *Num Catholici ritus Graeci habitantes in Insulis Maris Ægei comprehendantur censuris reservatis Sedi Apostolicae et praesertim in Bulla Coenae?* responsum fuit: *Affirmative, quod attinet ad executionem Bullae Coenae. Idem dicendum de aliis aeque generalibus. Sed tamen possunt excusari ex aliquo capite, v. g. ignorantiae.*

Atque hinc habes ad Orientales quoque spectare decreta omnia Conciliorum, quae in Occidente celebrata sunt, qua parte fidei dogmata definiunt; vel ea vitari praecipiunt, quae sint bonis moribus contraria, vel ecclesiasticae derogant honestati. Item Constitutiones, cum poenis in iis contentis, quibus Pius V, Innocentius X, Alexander VII, Innocentius XI, Alexander VIII, Clemens XI aliique Romani Pontifices damnaverunt propositiones haereticas, erroneas, falsas, scandalosas, temerarias, etc. Ac demum Constitutiones fel. rec. Benedicti XIV, quibus Confessarii prohibentur a poenitente nomen complicis exquirere; facultate privantur absolvendi complices in peccatis contra sextum praeceptum; et poenis subiiciuntur Confessarii sollicitantes ad turpia poenitentes. Vide Const. *Etsi Pastoralis,* in qua § 9 declarat, Graecos subiici *omnibus et singulis Constitutionibus, contra sollicitantes praesertim in Confessione editis, quae in singulas Nationes universim vires extendunt, et Latinos aeque ac Graecos amplitudine sua comprehendunt.* Ceterum proposito dubio Supr. Inq. « An Orientales subiecti sint Const. *Apostolicae Sedis?* » Emi Inq. Gen. Feria IV, 15 Iulii 1885, emiserunt sequens decretum approbatum a Summo Pontifice in fer. IV, 22 d. m. « Supplicandum SSmo ut declarare dignetur 1 per Const. *Apostolicae Sedis* nihil esse innovatum circa censuras earumque reservationes pro fidelibus rituum orientalium: 2 eosdem fideles subiici omnibus censuris proprii cuiusque ritus et iis censuris ab Apostolica Sede latis in materia dogmatum et in constitutionibus in quibus implicite de iis disponitur, nempe ubi materia ipsa demonstrat eos comprehendi, quatenus non de lege mere ecclesiastica agitur, sed ius naturale et divinum declaratur. Et ad mentem: mens est ut

haec per Apostolicos Delegatos omnibus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis rituum Orientalium notificentur, eorumque memoriae inculcetur, illos fideles subiici nominatim nedum censuris, sed etiam apostolicis reservationibus latis in Const. Bened. XIV *Sacramentum Poenitentiae* et in Constitutionibus contra Sectae massonicae aliisque similibus addictos ».

IV.

De munere patrini.

Admitti nequeunt ad munus patrini qui in civili tantum matrimonio vivunt, nec publice excommunicati aut interdicti, nisi reparato scandalo Ecclesiae reconcilientur. At si reconciliari recusent et ex eorum repulsa gravia damna timeantur, res ad Ordinarii iudicium deferatur. S. Poenit. resp. ad dub. 15, die 20 martii 1885.

V.

De Confirmatione.

Curandum ut in solemni huius sacramenti administratione confirmandi adsint primae manuum Episcopi impositioni seu extensioni, eis tamen qui forte defuerint manuum extensio suppleri non debet, iique sacro chrismate delibuti habentur ut vere confirmati. Sup. Univ. Inq. 7 apr. 1872.

VI.

Quoad modum conficiendi panem pro Eucharistia.

« In hac regione... consuetudo orta est... pane conficiendi ex granis contritis, et per aliquas horas in aqua infusis, non tamen usque ad corruptionem. Quae grana manibus comprimunt, et, ex

materia alba adveniente, panes conficiunt ferro calido, modo in Europa consueto... Utrum licita sit supradicta confectio panis pro Missa? — R. Affirmative; curet tamen, si fieri possit, Vic. Ap. ut frumentum ex quo panis Eucharisticus conficitur, non contundatur solummodo, sed apto instrumento in farinam redigatur, quae deinde cribo exacte purgetur, et panis ex eadem conficiatur modo in Europa usitato ». S. O. 23 Iun. 1852.

VII.

Quoad Missae binationem.

Propositum fuit dubium Sac. Univ. Inq. an etiam Vicarii Apostolici gaudeant facultate quoad Missae binationem, quae Episcopis tribuitur in Constit. *Declarasti* Bened. XIV. Porro fer. IV, 22 februar. 1888, Emi Inq. Gener. responderunt: Affirmative, facto verbo cum SSmo SSmus autem eadem die votum Emorum PP. probavit.

VIII.

Quoad applicationem Missae pro populo.

1. An Vicarii Apostolici ac Missionarii, in quovis modo curam animarum in certo aliquo loco assumunt, omnes indistincte obligentur *ex iustitia* ad applicandam missam pro populo in diebus festivis.

2. An vero de illis, qui ex iustitia non obligantur, dici debeat *decere* ex charitate aut *teneri* ex charitate ad applicandam missam pro populo in diebus festivis.

Iamvero in generalibus comitiis S. Congr. Fid. Prop. habitis die 23 martii 1863, Emi Patres respondendum censuerunt:

« Ad I. Negative, dummodo non agatur de locis, in quibus sedes episcopales ac paroeciae canonice erectae iam sint, atque ad eas Vicarii Apostolici et Missionarii missi sint ut legitimorum Pastorum vices gerant.

« Ad 2. Vitandam esse locutionem *teneri ex charitate,* dicendum vero esse *decere ex charitate,* idque ita ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat ».

Has autem S. Congr. resolutiones Pius PP. IX in audientia diei 29 martii benigne in omnibus approbavit.

« Ordinarius dioecesis Divionensis in Gallia haec exponit: Pro insufficienti sacerdotum numero in dioecesi Divionensi, non raro accidit, ut idem parochus tribus ecclesiis inserviat, nempe: 1. Suae propriae parochiae; 2. Modo permanenti alteri ecclesiae, quae in alio loco sita tituloque parochiali non gaudens annectitur ecclesiae, parochiali; 3. Ecclesiae loci parochialem titulum habentis, sed, penuriae sacerdotum causa, parochum proprium residentem non possidentis *ad tempus.*

Vi suae institutionis, talis parochus singulis dominicis ac festis diebus bis celebrat, nempe in sua ecclesia parochiali et in altera ecclesia non parochiali, sed permanenter ecclesiae parochiali annexa, ut dicitur. Inde sequitur ut idem omnino nequeat Missam celebrare dominicis ac festis diebus in tertia ecclesia, nempe parochiae cuius ad tempus curam habet. Cum tamen ei parochiae, in qua non residet, invigilare teneatur tum ad visitandos aegrotantes, tum ad catechizandos pueros ac multa alia munia adimplenda, ducentos francos pro supra memoratis functionibus a gubernio Gallico recipit.

Quaeremus: 1. An talis sacerdos debeat supplere Missas, quas pro sua secunda parochia non potest celebrare diebus dominicis ac festis, attenta etiam ea circumstantia quod dicta pensio ducentorum francorum vix remuneret supradicta munia, ambabus parochiis inter se multum distantibus; 2. An debeat alterutram ex Missis, quas celebrat, ut dictum est, singulis dominicis ac festis, applicare simul pro utraque paroecia; 3. An debeat applicare huic parochiae Missa privatae, eam missam, quae in ecclesia annexa sine titulo parochiali celebratur?

Cum evenerit, ut plures sacerdotes bona fide pro sua secunda paroecia non celebraverint, ut in casu, postulamus, ut ipsis suae omissiones, si necesse sit, condonentur.

R. Ad 1. Affirmative, nisi quod optandum foret ut secundam missam celebraret in secunda paroecia. Ad 2. Non licere. Ad 3. Affirmative, si in secunda paroecia celebrare non potest, facto verbo cum SSmo etiam quoad sanationem quoad praeteritum ». S.C.C. 24 iul. 1886.

In Congr. Gen. Fid. Prop. diei 28 iulii 1884 proposita sunt dubia. 1. An et quomodo applicare Episcopis Armenis ius divinum circa obligationem Missae pro populo. 2. An et quomodo illud applicandum sit Parochis eiusdem ritus.

Porro Sacr. Congr. respondendum censuit: Ad 1^m^ affirmative, et Episcopi Armeni iuxta Const. SSmi D. N. *In suprema* ipsis indicendam, obligentur ad sacrosanctum Missae sacrificium pro populo applicandum omnibus et singulis dominicis aliisque festis diebus de praecepto in respectiva dioecesi vigentibus, et ad mentem: Mens est quod si quis ob peculiares circumstantias praescriptum Missarum numerum sibi nimis gravem existimet, iisdem circumstantiis expositis, recurrere poterit ad S. Sedem ut congruam dispensationem obtineat, quemadmodum etiam ubi opus fuerit, ut loco dominicae vel alterius festivitatis, Missam die feriali infra hebdomadam applicare valeat. Ad 2^m^ affirmative quoad 1. p. et ad mentem: Mens est quod scribatur R. P. D. Patriarchae, Sacerdotes sacrum ministerium exercentes haud adstringi onere missae pro populo litandae, nisi paroeciis proprie dictis ut earum pastores addicti fuerint; paroecias autem proprie dictas eas esse in quibus adsunt quae in resolutione Congr. Gen. diei 24 iulii 1882, indicantur [1]. Quod

[1] In Congr. Generali pro negotiis orientalibus habita die 24 iulii 1882 haec declarata sunt: « Ad determinationem paroeciae proprie dictae non requiruntur omnes formalitates praescriptae a legibus Ecclesiae latinae, sed sufficit ut auctoritate sint stabiliter circumscriptae aliquae communitates fidelium, quae ius habeant

si ipse circa ea quae paroeciarum constitutioni essentialia sunt uberioribus egeat declarationibus, recurrat. Quoad 2^m p. supplicandum SSmo ut pastores paroeciarum veri nominis quinque dumtaxat praecipuis anni festivitatibus, quae vulgo nuncupantur *Doghavar,* missam pro populo applicare teneantur quod privilegium valeat ad decennium ; et ad mentem : Mens est quod si quis in aliqua ex iis festivitatibus ob peculiares circumstantias Missam pro populo celebrare nequeat, aut ad alium finem celebrare cupiat, eum Episcopi dispensare valent ut alia die infra hebdomadam suae obligationi satisfaciant SSmus in aud. 29 iulii eiusdem anni probavit.

IX.

Quod modum asservandi Eucharistiam.

In Congr. Gen. Fid. Prop. habita pro Helvetia anno 1803 cum relatum fuisset catholicos in sacristia communi etiam protestantibus, retinere Oleum sanctum, Sacrum Chrisma et SSmam Eucharistiam, repositum fuit ac resolutum die 3 aug. eiusdem anni « ad impediendam quamcumque irreverentiam sacrarum rerum, Sacr. Congr. non iudicavit opportunum quod a catholicis in sacristia communi protestantibus retineatur Oleum sacrum, Sacrum Chrisma et SSma Eucharistia, sed vult ut conserventur in loco omnino separato ab acatholicis, et cum alius proprius non existat, potius conserventur cum omni possibili decentia in domo parochi vel alterius sacerdotis catholici.

habendi Sacerdotem tamquam *proprium pastorem* qui *vi officii ipsi ab Episcopo commissi in hac tali communitate* exercere debeat *munus pastorale* cum iurisdictione in foro interno vi ipsius officii, cum administratione sacramentorum et praedicatione verbi Dei. Amovibilitas ad nutum per se non est signum defectus muneris parochialis, siquidem etiam administrator positus ab Episcopo pro tempore determinato vel indeterminato omnia habet officia parochi (dummodo agatur de vera paroecia; nec defectus redituum dispensat ab obligatione applicandi Missam pro populo, cum haec inhaereat officio pastorali, etiam praescindendo a fructibus beneficii).

X.

Circa modum deferendi Eucharistiam.

« Generalis Ordinis S. Ioannis de Deo a S. R. C. humiliter postulavit, ut insequentia dubia circa modum deferendi infra Missam Sacram Communionem ad infirmos, vigentem in valetudinariis Ordinis sui, declarare dignaretur, nimirum: 1. An recitato ad altare *Confiteor, Misereatur, Ecce Agnus, Domine non sum dignus,* possit permitti quod Sacerdos cum Pyxide sine velo humerali deferat ad infirmos Sacram Communionem, saltem a duobus candelas deferentibus comitatus, et adhibita etiam umbella, si fieri potest, praesertim si ab altari distent infirmi? 2. An modo supradicto deferri possit Sacra Communio non solum in toto valetudinario, sive a parte postera altaris, sed etiam in aliquibus cubiculis, ex quibus, etsi altare non videatur, tamen vox Sacerdotis celebrantis auditur? 3. An permitti possit ut, loco Sacerdotis SSm̃am Eucharistiam deferentis ad infirmos, alter, et etiam laicus, orationes recitet? R. Ad 1m et 2m Nihil obstat, dummodo tamen in delatione SSm̃i Sacramenti umbella omnino adhibeatur. Ad 3m Nihil obstat quominus adstantes recitent aliquas preces, dum distribuitur Sacra Eucharistia ». S. R. C. 7 febr. 1874.

« An liceat celebranti in domo privata vel religiosa, ferre ante purificationem S. Communionem, devotionis causa et non per modum Viatici, infirmo degenti in eadem domo, quamvis ad superiorem partem domus ascendendum sit, et per aliud ambulacrum transeundum sit? — R. Non licere, iuxta decretum 19 dec. 1829., sed si necessitas urgeat fiat absoluta Missa ». S. R. C. 17 dec. 1844.

XI.

De falsa denunciatione sollicitantis.

Si casus incidat quod quis falso accusaverit Confessarium, eidem poenitenti Confessarius iniungat ut emittat retractationem formalem, expresso nomine ipsius poenitentis accusatricis et accusati, nec non specie criminis, et postquam id ipsa executa est, eum absolvat. Episcopus vero transmittat Sacr. Congregationi nomina accusatricis et accusati. Sup. Univ. Inq. ad Ep. Harlem. 14 iunii 1879.

XII.

De Indulgentiis.

« Qui quacumque ratione Indulgentiam altaris privilegiati non lucratur non potest satisfacere applicando aliam Indulgentiam plenariam defunctis, pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat ». S. C. Ind. 2 maii 1852. Attamen « qui diebus permissis non celebravit in paramentis nigri coloris in Altari privilegiato ad acquirendam Indulgentiam Plenariam debet lucrari indulgentiam plenariam, pro iis defunctis, quibus Missae fructum applicuit toties quoties diebus non impeditis usus non est indumentis nigri coloris ». S. C. Ind. 22 febr. 1847. Decretum hoc praecedenti non opponitur. Nam in posteriori hoc decreto « tantummodo Sacerdotibus, pro quibus postulabatur de ratione, qua compensare debebant Indulgentiam Altaris Privilegiati, ad quam applicandam obligarentur, et quam, bona fide errantes, non erant lucrati, concessit S. Congregatio, ut compensatio fieret per applicationem alterius Indulgentiae Plenariae toties quoties illam Altaris Privilegiatis non fuerant lucrati ». S. C. Ind. 24 iul. 1885. Acta S. Sed. V. 18 p. 94.

XIII.

De Matrimonio.

I. « In rescriptis dispensationum matrimonialium cum causa infamante, S. Poenitentiaria, suppressis clausulis: *Interdicto quocumque tractu, et exhibita fide peractae sacramentalis confessionis,* nunc more Ap. Datariae, utitur clausula: *Praevia oratorum separatione ad tempus Ordinario benevisum.* Ut nulla remaneat haesitatio quoad praxim, quaesitum fuit: 1. An conditioni praecitatae sufficienter satisfiat, si oratores, per tempus ab Ordinario praescriptum, quoad thorum et habitationem separati remanserint; verum aliquod tractus honestos habuerint, v. gr. collocuti secum fuerint, se inviserint, etc.? 2. Quid si inter visitationes et colloquia praedicta, tractus graviter inhonestos, non tamen incestum, habuerint? 3. Utrum ab iniungenda separatione abstinere possit Ordinarius, si iam constet oratores in respectivis parentum domibus, ut plurimum ab invicem non parum distantibus, separatos habitare, et usque ad diem matrimonii habitaturos? S. Poenit., 4 februar. 1884, resp.: « Ad 1^m et 2^m, *tractus, de quibus in precibus non obstare quominus rescriptum dispensationis executioni mandetur;* ad 3^m, *negative* ».

II. Vicarius generalis loci N. Sacrae Poenitentiariae humiliter exposuit: « saepenumero contingere ut in rescriptis S. Poenit. dispensationes matrimoniales spectantibus praecipiatur: *Gravis et longa, vel diuturna poenitentia;* esse autem auctores quorum sententia *recitatio coronae singulis hebdomadibus per annum, est poenitentia gravis et longa* ». Hinc quaesivit: Utrum Ordinarius pro adiunctorum varietate huiusmodi poenitentiae tempus contrahere possit; an vero ad unguem se gerere debeat iuxta relatam auctorum sententiam? S. Poenitentiaria, ad propositum dubium, respon-

dit, die 15 iulii 1881: « Executorem, quoties poenitentiam longam, quae saltem per annum duret, iniungere iubetur, tempus huiusmodi neutiquam contrahere posse: posse vero ex causa, cum diuturna imponenda est; non ita tamen ut poenitentia sic contracta eam duratione non excedat, quae a S. Poenitentiaria longa dicitur ».

III. Vicarius Apostolicus Nianzae in Africa aequatoriali proposuit sequentia dubia: 1. Nostri neophyti sunt fere semper obligati ad ducendas in uxores mulieres infideles quas ipsi redimunt a servitute iuxta usum regionis. Mulier consensum praestat, at timendum est quod saepe talis consensus non sit sincerus, siquidem mulier redempta, excepto casu quod nostram religionem cognoscat, se reputat servam, scilicet in potestate illius qui eam adquisivit et ideo obligata ad consentiendum saltem exterius matrimonio illius. Licitum est tale matrimonium? Est ne validum? Maior pars nostrorum neophytorum ita matrimonium contrahunt. 2. Matrimonio ita contracto (suppono neophytum obtinuisse dispensationem ab impedimento disparitatis cultus) et consummato, accidit interdum quod mulier aufugiat post tempus plus minusve longum quin sciatur causa. Potest ne inferri ex eius fuga quod ipsa non praestiterat suum consensum in matrimonium, et potest permitti neophyto contrahere novum matrimonium? 3. Est generatim valde difficile et saepe impossibile scire quid accidit fugitivae, an mortua sit aut vivat. Post possibiles indagationes factas, potest ne supponi quod mortua sit et permitti neophyto ducere aliam uxorem? 4. Neophytus post ita amissam suam uxorem etiam (adhuc) infidelem, ignorans impedimentum disparitatis cultus, a quo non potuit dispensari cum longe sit a suo oppido Missionarius, potest ne relinqui cum secunda muliere et pro ligitimis habere filios quae ab ipsa generantur? 5. Quaedam christianae interdum matrimonio coniunctae, interdum non, uniuntur *vi* marito poligamo et ordinarie dinastae (ad un grande) regni. Ipsae nequeunt fugam arripere quin se exponant quasi certae morti, et ipsis impossibile est communi-

cationem habere cum presbytero nisi intermədiis personis, et tamen cupiunt practicare in corde religionem. Quid eis insinuandum?
6. Neophytus ante tyrannum ducitur qui eum acriter increpat eo quod religionem Iesu Christi amplexus sit et addit se hac vice ei condonare, at si eum videat pedem inferre in domum Sacerdotum, igni eum tradet. Christianus nihil respondet, at genibus procumbit et gratias agit Praesidi eo quod ei indulserit. Aliter facere iuxta usum regionis esset *insolentia*. Hoc silentium et haec gratiarum actio possunt censeri tamquam *apostasia exterior*, et debemus ne obligare christianos in similibus casibus ad loquendum et declarandum tyranno quod ipse potest eis condonare, si velit, praetensum crimen: sed quod ipsi continuabunt agere prout in praeterito?

Porro Sup. Univ. Inq. Fer. V, loco IV, die 22 decembris 1887, respondendum mandavit:

Ad 1^m^. In hisce casibus diligenter curandum, ut mulier infidelis instruatur et baptizetur et matrimonium rite contrahatur coram Missionario, sin minus non ante concedatur dispensatio super impedimento disparitatis cultus, cum iustae suppetunt causae ad dispensandum et mulier super necessaria libertate matrimonii instructa sit et uterque sponsus se libere consensuros spondeant, et in tuto sint positae conditiones in matrimoniis disparis cultus ab Apostolica Sede requisitae, eaeque praesertim quae iure naturali ac divino prescribuntur.

Ad 2^m^ Negative, nisi adhibitis opportunis investigationibus et salva saltem in substantialibus Const. Benedicti XIV *Dei Miseratione* constet defuisse consensum, et si qua supersit difficultas, recurrendum ad Apostolicam Sedem.

Ad 3^m^. Negative, nisi aliter constet de obitu mulieris iuxta instructionem S. Officii quae transmittetur.

Ad 4^m^. Affirmative, dummodo secundum matrimonium rite celebratum fuerit, neque aliud adsit impedimentum super quod Vicarius Apostolicus gaudeat facultate dispensandi, et partes hortandae ut adeant Missionarios pro benedictione.

Ad 5^{m}. Nihil omittendum ut mulier a viro infideli separetur. Quod si uterque sit liber, concedi posse dispensationem, dummodo cautum omnino sit sequentibus conditionibus, scilicet: 1. Quod mulier christiana plena libertate gaudeat vivendi catholice. 2. Quod a futuro viro ei permittatur universam prolem utriusque sexus in religione catholica educandi. 3. Quod vir impedimento ligaminis non sit irretitus. 4. Quod moraliter certum sit posse coniuges in matrimonio degere sine contumelia Creatoris et sine perversionis periculo. 5. Quod mulier spondeat se totis viribus curaturam viri conversionem.

Ad 6^{m}. Negative, nisi ex silentio vel genuflexione neophyti crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per eius taciturnitatem averterentur a fide.

XIV.

Circa communicationem in divinis.

Archiepiscopus Smyrnensis proposuit Sup. Univ. Inq. sequentia dubia:

I. Si può permettere ai cattolici di accompagnare i funerali degli eretici fino alla porta della Chiesa?

II. Si possono gli eretici far cantare nelle nostre chiese ed assistere all'altare per servire la Messa?

III. Un cattolico può permettere ad un eretico o scismatico di contrarre matrimonio nella propria casa?

IV. È proibito ad un eterodosso di far da padrino ad un fanciullo cattolico? Si può permettere ad un cattolico di tenere al sacro fonte un figliuolo scismatico eretico, amministrandosi il Sagramento s'intende già da un ministro eretico?

V. Tanto i cattolici che gli scismatici recano qui il S. Viatico pubblicamente: si cerca se sia permesso ai cattolici di mettersi in ginocchio, almeno dare alcun segno di venerazione al SS$\bar{\text{mo}}$ Sagramento?

VI. In pericolo di morte mancando un Sacerdote cattolico, si può cercare l'assoluzione da un Sacerdote schismatico?

VII. Si può procacciare agli eretici in pericolo di morte il soccorso de' Sagramenti, chiamando all' uopo un sacerdote della loro credenza?

VIII. I Greci sogliono nei loro funerali dispensare a vicini ed amici del grano e del pane detto coliva; e chi lo riceve debbe rispondere intendendo del defonto: Il Signore lo perdoni: è permesso ai Cattolici di riceverlo?

IX. Si può concorrere con denaro alla fabbrica di chiese eretiche? Si fa una questua all' uopo, come noi ne facciamo: si può permettere che i cattolici contribuiscano allorchè sono ricercati?

X. Gli operai cattolici lavorando nella fabbrica delle chiese eretiche, possono rimettere qualche loro giornata a benefizio delle medesime?

XI. Ma è permesso poi di lavorare per tali edifizi sagri?

Porro Suprema Univ. Inq. in feria V. loco IV. die 7 Iulii 1864 respondit:

Ad 1^m^. Dummodo catholici comitantes funera haereticorum aut schismaticorum usque ad ianuam coemeterii meram praesentiam materialem exhibeant civilis honoris causa erga defunctos, nec se immisceant ritibus haereticorum, nec luminaria deferant, nec pro defuncti anima suffragia persolvant, tolerari posse.

Ad 2^m^. Ad utrumque partem, negative.

Ad 3^m^. Iuxta exposita non esse permittendum.

Ad 4^m^. Negative in omnibus, et detur Decretum latum sub Feria V, die 10 maii 1770, quod est huiusmodi — Proposito dubio a Vicario Apostolico Smyrnensi: — An liceat catholicis interesse baptismis graecorum, in quibus per se vel per alios aliquando etiam officio patrini funguntur? — SSm̃us, auditis Em̃orum suffragiis, decrevit: — Catholicis absolute non licere vel per se vel per alios fungi officio patrini in baptismis qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur.

Ad 5^{m}. Detur Decretum latum die 15 aprilis 1672, sequentis tenoris: — Proposito dubio Nuncii Apostolici apud Venetas « An Eucharistiae Sacramentum delatum ad infirmos a presbytero graeco schismatico adorari debeat a viro catholico? » responsum fuit: scribatur quod occasione qua non possit evitare delationem Sacramenti, illud adoret sed non prosequatur deferentem, nec ingrediatur ecclesiam graecorum.

Ad 6^{m}. Licere, dummodo tamen et aliis fidelibus non praebeatur scandalum, nec sit alius sacerdos catholicus, nec sit periculum, ut fidelis ab haeretico pervertatur, et tandem probabiliter credatur sacerdotem haereticum administraturum hoc sacramentum secundum ritus Ecclesiae.

Ad 7^{m}. Non licere.

Ad 8^{m}. Prout exponitur, non licere.

Ad 9^{m} et 10^{m}. Non licere.

Ad 11^{m}. Detur Instructio iam data sub fer. IV, die 14 ian. 1818 Vicario Apostolico Kentukiensi, cui postulanti: — An permissum sit haereticorum ecclesias seu Synagogas aedificare — responsum fuit: Non esse inquietandos, dummodo non adsit scandalum, nec fiat in contemptum religionis. Curet autem Episcopus, ut artifices per Missionarios et Confessarios opportune instruantur, quando a propria praestanda opera in haereticorum ecclesiis seu Synagogis aedificandis se abstinere debeant. Tenentur scilicet ab opere se abstinere: 1. Ubi huiusmodi opus communiter habeatur pro signo protestativo falsae religionis. 2. Vel aliquid in ipso contineatur quod per se directe ac unice exprimat reprobationem catholici cultus, et approbationem damnati cultus haereticorum. 3. Aut constet artifices catholicos ad opus adigi vel vocari ab haereticis in contemptum catholicae Religionis. Ceterum quamvis extra hos casus relinquendi sint in bona fide, semper tamen monendi sunt ne haereticorum cultui cooperari intendant.

XV.

De sepultura ecclesiastica.

S. Poenitentiaria die 20 martii 1885 ad dubium 16, 17, resp.: « Sancimus idcirco quod si publici excommunicati, et publici peccatores nondum Ecclesiae conciliati, sed cum signis resipiscentiae decesserint donentur quidem, hisce signis evulgatis, ecclesiastica sepultura, sed absque pompis, et solemnitatibus exequiarum ».

Qui sectae massonum aliisque societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt, ecclesiastica sepultura privantur quae illis, etiamsi collata fuerint sacramenta, denegari debet, si postulaverint sepelliri cum signis sectae et hanc voluntatem postea non retractaverint. Quod si perversa aliorum opera contra defuncti votum emblemata sectae feretro apposita fuerint, cognita earum oppositione, statim amoveri iubendum est, et omnino ante associationem cadaveris amoveantur. Sac. Poenit. ibid. ad Dub. 18.

INDEX.

PARS II.

DE REBUS.